






GEORGII Schönborner/ SILESII, PHIL. ET J. U. DOCTORIS Consiliarii & Cancellarii ZOLLERINI

POLITICORUM LIBRI VII.

QVIBUS METHODICE DIGESTIS ARS BENE CONSTITUENDI, FELICITERQVE ADMINISTRANDI PACE BELLOVE REMPUBL. EX FONTIBUS AUCTORUM VERÆ SOLIDÆQVE PRUDENTIÆ HAUSTA OSTENDITUR: INSERTA DESCRIPTIONE STATUS, ET ORDINUM S. ROM. IMPERII.

Lignicii Silesiorum,
Sumtibus Auctoris.

EX OFFICINA TYP. NICOLAI SARTORII.



Illustrissimo, Generosissimoq́;
Dn. Dn. Johanni-Georgio
Comiti in Hohen-Zollern, Sigmaringen, & Vehringen: Domino in Heigerloch & Wehrstein: Hæreditario Domino Königsbergæ Silesiorum: S. Rom. Imp. Camerario-hæreditario: S. Cæs. Majest. Consiliario, & Copiarum Præfecto: Principum & Ordinum utriusqve Silesiæ, Generali ac Supremo Ducis belli Locum-tenenti, Gubernatori in Kinast, Greiffenstein & Giersdorff:

Domino Meo Clementiss.

Nec non.

Illustribus, Generosissimis,
Magnificis; Strenuis, Nobilissimis, Amplissimisq́; Dominis, Dominis Tutoribus Schaff-gotschianis, Greiffensteiniis:

Dn. Henrico-Anshelmo, Libero Baroni de Promnitz, Plessæ, Soraviæ, Tribelæ, & Hojerswerdæ: Domino in Naumburg, Pribus, & Dobrilug: S. Cæs. Maj. Consiliario, & Præsidi Marchionatûs inferioris Lusatiæ:

DN. WEIGHARDO, LIBERO BARONI DE PROMNITZ, Plessæ, Soraviæ, Tribelæ, & Hoiersswerdæ: Domino in Falckenberg & Cuja: Principum & Ordinum Silesiæ ad S. Cæs. Maiest. Legato, & Circuli Præfecto:

DN. CASPARO A RECHENBERG, in Klitschdorff, Primkenaw, Petersdorff, Lüpschaw, Wengeln, & feudo, qvod Jauraviæ est, Castrensi Regio. S. Cæs. Majest. Consiliario, & Capitaneo Ducatuum Svidnicensis & Jauraviensis:

DN. CONRADO A NIMPTSCH & Röfersdorff, in Meywaldaw, S. Cæs. Majest. Dapifero, & Ducatuum Svidnic. & Jaurav. Cancellario.

DN. HERMANNO A ZETTERITZ & Kariss, in Schetzlar, & Langenhelmsdorff &c.

Eorundemqve Pupillo, ad omnia summa nato,

ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO

DN. JOANNI-ULRICO SCHAFF-GÖTSCH de Kienast, Greiffenstein & Kemnitz: Libero Baroni in Trachenberg & Prausnitz &c. Dominis Meis Clementibus, & benignis.

S. P. D.

GLoriosissimum simul & laboriosissimum eorum est munus, Proceres Incluti, qui clavum Reip. rectè tenent, suamqve provinciam salutariter, & ex usu publico tuentur. Rerum quippe humanarum fastigium excessisse, & ad quandam Divinitatem accessisse videntur: quæ nec præconiis editis, nec trophæis fixis, nec statuis collocatis satis dignè celebrari potest. Veneramur eos meritò, & velut Tutelares Deos admiramur, quorum curam excubare pro salute singulorum atq; universorum quotidiè experimur: nihil est cuiqvam tam preciosum, qvod non salute sui præsidis commutatum velit; si paulùm valetudo titubat, non spes excitatur, sed metus, non invidia, sed amor: postqvàm verò animus eorum corporis ergastulo solutus in sedem redit beatiorem, mirabile dictu est, qvantum sui desiderium in omnium mentibus relinqvant: nempè tùm demum per gloriam rectè vivere incipiunt: illa verò vita est vera, qvæ viget memoriâ seculorum

lorum omnium, quam poſteritas alit, quam ipſa æternitas ſemper intuetur. Atq; illud merito ſuo competere Magiſtratui, nemo eſt qvi negare auſit. Qvid enim magis arduum inter homines, qvã curare, ut juris, & judicorum æqvitate ſuum qvisqve teneat, ut neqve tenuiores propter imbecillitatem circumveniantur, neqve locupletibus ad ſua vel tuenda vel recuperanda obſit invidia? Qvid difficilius, qvàm univerſam illam multitudinem turbidam, inqvietam, moroſam prudenter redigere ſub commune qvoddam obedientiæ jugum : qvo ſanè loco ſe veritatem habere abditam, clementiam in promtu, anceps & operoſum : clam peti inſidiis, palàm blanditiis miſerum? Qvid ad immortalem gloriam illuſtrius, qvàm in ſummâ fortunâ imponere poſse felicitati frenos, ut neqve rationi qvicqvam ad benè agendum deſit, neqve libidini aliqvid ad malè agendum ſuperſit? Qvæ major poteſt eſſe laus in bonis fortunæ, qvám non fuiſse inſolentem in poteſtate, non ſe prætuliſſe aliis, ut opes & licentia non ſuperbiæ, ſed bonitati ac moderationi faculta-

tem ac materiam dediſſe videantur? Ea veſtra eſt Gloria, iudicio bonorum omnium, PROCERES Illuſtriſſimi: qvi ad gerendam Remp. non nudi veniſtis & inermes, ſed ſingulari rerum cognitione, & experientiá ornati, nec non exqviſitâ auctoritate armati. Non jam complectar juſtitiam veſtram in cognitionibus penè divinam, prudentiam in conſiliis incredibilem, fortitudinem in adverſis heroicam, conſtantiam in dubiis admirabilem: Non diſſeram, qvod vigiliis aſsiduis comprobatis, non Remp. veſtram eſſe, ſed vos Reip.: qvòd patriæ ſalutem potiorem veſtrâ ducitis: qvòd non tam monitis qvàm exemplo ſummos pariter cum infimis ad virtutem provocatis, atq;adeò hoc pacto mutuam hominum ſocietatem conſervatis. Ipſa teſtatur & loquitur experientia, qvid regimini vobis divinitus oblato tribuendum. Summus Sileſiæ Dux, Divus RODOLPHUS II. Cæſar Opt. Max. qvem Deus orbi Chriſtiano longùm ſupereſſe velit, auguſtiſſimis clementiæ ſuæ radiis vos illuſtrat, conſiliiqve ſui promos & condos legit: Principes & ordines

 patriæ

patriæ certatim honoribus afficiunt: exteri admirantur: Incolæ prodeunteis velut beneficum ſidus & ſalutare numen adſpiciunt, inter amorem metumq; ancipites & alternis iudiciis ambigentes, Dominos ſalutent an patres. Propugnaculis alii fidant, ac munitionibus; Vobis unum eſt inexpugnabile munimentum, Amor Civium. Eorum verò numero, qvi vos honore proſeqvuntur, me qvoqve contineri, palàm atteſtor. Ea enim virtutis eſt natura, ut nos alliciat ad ſeſe, efficiatq; ut honorem tribuamus illis, qvi ſalebroſum illud virtutis iter ad ſummum usqve honoris & gloriæ faſtigium feliciter ſunt emenſi.

Non alios igitur ſibi patronos exoptat Ars iſta, qvam ſub Illuſtris, omnemqveInvidiam longè ſuperātis veſtri Nominis auſpicio, lucem adſpicere volui. Qværitis qvid me impulerit,ut vobis potiſſimùm meas conſecrarim lucubrationes? Uno verbo dicam, VIRTUS VESTRA, & GLORIA,

Illuſtrem T. CL. Illuſtriſſime JOANNES-GEORGI Comes ZOLLERINE appello: Elucent in Te vetuſtiſſimæ, &

Electori-

Electoribus, principibusqve S. Rom. Imp. compluribus cognatæ ſtirpis, & majorum præclara facta: eminent Imperatoriæ illæ virtutes, Labor in negociis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo: qvin imò ſublime illud & igneum Ingenium, addo & acre judicium, & ad exqviſitæ prudentiæ experientiæqve ſpeculum formatum politumqve, omnium contemplationi & admirationi obvium eſt. Illa verò Pacis belliqve ſocia, Eloqventia qvantum C. T. condecoret, fruſtra dixerim apud non expertum: Juſtitiam potiore loco duxerim, qvam vel Ariſtidis vel Traiani: Populus verò magis in C. T. inclinat, quàm unqvam ſuis temporibus aut Romulus, aut Brutus, aut Auguſtus, aut Germanicus experti ſunt. Qvæ res Principes & Ordines Sileſiæ nuper commovit, ut in præclariſſimo Defenſionis opere adornando, potiſſimas, poſt Illuſtriſſimum Celſiſſimumqve principem ac DN. DN. JOANNEM-GEORGIUM MARCHIONEM BRANDEBURGENSEM &c. Ducem Carnoviæ &c. T. C detulerint partes:

 quod

quod ut in patriæ cedat emolumentum, unicè exopto.

Converto me ad C C. V V. Illustres & Generosi Domini Barones PROMNICII: Præclaras & ad Reip. gubernationem maxime necessarias in omni genere virtutes Uterqve vestrûm, ad Illustrem ortum conjunxit; Hæ qvanqvam à cœlesti qvâdam sunt naturâ, tamen vel augeri vel ornari videntur à studiis Doctrinæ, qvibus affatim imbuti estis. Vestigiis insistitis Reverendissimi & Illustrissimi vestrâ de gente principis ac Domini, DN. BALTHASARIS Episcopi Vratislaviensis laudatissimi, Patris patriæ: (cujus memoria sit ἐν ταῖς εὐλογίαις) atq; inde immortalem gloriam acqviritis. Alterum non tantùm amplissimus Lusatiæ inferioris Marchionatus, sed & tota MARCHIÆ BRANDEBURGICÆ, Silesiæ, & Misniæ vicinia suspicit, veneratur, & oculo qvod dicitur irretorto spectat: Iusticiamqve & fortitudinem Herois admiratur.

Alteri, Legationis ad S. Cæs. Majest. Præsidi, cuius ope, consilio, fide, & dexteritate res patriæ labentes, impetratâ

in Reli-

in Religionis Negotio tranqvillitate & securitate publicâ, restitutæ sunt, vniversâ Silesia qvantum debeat, memori nemo eximet ævo: vigebitq; apud omnem posteritatem grata beneficii illius memoria.

Tuæ verò Magnificentiæ Nobilissime DN. CASPARE à RECHENBERG virtutum cumulus, qvibus cohonestandus est encomiis? Enimverò nemo est, qvi vel insignem familiæ splendorem, vel exqvisitam in omni scientiarum genere Doctrinam, vel admirabilem apud Amplissiimos ordines Ducatuum, qvorum administtationem feliciter geris, Auctoritatem, dignè satis efferre possit: Vivet, vivet, tua ista Gloria. magnoqve Tuo merito eorum Te inseret choro, qvi patriam consilio, meritis, & fide plurimum amplificasse feruntur.

Eodem jure vos quoq; Magnifici strenuiqve Viri, DN. CONRADE à Nimptsch, & DN. HERMANNE à Zetteritz, censendi estis: Quippe natalium dignitatisqve vestræ splendorem, moribus integerrimis redditis illustriorem, non tantùm qvòd omnes ingenii nervos ad patriæ vtilitatem confertis, sed & in admini-

adminiſtratione Tutelari nullis parcitis vigiliis & laboribus : ut omnes tam exteri qvàm incolæ intelligant, vos benè laudabiliterqve tanto muneri præfuiſſe.

Tuam verò Generoſitatem, Illuſtris DN. BARO JOANNES-ULRICE SCHAFFGOTSCH, præterire nullo modo potui nec debui. Te ſummis maximisqve donis præ cæteris conſpicuum eſſe voluit, ſummus ille Imperiorum fundator, & conſervator Deus Opt. Max : Exſerunt ſe in ætate iſtâ juvenili heroicarum virtutum ſemina, qvarum adjumento ditionum paternarum gubernationem magnâ cum gloriâ aliqvando ſuſcipere & gerere licebit. Macte Tuis iſtis virtutibus, & Academicorum ſtudiorum, peregrinationumqve curſum ex ardentiſſimo omnium deſiderio & voto, fructuosè perfice, ingens patriæ præſidium futurum. Vos itaq; omnes ac ſingulos eâ, qvâ par eſt obſervantiâ, animiqve ſubmiſſione rogatos velim, ut mea iſta de regimine Rerumpubl. Meditamenta, veſtris auſpiciis publici juris facta, ſerenâ benignâqve fronte ſuſcipiatis : meq; in clientum veſtrorum numerum cle-

menter

menter referatis. Valete ac salvete Proceres Opt. : qvos sacrosancta Trias qvàm diutissimè beatos ac florentes esse patiatur. GIRSDORFII Silesiorum, ad thermas HIRSCHBERGENSES : è Musæo meo. d. 24. Octobris Anno recuperatæ per Christum salutis 1609.

VV.

CC.

Magnific. & Nobilit. devotè colens ac venerans

GEORGIUS Schönborner/ Freystadiâ-Silesius D.

LIBER

LIBER ALLOQVITUR LECTOREM.

QUod aliàs dicitur, tot ferè eſſe ſententias, qvot homines : Illud auguror mihi obventurum ſæpiùs : qvot enim lectores, tot mihi paratas video cenſuras. Nec injuriâ. In liberâ fortè Republ. vivis, qvicunqve me legeris ; in qvâ cuiqve qvid velit ſentire liberum. Atq; ea res Auctori meo nonnihil delectationis addet, ſi re probè cognitâ Tuum de me perceperit judicium, dum abſit livor & cavillatio. Qvin imò te tanto æqviore animo feret, qvanto plus tibi per ocium licuerit, penitus inveſtigare & cognoſcere, qvalis intus & in cute ſim à capite ad calcem : qvod ſi me velut per tranſenam inſpexeris, rogat Auctor, tamdiu calculum ſuſpendas, donec me pleniùs qvi ſim, qvidve feram, fueris contemplatus. Primus ingenii Auctoris mei ſum fœtus : cupidæ rerum politicarum juventuti primùm in Academiâ FRANCOFURTANA ad Viadrum duobus extremis menſibus anni ſuperioris exhibitus : In eo enim gaudebat Auctor, ut aliquid diſceret, & doceret : neq; illum ulla res delectat, licet eximia & ſalutaris, qvam ſibi uni ſciturus eſt. Si cum hac exceptione detur ſapientia, ut illam incluſam teneat, nec enunciet, illicò rejiciet. Verùm alia prorſus, qvàm nunc vides, facies mihi tum fuit. Auctor enim temporibus ſibi parendum eſſe ratus, non ultra duos menſes contem-

plationi

plationi auditorum, non ſecus ac σκελετὸν qvoddam me conſpiciendum præbuit : Nunc lucem adſpicio, terſiori haud dubie formâ excultus. Curam mei exqviſitiorem habuiſſet Auctor : niſi ad civiles functiones maturiꝰ non ſine juſſu divino fuiſſet abreptus. Qvod igitur compluribus negotiorum mole præpeditis parentibꝰ accidit, ut multa remiſſiús in liberorum educatione agant; id mihi & Genitori meo contigit : Sic ſumus ut qvimus, qvando ut volumus, non licet : Occupationum nempe vocationis ſuæ cumulus illi obſtitit, qvo minùs comtiorem elegantioremqve me efficere potuerit. Faciem verò meam fuco ullo oblinere, ambitioſumve obtendere titulum, noluit : qvippe vanitatis arguit eos, qvi eâ in re mirè ſe extollunt. Κηρίον inſcribunt, quod volunt intelligi favum : alii κέρας ἀμαλθείας, ut vel lactis Gallinacei ſperare poſſis in volumine hauſtum : Jam Muſæ, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμών, πανακήδιον, Inſcriptiones propter qvas vadimonium deſeri poſſit : at cùm intraveris Dii, Deæqve qvàm nihil In medio invenies ! Politicum Me Auctor vocat; qvôd civilis Doctrinæ rivulos, ex Auctorum probatiſſimorum fontibus duco per foſſam, rectà ad immenſum prudentiæ Oceanum ferentem. Nec aberrabis opinor, ſi me comiter viam monſtrantem, pedetentim fueris inſecutus: Si via alicubi nimis flexa videbitur, non è veſtigio pedem retrahe : qvin inveſtigandum cenſeo magis, qvo fine Auctor me per iſtos anfractûs & ſalebras, (qvos

quidem

qvidem ſcopulos ſtudioſè evitare conatus eſt) deduxerit. Sed jam ni fallor, conjecturâ aſſeqvi videor, qvot qvantisq; accuſationibus fiam obnoxius: qvandoqvidem cuivis multa cavillari qvàm æmulari paratius eſt. Culpabunt alii Auctorem, qvod in tantâ ſcriptorum politicorum copiâ ſuum quoqve, hoc præſertim ſeculo doctiſſimo, adjicere voluerit calculum, atq; ita γλαυκὰσ ἀθλώασ; alii brevitatem; alii ſtyli diverſitatem, alii tractationis modum in qvibusdam reprehendent. Priores, qvi obloqvuntur, Auctorem ſuperſedere debuiſſe hoc labore, cum non morantur: Mali ſunt homines, qvi bonis ſine cauſa dicunt malè. Non diffiteri poſſum, eſſe in medio immenſam politicorum ſcriptorum meſſem, neminemq; eſſe literatorum, etiam eorum qvos ſpaciis natura coercuit arctis, qvi non aliqvid in hoc genere ſapere velle videatur. Sed fremant licet, dicam liberè qvod ſentio. Plurimi aut nugis ſcatent, aut qvæſtiunculis frivolis, & parum fructuoſis chartas dilatant: adeo ut in pleroſqve illud Cleobuli conveniat: ἀμουσία τὸ πλέον μέρος λόγων τε πλῆθος. De me, (abſit invidia dicto,) Perſianum illud uſurpo: Non eqvidem hoc ſtudeo bullatis ut mihi nugis pagina turgeſcat; ſed ut ſalubria quædam monita lector capiat. Præterea Autor, cui magnæ curæ eſt, ne velut per tenebras ævum ignobile emetiatur, ſed ut agat vitam, non ut prætervehatur, aliis occaſionem præbere voluit, accuratiùs de pleriſqve Regiminis publici capitibus cogitandi. Qvi brevita-

brevitatem culpant,paucis nunc demulcendi ſunt. Iſti hoc ſibi perſvaſum habeant, non facultatem copioſiùs & latiús qvæqve tractandi, ſed voluntatem Auctori defuiſſe: Portatili qvippe iſtâ meâ formâ, qvâ ubi ubi ſis peregrinari,ruſticari & meditari liceat, Synopſin qvandam rerum politicarum complecti maluit, quod ſanè multo fructuoſius tibi futurum cenſuit.Semen qvamvis exiguum in bono ſolo ſparſum facilè comprehendit, & ſe explicat: breve item monitum in bonâ mente. Qvin imò ſator meus, ſuſpecta ne ſint longa colloqvia amputare mavult.

Qvi diverſitatem ſtyli averſantur, hoc â me juſsû Auctoris audiant: planè ſtatuiſſe eum, ſententiarum potiùs gravitate, qvàm luce verborum commendari orationem: atq; ideò decerpſiſſe eum ex veteri memoriâ & monimentis ac literis, tam verba qvàm exempla plena dignitatis, plena antiqvitatis: qvippe plurimum ſolent & auctoritatis habere ad probandum, & jucunditatis ad legendum. Ecqvid enim pulchrius, qvàm è varii coloris filo unum aliqvod aulæum contextum? Iſtiusmodi veſte me donavit Auctor: tanto plus venuſtatis me habiturum præſagiens, qvanto majorem vetuſtatis ſollicitudinem in me ornando adhibuiſſet. In minimis qvoq; rebus omnia antiqvæ conſvetudinis monumenta ſervari oportere cenſet: vel ideò maximè, qvòd ſuper omnibus negociis melius atqve rectius olim proviſum: & qvæ convertuntur,in deterius mutantur.Sed qvid eſt, inqvis, qvòd Auctor Ipſa Græcorum ſcripto-

 rum

rum verba allegare noluit, & latina eorum loco
substituit? Dicam qvod res est: Captui lectorum
inservire voluit & modo: Illi, si Græcarum lite-
rarum essent rudes, ut loco earum fideliter trans-
latis uti possent: Huic, ne primùm græcis verbis
collocatis, mox latinis subiectis, aut tædium obre-
peret, aut forma mea nimis excresceret. Erunt for-
tassis alii, qvi ad tractationis modum & leges
Methodi non rectè observatas animadversionis
suæ aculeos intendent: His, si transitiones omis-
sas causabuntur, reponam, connexionem singulo-
rum capitum dependére ex schematismo Tabula-
rum ad calcem operis collocatarum: ex his singu-
larum materiarum cohærentiam nullo negocio
petere possunt. Sin vero alia nonnulla benè cogita-
ta in transvorsum rapient, monita quædam sug-
geram, ut magis ex suo meoq; usu me legant. An-
te omnia sine præjudicio, qvod omne judicium e-
nerat, me velim excutiant, Optimus ille lector
est, qvi dictorum intelligentiam expectat ex di-
ctis potiùs, quâm imponat, & retulerit magis,
qvàm attulerit: neqve hoc cogitet videri dictis
contineri, qvod ante lectionem præsumsit intel-
ligendum. Deinde, Amice Lector, integrum
me, si vacat, legas. Dulciorem esse ajunt in imo
aqvam marinam, qvàm in summo: sic fortasse
ucundiora tibi ista, cùm penetraveris. Tum verò
verborum discrimina, characterum varietate sig-
nata, nosce: Sic enim causà majoris certitudinis,
verba Autoris mei ab aliis secernes, atq; ita qvod
usui Tuo futurum repones. Dixit præterea Au-
ctor

ctor nonnulla communiter: Tu verò cave faxis, ut qvaſi in hunc aut illum invidioſè dicta putes. Taxat ſubinde morum pravitatem hoc ſeculo invaleſcentem. Neminem laceſſit: ſed famã cuiusq; aſſerere, illibatamq; conſervare ſatagit. Cęterùm qvi me legis, cognoſcendi animum adfer & ignoſcendi: atq; illud vetus in mentem Tibi revoca: Καλὸς θεόκριτος οὐ μόνος ἀνθρώπων ὁρᾷ. Si qvâ in re Tibi non ſatis fiet, benignâ candidâq; interpretatione, ex lege Talionis, me ſubleva. Vale ac Deo Opt. Max. ſi qvid eſt, qvod Tibi commodare poſſit, gratias habe, non Auctori: partim qvòd vires & valetudinem hactenus clementer illi conceſſerit: partim qvòd cùm nuper inclyta Lygiorum urbs, ex qvâ prodeo, magnâ ſui parte, flammis proh dolor! fuerit conſumta, me ſalvum incolumemqve defenderit: magnum mihi augurium, me poſt cineres qvoq; Auctoris mei diu ſuperſtitem futurum.

Syllabus Scriptorum omnis ævi, qvibus in adornando hoc Systemate Politico Auctor utitur.

Theologi.

SS. Scriptura
Proph. & Apost.
Ambrosius
Augustinus
Philo. Athanasius
Tertulianus
Hieronymus
Chrysostomus
Cyprianus
Lactantius
Epiphanius
Ignatius Martyr
Nazianzenus
Clem. Alex.
Bernardus
Arnobius
Aretius
D. Thomas
Jo. Spinæus
Lutherus
Melanthon
Chemnicius
Zepperus.

Jurisconsulti.

Jnstit. Imp. Justin.
Pandectæ
Codex Just.
Codex Theodos.
Novellæ
Jus feudale
Jus Canonic.
Recessus Imperii
Ord. Cameræ
P. H. O. Caroli V.
Jus Saxonic.
Aur. bulla Carol.
Vulteius
Göddeus
Dionys. Gothofr.
Hier. Setserus
Cujacius
Donellus
Revardus
Robertus
Rodingus
Thessaurus
Th. Grammatic9
Surdus
Rol. à Valle
Farinacius
Oddo
Hier. à Monte
Schurffius
Dauth.
Vasqvius
Ayrerus
Borcholt.
Brunellus
Tiraqvellus
Hotomannus
Wesenbecius
Baldus
Bartolus
Vigelius
Treutlerus
Gomezius
Bocerus
Rosenthal
Connanus
Menochius
Lagus
Baro
Geil.
Rittershusius
Alciatus
Costalius
Grassus
Damhouderius
P. Gregorius
Scipio Gentil.
Fachineus
Mynsingerus
Garsias
Husanus
Beust
Beza
Schraderus
Vivius
Hackelman
Carol. Tapia
Obrechtus
Th. Michaëlis
Natta
Pacianus

Lancel-

Lancellot. Conradus
Zoanettus
Forcatulus
Duarenus
Parisius
Castrensis
Sneidvvein
Palæottus
Anton. Faber
Bonacossa
Zasius
Bartolus
Bonifacius
H. Hartmanni
P. Friderus Mindanus
A. Knichen
Boërius
Peckius
Gvido Papæ
A. Reyger
Wurmserus
Niellius
Speculator
Corsetus
Corrasius
Göden
Modest. Pistoris
Forsterus Senior
Viglius Zvichem.
Covarruvias
Catell. Cotta
Oldradus
Daniel Moller
N. Reusnerus
Anton. Augustin.
Cheppinus
Gigas
Laudensis
Hipp. à collibus
Alb. Gentilis
P. Heigius
Cravetta
Tob. Paurmeist.
Contius
Petreus
Cacheranus
P. Dennaisius
J. Curtius
Brissonius
Ludovicus Rom.
Delrio
Usyllus
Colerus
Soaretz
Molineus
Julius Clarus
Hostiensis
Nic. Eberhard.
Muscornus
Jason
Justus Springer
Hipp. de Marsil.
Phil. Francus
Jo. de Platea
Rochus de Curte
Francis. Cremensis
Fr. Pruckman.

MEDICI

Hippocrates
Galenus
Dioscorides
Rasis
And. Laurentius
Jo. Langius
Joach. Camerari9
L. Fuchsius.

PHILOSOPHI, Oratores, Philologi, Politici & Scriptores rei militaris.

Aristoteles
Plinius
Cicero
Plato
Vitruvius
Columella
Seneca
Solinus
Lipsius
Bodinus
Daneus
Val. Max.
A. Gvevara
Eras. Roterod.
Stobæus
Cælius
Macrobius
Festus
Althusius
Lipsius Polit.
Henr. Stephan.
Fl. Vegetius
Frontinus
D. Speckle
Wilhel. Bellay.

Jacob. Comes à Purlilien
Leonhard. Fronsperg.
Laz. Svendius
Wilhel. Dilichius
El. Reusnerus
P. Greg. Tholoz.
Machiavellus
Ranzovius
Casſiodorus
Apuleius
Strabo
Funcius
A. Bucholzerus
Munſterus
Sabellicus
Pol. Virgilius
Phil. Camerarius
Gellius
Alex. ab Alex.
Poliænus
Cato
Crinitus
Nonius Marcel.
Stadius
Greg. Richterus
Alb. Gentilis
Macrobius
Typotius
Martinus Mylius
Fr. Patricius
Caſtellanus
Paradinus
Iſidorus
Muretus
Onoſander

Sineſius
Leo
Jovian. Pontan.
Varro
Peucerus
Mizaldus
Boëtius
Levin. Lemnius
Garcæus
Freigius
Cornel. Valerius
B. Seidelius
R. Goclenius
Gerar. Mercator
Lœlius Zechius
Chaſſaneus
Clapmarius
Warem. ab Erenberg
Stuckius
Pierius
Baſilius Imp.
Simmachus
Boiſſardus
Hadr. Junius
Budæus
Steph. Junius
Rollenhagius
Bornitius
Ortelius
Papir. Maſſenius
P. Ramus
Th. Zvingerus
Onuphr. Panvin.
AntiMachiavel.
Melchior Junius
Fr. Picolom.

Aud. Talæus
Latinus Pacatus
Atheneus
Marq: Freherus
Iſocrates
Math. Hoſtus
Jul. Firmicus
Qvintilian.
Suidas
Caſius
Pomp. Mela.
Heraclides
Turnebus
Iſidorus
Julian. Apoſtata
Demoſthenes
J. Gruterus
Godolovéus
Thomas Morus

HISTORICI VETERES, ET RECENTIORES.

Herodotus
Thucydides
Xenophon
Diod. Siculus
Plutarchus
Dionyſ. Halicar.
Livius
Jul. Cæſar
Saluſtius
Dion.
TACITUS
Diog. Laërtius

Juſtinus

Justinus
Strabo
Vell. Paterculus
SVETONIUS
Florus
Solinus
Am. Marcellin.
P. Diaconus
Val. Maximus
Josephus
Lampridius
Capitolinus
Spartianus
Polybius
Æ. Probus
Egesippus
Eusebius
Nicephorus
Dictis Cretensis
Cato orig.
Appianus
Philostratus
Aurel. Victor
Eutropius
Tzezes
Fenestella
Pomp. Lætus
Procopius
Nicetas
Cedrenus
Herodianus
Arrianus
Q. CURTIUS
Orosius
Vopiscus
Niceph. Gregor.
Aretinus

Zosimus
Zonaras
Xiphilinus
Evagrius
Hermol. Barbar.
Contarenus
Hugo Falcandus
Reiner. Reneccius
Ctesias
Achill. Tatius
Polyd. Virgilius
Joan. Magnus
Jos. Simlerus
Leonclavius
Blondus
G. Buchananus
Fr. Hotom.
Michaël Ritius
Petrus Jacobus
Nicol. Damascen.
Chytræus
Theod. Nihemius
Valla
Crantzius
Olaus
Nicol. Gruchus
Pausanias
Ælianus
Jovius
Panormitanus
Cuspinianus
Sigis. Baro ab Herberstein
Socrates
Nauclerus
Aventinus
Choniates

Laonicus Chalced.
Ruffinus
Min. Felix.
Sozomenus
Gaguinus
P. Cragius
Brisson. de regno Persar.
Bonfinius
Agathias
Cromerus
Statuta Polon.
Herbut. Hippol.
Saxo Grammaticus
Sleidanus
Peucerus
Mechovius
Greg. Turonensis
P. Cominéus
Jansonius
Sigonius
Joach. Curæus
Æn. Sylvius
M. Beutherus
Rodericus Toletanus
P. Oderbornius
Frossardus
P. Melanthonis Chron.
Bernard. Girard.
Guicciardin.
Marianus
Tilius
Munsterus

Th. Cha.

Th. Chaleneus
P. de Andlo
Wimphelingus.

POETÆ.

Virgilius
Ovidius
Plautus
Catullus
Tibullus
Propert.
Sophocles
Horatius
Epicharmus
Martialis
Sen. Trag.
Juvenalis
Persius
Hesiodus
Claudianus
Natal. Comes Mythol.
Scaligeri libri Poëtic.
Silius Italicus
Petronius
Val. Flaccus
Lucanus
Lucretius
Manilius
Janus Dousa
Aristophanes
Statius
Terentius
Homerus
Guntherus
Joh. Major
Cornel. Gallus
Euripid.
Prudentius
Menander
G. Buchananus
Ausonius
Henr. Meibom.
Pindarus
Theocritus
Theognis
Catonis Moralia
Nathan Chytræus
Elizabetha Joanna Westonia Virgo Angla.



Georgii Schönborner/ Sileſ. Phil. & J. U. D. Conſil. & Cancellarii Zollerini,

Liber I. Politicorum.

Cap. I.

Qvæ politicæ præſtantia, qvi finis.



Irtute politicâ præſtantiorem nullam homo adſeqvitur. Plut. in Cat. Maj. Illa enim maximè architectònica eſt. Ariſt. 1. Eth. Nic. 2. cæterisq; omnibus antecellit & præſcribit, qvatenus & qvomodo in Rep. ſint excolendæ & tolerandæ. Et ſanè quo nobilius politicæ ſubjectum eſt nempè Resp. eo illuſtrior eſt eius amplitudo : non enim privatum reſpicit commodum : ſed commune & publicum omnium civium, qvod eſt ἐν τῷ εὖ ϗ καλῶς ζῆν ut loqvitur Ariſt. 1. Pol. 1. Qvin ipſe qvoq; Auctor diſciplinæ huic ſummam impertit dignitatem! Deus enim eſt, qvi hominum animis inclinationem ad civilis vitæ ſocieta-

tem insevit: unde illud Philosophi, ἄνθρωπον τῇ φύσει ζῶον πολιτικὸν εἶναι. Aristot. 1. pol. 2. Deus est, qvi populi sui politiam fundavit legibus: Deus est, cujus lege immobilis rerum humanarum ordo seritur. Liv. lib. 25. qvi transfert & stabilit regna. Si finem spectas, nihil sanè rectâ Reip. constitutione & administratione potest esse dignius. Ut gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria: sic moderatori Reip. beata civium vita proposita est: ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit. Cic. 5. de Rep. Istud est vinculum, per qvod Resp. cohæret: ille spiritus vitalis, qvem hæc tot millia trahunt: nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur. Senec. 1. de Clement. Generosum ergo, & omni favore dignum est ingenium, cui cordi sunt disciplinæ politicæ. Socrat. apud Xenoph.

Cap. II.

Qvæ politicæ notatio, qvæ definitio, & præceptorum nostri operis Dispositio.

Politica ἀπὸ τῆς πόλεως à Civitate dicitur, qvam Cicero plerumq; vocat Remp. Unde politici dicuntur illi, qvi præditi sunt scientiâ administrandi Remp.

Politica est prudentia benè de Rep. judicandi, eamq; rectè constituendi, & ad salutem civium administrandi. De eo quæritur, an certis possit concludi præceptis: cùm tanta videatur inesse varietas, qvæ

certis

certis cancellis & metis perfici haud facilè poſſit. Verùm qvemadmodum Jurisprudentia legitimis & inter ſe cohærentibus præceptis poteſt deſcribi, qvod egregie à multis comprobatum eſt: Ita politica, qvoniam in illâ major qvàm in hâc, actionum occurrit varietas. Non tamen apodictica, ſed tantùm probabilia expectabimus. Forma noſtri operis talis eſt: In politiâ conſidero 1. Reip. conſtitutionem. 2. Adminiſtrationem. 3. Everſionem. De conſtitutione Rerump. lib. 1. diſſeritur. Adminiſtratio eſt vel togata vel militaris. In togatâ conſidero I. efficientem cauſam, ſive modos, qvibus ea deferri ſolet. II. Subjectum, nempè Magiſtratum, eumq; vel probum, ejusq; munia, vel improbum ut Tyrannum. Lib. 2. III. Perpendo adminiſtrationis formam, qvæ eſt in ſanctione legum, Cuſtodiâ diſciplinæ publicæ, & Exercitio jurisdictionis. IV. Adjuncta bonæ adminiſtrationis, Perſonas nempè & res. Perſonas qvidem adminiſtrationem juvantes partim Conſilio, ut Conſiliarios, partim expediendis legationibus, ut Legatos, partim obſeqvio, ut Subditos. Atq; de his conjunctim lib. 3.

Res ad adminiſtrationem pertinentes conſidero alias domi, alias foris comparari ſolitas. Domi ſunt Munimenta qvibus innititur adminiſtratio, ut ſunt Opes, Arma, Arces, Coloniæ &c. Foris ſunt fœdera. Et de his lib. 4. V. In adminiſtratione ſpecto ſpecies. Alia enim eſt Monarchica, alia Ariſtocratica, alia Democratica. His adnecto deſcriptionem ſtatûs S. Rom. Imperii. Hæc libro 5. Libro ſexto de militari diſciplinâ, & ſeptimo de Everſionibus Rerump. tractabitur Methodicè. In tabulis ſingulorum librorum Diſpoſitio patet. Pauca ſunt qvæ dicentur: ſed ſi illa animus benè exceperit, convaleſcent, & exſurgent. Eadem qvippe præceptorum conditio, qvæ ſeminum: multum efficiunt, etſi anguſta ſunt: tantùm idonea mens

 rapi-

rapiat illa & in ſe trahat. Multa invicem & ipſa generabit, & plus reddet qvàm acceperit. Senec. ep. 38.

Cap. III.

Qvibus adjumentis adſeqvamur politicam prudentiam.

EGregiè Seneca conſulit Epiſt. 37. Si vis tibi omnia ſubjicere, te ſubjice rationi: Multos reges ſi ratio te rexerit, ab illâ diſces, qvid & qvemadmodum aggredi debeas. Fieri enim non poteſt, ut alios regat, qvi ſibi ipſi frenum injicere nequit. Id verò facilè ex uſu, hiſtoriis, peregrinatione, & converſatione cum ſapientioribus addiſcitur. I. Uſus omnium Magiſtrorum præcepta ſuperat. Cicero de Orat. Et experientia, qvæ ut in aliis, ita hic μαθήσεως ἀρχή. Qvisqvis ergo in re civili intelligens haberi volet, opus ei experientiâ. Ariſt. 10. Eth. ult. II. Hiſtoriarum variarum accurata cognitio plurimum adjumenti conferet. Diſces ibi tanqvam in ſpeculo ornare & componere vitam tuam ad alienas virtutes. Plut. in Timol. Omnisq; exempli documenta in illuſtri poſita intueberis, ut inde tibi tuæq; Reip. qvod imitére capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu qvod vites. Livius lib. 1. Hæc utiliſſima ad deliberationes publicas. Ariſt. 1. Rhet. 5. Nihil enim ſub ſole novum. Eccleſiaſt. 1. v. 10. Omnis enim res anterior poſteriori normam præminiſtravit. Tertullian. lib. 1. adverſus

verſus Marcion. cap.9. Obſerva orbem rerum in ſe remeantium : videbis in hoc mundo nihil extingvi, ſed vicibus deſcendere ac reſurgere : Rebus omnibus viciſſitudo debita: iisq; cunctis ineſt qvidam velut orbis, ut qvemadmodum temporum vices, ita & morum vertantur. Tacit.3.annal. Surguntq; alibi ſuccreſcuntq; novi homines & novus orbis. Lipſ.1.de conſt.c.16. Illa igitur omnia noſtris Rebusp. accommodare poſsumus. III. Peregrinatio modica plurimum confert adjumenti ad aſseqvendam hanc prudentiam. Modicam dixi : Perpetua enim iſta jactatio ægri animi eſt : Idq; primum argumentum compoſitæ mentis exiſtimo poſse conſiſtere & ſecum morari. Sen. epi.2. Aliâs non infrugifera eſt ad comparandam prudentiam civilem hæc via. Nam

Qvi ſapit, ille animum peregrino obdurat in orbe:
Coralium extra undas ſicabit in lapidem.

Cam.in Embl. Ut enim Coralium,

——qvo primùm contigit auras
Tempore, dureſcit: mollis fuit herba ſub undis.

Ovid. 13. Metam. Sic qvi domi adfixi ſunt ſuæ glebæ, molles plerumq; & delicatuli : Si liberiùs & longiùs à ſuo ſolo recedunt, indureſcunt ad varias fortunæ vices, & animus eorum veræ prudentiæ cortice obducitur. Multum enim profuerit, varias Resp. earumq; leges habere cognitas : ut & ipſi conſilia noſtra ſecundum eas dirigere poſsimus. IV. Converſatio cum Sapientibus eligenda eſt. Nulla enim res magis animos induit honeſtos, & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, qvàm bonorum converſatio. Paulatim

enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter aspici, freqventer audiri. Sen. ep. 6. Cum Catonibus vive, cum Lælio, cum Tuberone: qvòd si convivere etiam Græcis juvat, cum Socrate, cum Zenone versare. Sen. ep. 104. Hi tibi tradent divinorum humanorumq; noticiam.

Cap. IV.
De Reip. Definitione & ortu.

RESp. est ordo regiminis hominum, certis jubendi parendiq; legibus inter se bono publico, devinctorum. Essentia Reip. est in Personis vel imperantibus vel obtemperantibus, sibi invicem mutuis officiis obstrictis; Qvi præest, fidem & protectionem debet ei, qvi subest, hic illi obseqvium, amorem & honorem. Leges certas esse dico, qvæ constituunt Remp. nam si hæ absint, mera ἀταξία & confusio est, qvâ tetrius nullum est malum.

Hæc perdit urbes, ista perdit & domos
Vastasqve reddit, Martis in certamine
Hæc terga vertit, ritè sed parentium
Res servat, atqve vitam obedientia. Sophocl.

Bonum publicum addidi: nam moderatori Reip. beata civium vita proposita est. Cic. 5. de Rep. Qvemadmodum verò omnia entia esse suum dependens & participatum habent à summo illo Ente: Ita & Imperia ab unico hoc fonte. Patric. lib. 1. de Regno c. 11. Deus varias Rerump. formas, vices, & mutationes ordinat, gaudetq; distinctione Statuum, & ordinatâ hominum, pro diversitate donorum, in qvemcunq; eorum collatorum, dispositione. Neq; enim Epicuri probanda

banda est opinio, qvi homines temerè & fortuito casu coaluisse somniat. Cic. 1. & 2. de Nat. Deor. nec eorum qvi dicunt, homines initio instar pecudum in campis esse obvagatos, & longo seculorum decursu per Eloqventiam Oratorum ad societatem civilem colendam fuisse commotos. Sed qvæ causæ fuerint προκαταρκτικαὶ, dissidentes Auctorum sunt opiniones. Qvidam religionis causâ homines initio convenisse arbitrantur, edocti ex illo vulgato:

Utq; alios alii de relligione docerent,
Contiguas pietas jussit habere domos.

Alii metus causâ coivisse homines, societatemq; mutuam expetivisse putant, ut se munirent adversus potentiorum injurias: Alii instinctu Musicæ, qvod Orpheo adscribunt: Alii necessitatis causâ, ut vel tuti essent à cœli injuriis, vel artem coqvinariam addiscerent id factum volunt. De qvibus vide Dan. 1. pol. 3. Qvid verò Bodini tribuendum assertioni. 1. de Rep. c. 6. & 4. c. 1. qvi imperia omnia vi primùm cœpisse colligit, qvandoqvidem primus Nimrod in fundatione Imperii Assyriaci visus fuerit homines à domestico patrioq; cõmunionis jure ad publicam eamq; severam redegisse consociationem? Sanè non videtur hoc: Voluntarium enim est non violentum, qvòd homines inter se mutuorum officiorum causâ conveniunt. Qvid ergo est, qvod causam huic rei dederit? Naturalis hominum inclinatio est, divino afflatu incitata. Videmus eos, qvi præclaris à Deo ornati sunt donis, ad imperium gerendum qvodammodò generatos, qvo sensu Jason dixit, se obedire non posse, qvòd ad imperandum natus esset. Arist. 3. pol. 3. Et Themistocles declinavit à se suspicionem defectionis ad Persas, ex eo qvòd non esset verisimile, ipsum serviturum, qvi natus esset ad imperandum, Plut. in Themist. Cæteri infeliciores meliùs parent. Et nihil in toto hoc universo consistit absq; ordine, qvi est proprium naturæ effectum. Deniq; imperare & pa-

rére, non solùm necessariorum sunt, verùm etjam utilium. Arist. 5. Polit. 5:

Qvod verò melius, semper intendit natura: atq; etiam ideo homini articulatus sermo datus, qvi qvasi qvidam portitor animi nostri est, cujus communicationi civiles conventus indicuntur, artes coluntur, sapientiæ necessitudines homini cum hominibus intercedunt. Scalig. 1. Poët. 1. pr.

Reprehensione ergo digni sunt ἀπόλιδες isti, qvi à civili societate penitus abhorrent, & in latebris suis delitescunt. Qvid enim prodest recondere se, & oculos hominum auresq; vitare? Bona conscientia turbam advocat: mala in solitudine anxia est atq; sollicita. Si honesta sunt qvæ facis, omnes sciant, si turpia, qvid refert, neminem scire, cùm tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! Sen. ep. 91. Qvin ipsa quoq; solitudo multis occasionem dedit atrocissima perpetrandi delicta! Caino nempè, Davidi, Absaloni, fratribus Josephi, Lotho, & duabus ejus filiabus, aliisq; innumeris. Vitanda ergo ista: cùm omnia mala nobis persvadeat: nemoq; sit, cui non sanctius sit, cum qvolibet esse qvàm secum. Sen. Solitarios autem qvosdam fecit Natura, qvosdam fortuna. Fortuna societatis expertes declarat relegatos, deportatos, & qvibus aqvâ & igni interdictum est. Natura qvos tales fecit, hi vel præstantiores sunt, vel deteriores: Illi contemplationis studio avia & deserta eligunt, veluti Eremitæ, qvales Divus Hieronymus & Hilarion in desertis Syriæ: Onophrius Anachoreta: Thomas Aqvinas, & alii: qvibus accensendus Scipio Africanus, qvem duæ illæ res qvæ langvorem afferunt cæteris, acuebant, otium & solitudo. Cic. 3. offic. pr. Hi

Conscia. Vita solitana fugienda.

verò

verò μισάνθρωποι omninò execrandi ſunt. Dixi naturaliter homini eſſe inditum, ut ſimili cohabitet: Nunc videndum qvomodo certis gradibus ſocietas illa creverit. Primo omnium ſola fuit maritalis conjunctio: deinde tota domeſtica ſocietas coaluit: ex illâ integræ familiæ gentilitiæ, qvib. extraneæ acceſſerunt, ſic ut diſtinctis locis habitantes primò vicos, deinde pagos, pòſt oppida & urbes, deniq; provincias & regna conſtituerent. Vicus eſt communio ex paucioribus domibus collecta. Ex multis pagis oritur Civitas, in uno loco collecta, & commoditatibus majoribus ac ampliori ſecuritate inſtructa atq; munita. Ex pagis & urbibus longo intervallo inter ſe diſſitis conſtat diſtrictus ſive territorium.

Pagus
Civitas
Districtus

CAP. V.

De Rerumpublicarum Incrementis in genere.

CUm ſocietas hominum à natura ſit, facilè evenire potuit, ut commoditatibus qvibusdam oblatis, incrementa ſumſerint Reſpublicæ. Obſervandæ autem cauſæ incrementorum conſtituentes & impedientes.

Incrementa Rerump. adjuvant: I. Vicinarum Rerump. ruina. Hoc enim pacto Roma creſcit Albæ ruinis: duplicatur Civium numerus: Cælius additur urbi mons, & qvo freqventiùs habitaretur, eam ſedem Tullus regiæ capit, ibiq; deinde habitavit. Liv.lib.1.p.31. Ita Germani qvondam hoc proprium virtutis exiſtimabant, expulſos agris finitimos cedere, neq; qvenqvam prope ſe audere conſiſtere: ſimul hoc ſe fore tutiores arbitrabantur, repentinæ incurſionis timore ſubla-

to. Cæsar lib. 6. de bel. Gal. p. 162. II. Libertatis concessio. Civitas enim (Roma) incredibile memoratu est, adeptâ libertate, qvantum brevi creverit: tanta cupido gloriæ incesserat. Salust. in Catil. Nam omnes profectò liberi libentiùs sumus qvàm servimus. Plaut. in Captiv. III. Civium disparitas. Nam si in principio conditæ urbis conveniant in una mœnia homines dispari genere, dissimili linguâ, facilè illi coalescunt: exemplum refert Salust. in Catil. de Trojanis & Aboriginibus: & Liv. lib. 1. p. 10. IV. Studium armorum. Istud enim præstat cæteris omnibus. Patria, libertas, cives, atq; adeò ipsi Reges latent in tutelâ & præsidio bellicæ virtutis. Cic. pro Mur. Discat miles in otio, qvod proficere possit in bello: Animos subitò ad arma non erigunt, nisi qvi se ad ipsa idoneos præmissâ exercitatione confidunt. Theodoric. R. apud Cassiod. Et in ipsâ securitate animus ad difficilia se præparet, & contra injurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in mediâ pace sine ullo hoste decurrat, vallum jaciat, & supervacuo labore lassetur, ut sufficere necessario possit. Qvem in ipsâ re trepidare nolueris, ante rem exerceas. Sen. ep. 18. V. Concordia inter cives. Nam parvæ res per illam crescunt, magnæ dilabuntur. Micipsa ap. Sal. in Jug: qvâ non modò ii qvibus natura sensum dedit, sed etiam tecta, & agri lætari videntur. Cic. de l. Agrar. VI. Coloniarum deductio, ex iis gentibus, qvarum ingenia per naturam feruntur ad ædificia eleganter extruenda. Hoc enim solidum & firmum est Respublicas provehendi munimentum.

tum.Lipſ.4.pol.7.VII. Conceſſio immunitatum, quales hodie in exſtructione propugnaculi & novæ urbis Manheimiæ inter Rhenum & Nicrum, omnibus paſſim ibi larem fortunarum ſuarum conſtituere volentibus largitur ſereniſſimus Elector Palatinus. VIII. Deniq; mirè creſcet Reſp. ſi ſubditi alliciantur ad ædificia ſibi condenda in omnibus regni partibus: & magiſtratus materiam ædificandi illis præbeat.

Incrementa autem Rerump. impediunt I. Laxa diſciplina: Si nempè non corrigantur ea, qvæ qvidem pœnâ digna nondum ſunt, neglecta tamen aut inſuper habita multorum magnorum malorum cauſam præbent. Dion lib.52. II. Nimia divitiarum Cupido. Nam ut volucres dementat Hioſcyami gravis herba, ſic inſana ſtupent pectora divitiis. Et rectè Saluſt. ad Cæſ. Sæpè jam audivi, inqvit, qvi reges, qvæ civitates per opulentiam magna imperia amiſerint, qvæ per virtutem inopes creverant. Atq; ii demum penates, ea civitas, vel regnum excellenti in gradu facilè ſteterit, ubi minimum pecuniæ, Venerisq; cupido ſibi vindicaverit. Valer. Max. lib.4.c.3. III. Morum pravitas.

Nam ubi mores deteriores increbeſcunt indies,
Ubiq; amici qvi fideles ſient, neqveas pernoſcere,
Ubi qvid eripiatur, animo tuo qvod placet maxume,
Ibi qvidem ſi regnum detur, non eſt cupita civitas. Plaut. in Mercat. act. 5. IV. Deniq; Luxus. Is enim fungi in modum ſuffocat: ut Epicharmus Comi-

cus ait: Emaciati, tanqvam fungis ſuffocabimini. Et Camer. in Embl. Turpibus Exitum:

Cantharidum Roſa mors, ſic luxus deliciæqve
Enervant animos eripiuntqve virûm.

Cap. VI.

De Marito & Uxore.

SApientiſſimo Dei conſilio effectum eſt, ut cùm variæ ſint hominum ſocietates, nulla tamen vel dignitate præſtantior, vel vtilitate efficacior, vel jucunditate uberior exiſtat: quàm eorum qvi arctiſſima corporum animorumq; conjunctione ad individuam vitæ conſvetudinem colendam, coaluerunt. Deus eſt, qvi legib. hanc ſocietatem munivit: Deus eſt, qvi ſtimulos homini ad appetendam hanc conjunctionem in prima creatione indidit: Deus eſt, qvi non alio modo quàm per hanc ſocietatem genus hominum multiplicari juſſit: Deus eſt, qvi liberali hominum delectationi & adjumento per eam proſpicere voluit. Repugnant ergo illi divinæ ordinationi, qvi cùm ſocietatis hujus cultores eſſe poſſent, cælibem potiùs & μισογαμικὴν eligunt vitam: qvæ prudentioribus Legislatoribus non tantùm displicuit, ſed etiam pœnis coërcita eſt. Vox enim egregio principe digna eſt Hadriani in l. cùm ratio 7. ff. de bon. damnatorum, dicentis ſe malle hominum adjectione, qvàm pecuniarum copiâ ampliare imperium. Intelligebat enim princeps ſapiens, congeſtos pecuniæ acervos facilè ſubverti poſſe: familiarum & Reip. amplificationem, quæ fit per matrimonia, perpetuam párere gloriam. Non alieni erant ab hac ſententiâ Cenſores in Romanâ Rep. qvorum munus erat inter cætera populi ævitates, ſoboles familiâs cenſere, cælibemq; vitam prohibere.

Cic.

Cic.3.de LL. Ita Camillus & Posthumius Censores æra pœnæ nomine eos,qvi ad senectutem cælibes pervenerant, in ærarium deferre jusserunt. Val. Max. li.2.c.4. Atq; illud in eâdem Rep. vigebat,qvòd cælibes nihil ex civium Romanorum testamentis capere possent. Sozom. lib.1. c.9. Göd. ad l. 128. n.1. de V. S. nec ex mortis causâ donatione. l. 35. pr. de mort.caus.donat. Deforme qvippe erat liberos non habere, qvod rectè legum civilium fuit auctoritate multatum. Ambros.c.3. in Luc. Severa etiam apud alias gentes animadversio in cælibes usurpata legitur. Corinthii cælibes honore sepulturæ privabant. Gvevára in H.P. p. 221. Eosdem Argivi ex instituto Pherenei nullis munerib. præficiebant. Id. Lacones rigidiùs eos plectebant: nam & mediâ brumâ ex Magistratuum edicto jubebant forum vestibus spoliati obire. Plut. in Lycur: & ita circumeuntes cantione in seipsos compositâ fatebantur, se justa pati, quòd legibus non parérent: & à ludorum nudorum spectaculis arcebantur. Plut. in Apoph: & deniq; honore & cultu qvem juvenes senibus exhibent privabantur. Cragius lib 3. de Rep. Lac. Instit.1. Apud Athenienses festo die qvodam cælibes à mulieribus circum aram tracti, cædebantur flagris, qvâ ex ignominiâ ad dandam liberis operam excitarentur. Scaliger 3. poët. c.101. Hodie in ditione Palatinatûs Odenwaldt / qvi excesserunt 25. æt. annum, cælibatum professi dicuntur Hagestöltzen: eorumq; bona post mortem devolvuntur ad fiscum: qvòd annos suos consumserint & mariti & patris nomine vacuos. Verba sunt Val. Max. lib.2.c.4.

Non ergo audiendi illi, qvi Plautinum illud occinunt:

Qvi potest mulieres vitare, vitet, ut qvotidiè

Pri-

Pridiè caveat, ne faciat qvod se pigeat postridiè. Plaut. in Stich. Et iterum. (mulierem

Negocii sibi qvi volet vim parare, navem &

Hæc duo sibi comparato: nam nullæ magis res duæ

Plus negocii habent, &c. Id in Pænulo.

His respondet Erasmus in Misogam. Qvi vult vitare omnes molestias, vitet mundum: nihil enim omni ex parte beatum: & homines si sine uxore esse possent, omnes eâ molestiâ carerent. Gell. lib. 1. cap. 6. Verissimum qvippe est illud Musonii apud Stobæum serm. 55. Qvisqvis homines nuptiis privat, is abolet familiam, civitatem & totum genus humanum: qvod absq; generatione non potest permanere.

Magnâ verò circumspectione in eligendâ vxore opus est: ut & generis, & formæ, & ætatis, & morum, & deniq; reifamiliaris habeatur ratio. Etsi enim conjugia fato seu ordinatione divinâ fiunt, qvod ostendit historia Mosis Exod. 2. v. 16. & Eleazari Gen. 24. prudentiam tamen hominis non excludimus. Æqvalitatem verò ante omnia spectari necesse est: nam firmissima est inter pares amicitia. Curt. lib. 7. p. 168. Inæqvalium conjunctio haud stabilis & concors esse solet. Arist. 8. Eth. 1. & Ovidio benè monenti obtemperandum:

Si qva voles aptè nubere, nube pari.

Generis cura prima sit: ut ducatur ea, cujus parentes bonis moribus præstantes noveris. Consentaneum enim est, eam & probè educatam, & virtutis paternæ futuram imitatricem.

Dos est magna parentium Vir-

Virtus,& metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.Horat. 3.Od.24.Econtrà parentum improbitas ferè semper etiam in liberis residere præsumitur l. qvisqvis.§.1.C.ad l.Jul. Maj. Mali enim corvi malum ovum. Formæ verò,qvam naturæ privilegium Plato , donum fortunæ Diogenes, modici temporis tyrannidem Socrates , mutam commendationem Aristoteles dixerunt, Diog. Laërt. in vitâ Arist.lib.5. studendum maximè. Nam gratior est pulchro veniens è corpore virtus. Et egregia corporis species simulacrum est mentis,figuraq; probitatis : In cæteris autem, qvas naturæ errores qvàm homines veriùs dixeris, quæ nigriores formicâ,pice,graculo, cicadâ. Mart. lib. 1. p. 55. deformitas corporis cum turpitudine certat ingenii: adeò ut animus eorum dignissimo domicilio inclusus videatur. Vell. Pat.lib.2.p.66. Nec deterreat qvenqvam,qvòd

Pulchra brevi durat Rosa tempore,forma brevique
Tempore, sic formæ par rosa tempus habet.

Et illud Senecæ in Hippolyto:

Anceps forma bonum mortalibus
Exigui donum breve temporis
Ut velox celeri pede laberis!

Nam fruatur sanè hoc bono , qvamdiu frui Deus permittit, & cautus sit, ne qvo pacto labecula formæ aspergatur. Qvòd si fataliter qvid evenerit, audiat monentem Juvenalem Sat.13.

Ponamus nimios gemitus, flagrantior æqvo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.

Et Senecam epist.104. Unus est vitæ hujus fluctu-

antis & turbidæ portus, eventura contemnere, ſtare fidenter, apertè tela fortunæ adverſo pectore excipere non latitantem nec tergiverſantem. Interdum tamen illi etiam, qvi formâ vincunt Niveâ. Horat. epod. od. 15. inſigni impudentiâ & animi improbitate laborant.

Sæpè etenim occuluit pictâ ſeſe hydra ſub
herbâ,
Et nivea irrepſit furialis lilia vermis,
Qvin animus neqvam, atq; occulto crimine
plenus,
Sub ſpecie formæ incauto ſe ſæpè marito
Vendidit, & miſero tulit invida jurgia lecto.

Multis ſimulationum involucris tegitur, & qvaſi velis qvibusdam obtenditur uniuscujusq; natura: frons, oculi, vultus perſæpè mentiuntur. Cic. ad Q. Fr.

Qvid de Helenâ, ut nihil nunc dicam de cæteris, qvæ fœminis totius Græciæ pulchritudinis præripuit palmam! Cum gemitu reſpondet Horatius 3. od. 3.

——— Ilion, Ilion,
Fatalis, inceſtusqve judex
Et mulier peregrina vertit
In pulverem!

Is igitur, cui de meliore luto finxit præcordia Titan, non tantùm oculorum judicio ducendā putabit uxorem, ſed etiam aurium, Plut. in præc. connub. & de ætate ejus, qvam ducere in animo habet, erit ſolicitus.

Qualiter Uxor ducenda oculis aurib[us]

Ætas autem varia, à variis definita eſt, alia qvidem viris, alia fœminis.

Viris

Viris, ætatis trigesimum septimum definit Aristot. 7. pol. 16. ex opinione Poëtarum, qvi ætates hominum numero septenario distinxerunt: qvòd plerunq; in corporibus hominum, qvoad valetudinem, vigorem & robur corporis aliqva conspiciatur mutatio. Et hoc est qvod Solon qvintum septenarium conjugio aptum pronunciat. Philo. 2. de opif. Mundi ex eleg. Solon de 10. ætat. Plato annum trigesimum definit lib. 5. de rep. Hesiod. eundem. 2 op. & dier. qvod observatum est ab Ægyptiis. Xenoph. in Spart. Rep. Stob. Serm. 69. Cælius lect. antiq. lib. 25. c. 20. Germani veteres seram juvenum venerem volebant, Tacit. de Mor. Ger. & in turpissimis habebant, ante 20. æt. annum uxoris noticiam habuisse. Cæsar lib. 6. bel. Gal. Justinianus Imperator 14. præscribit. pr. tit. I. de nupt. qvem observatum suo tempore, nempè Severi Imperatoris scribit Tertull. in lib. de virg. veland. Leo Imp. in Nov. 109. decimum qvintum expresſit. Atq; hæc de virorum ætate.

Fœminis annos nubendi præscribit Arist. ab anno ætatis 18. ad an. 50. Plato à vigesimo usq; ad 40. Hesiodus annum 15. Justinianus 12. Macrob. lib. 1. de som. Scip. c. 6. Post annos bis septem ipsa ætas necessitate pubescit, tunc enim moveri incipit vis generationis in masculis, & purgatio fœminarũ: ideo & tutelâ puer, qvasi virile jam robur, absolvitur, de qvâ tamen fœminæ propter votorũ festinationẽ maturius biennio legibus liberantur. Rævard. lib. 4. Var. c. 10. Donell. 3 Com. j. civ. c. 14. p. 192. Jus Canonicũ hanc rem non ex annorum numero, sed ex potentiâ procreandi æstimat. c. puberes 3. de desponſ. impub. & minorem 12. annis interdum habet pro uxore legitimâ. c. à nobis 6. ext. de desponſ. impub. c. de illis 9. eod. Qvod juri civili

 repugnat

repugnat l. 4. ff. de ritu nupt. l. cùm hic status 32. §. Si qvis sponsam. 27. ff. de don. int. vir. & ux. Experientia etjam comprobavit, mares ante 14. ætatis annum generasse, fœminas autem 12. peperisse. Brunell. tr. de Sponsal. conclus. 4. n. 4. Bercholt tr. de grad. pag. 93.

Cavendum tamen ne immaturæ nimis contrahantur nuptiæ cum eâ, qvæ nondum subacta ferre jugum valet Cervice, &c. Horat. 2. od. 5.

Illi enim qvi juvenculas nondum viripotentes sibi adsociant, infinita sibi accersunt mala, lædunt valetudinem: damno afficiunt rem familiarem; qvam anteqvam didicerunt, tractandam susceperunt: deniq; prolem variis obnoxiam morbis suscipiunt, sæpiùs etiam ipsæ puerperæ partûs doloribus enecantur. Arist. 7. pol 16. Illud etiam in civitate observatione dignum, ne cui 50 annis minori nubere permittatur sexagenario, ne aberretur à præcipuo conjugii fine, qvùm qvinqvagenario majores ad concipiendum ineptas esse constet l. 27. C de nupt. l. 12. C de leg. hæred. Arist. 5. de hist. animal. c. 14. Cujac. 6. observ. 20.

Anno 60. æt. elapso viris potentiam gignendi evanescere, scribit Arist. lib. 1. de gen. anim. c. 18. Galen. de tuendâ sanit. lib. 2. Et Augustus simile qvoddam conjugium injustum pronunciavit, qvoniam non quærendorum liberorum causâ initum esset. Val. Max. lib. 7. c. 7.

Morum cura proximè hanc qvæ circa ætatem est excipiat: hi enim nobilitati etiam præferuntur, l. pronunciatum §. matremf. ff. de v. s. Tiraq. de Nobil. c. 3. 4 & 5. Nam qvod Seneca ep. 2. de amicis eligendis monet, his verbis: Diu cogita, an tibi in amicitiam aliqvis recipiendus sit: cùm placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loqvere quàm tecum: Illud ad electionem uxoris commodè trahimus: cum qvâ perfectissima nobis intercedere debet amici-

Amicus quomodo deligendus.

amicitia. Qvòd si amicus eligendus non est, nisi qvi cum modium salis absumseris, multo magis in ducendâ uxore idem observandum: qvia amicum, cujus te sacietas capit, cum gratiâ ejurare licet, uxorem non licet. Eo consilio Clisthenes Sicyoniorum tyrannus cum filiam Agaristam elocare vellet, convocatos ex variis gentibus procos annum apud se detinuit, singulorumq; mores probè exploravit: Et jam statuerat Hippoclidem eligere generum, cum ille indecentiore saltatione speratas desaltat nuptias, Herod. in Erato lib. 6. p. 367. Ea verò qvæ in moribus cujusq; consideranda veniunt, hæc ferè sunt.

Primùm. Non eligatur ea, qvæ se nimis ornat, polit, & fuco oblinit, cui vultus nimiùm lubricus aspici. Horat. 1. od. 19. Mulieribus qvidem olim permissus est ornatus, ut formam suam concinniorem efficerent. Val. Max. lib. 2. c. 1. Sed vitiosum ubiq;, qvod nimium. Illæ oculos Christianorum, graviter censente Hieronymo ep. 8. scandalizant potiùs, qvæ purpurisso & qvibusdam fucis ora oculosq; depingunt.

Mulier rectè olet, ubi nihil olet.
Nam isthæc veteres, qvo se ungventis unctitant interpoles
Vetulæ, edentulæ, qvæ vitia corporis fuco oblinunt,
Ubi se sudor cum ungventis consociavit: illico
Itidem olent, qvasi qvum unà multa jura confundit coqvus. Plaut. in Mostell.

Placent ergo mulieris illius apud eund. Plaut. in Pœn. verba, dicentis.

Bono ingenio me esse ornatam, qvàm auro multo malo.

Multa sunt mulierum vitia, sed hoc è multis
maximum est,
Cùm sibi nimis placent, nimisq; operam dant,
ut placeant viris.

Deinde eligatur ea qvæ pudicitiâ & verecundiâ ornata est. Harum enim virtutum præsidiis puerilis ætatis insignia munita sunt: harum respectu sincerus juventæ flos permanet, his custodibus matronalis stola censetur. Val.Max.lib.6.c.1. Et propria fœminæ virtus pudicitia est & pudor.

Pudor est metus reprehensionis: Pudicitia est constans abstinentia à venere prohibitâ. Scalig. lib. 3.poët.c.14.

Sed qvî nosces tales? Conjecturam capies partim ex sermone, partim ex incessu, partim deniq; ex convictu: Si sermo fuerit paulò liberior, & ad incentivum libidinis excitatior: si risus immoderatior, & effusior; Si oculorum obtutus lascivior, nam impudicus oculus impudici cordis est nuncius c nec solo 32.q.5. si incessus arrogantior, si deniq; eos, cum qvibus vivere solet, contempleris. Veteres eam credebant esse optimam, de quâ minimus foris haberetur sermo: Thucyd. Ideoq; Venerem pingebant insidentem cochleæ, ut mulieres à discursationibus abstinere discerent. Qvin imò naturalis pudor fœminas non omnibus passim sese manifestare concedit l. optimam 14. C. de contrah. & commut.stip. Parthi sanè fœminis non convivia tantùm virorum, verùm etiam conspectum interdicunt. Justinus lib.41. Apud Macedones mulieres à cœtibus virorum sejunctæ sunt. Justin. lib. 7. p. 61. Ipsi etiam Turcæ fœminas suas severè domi continent.

Hodiè

Hodiè proh dolor! multas ita educari videas, ut ad luxum jocumq; videantur esse natæ: qvibus instrumenta luxuriæ cariora sunt semper, qvàm decus atq; pudicitia, qvod de Poppæâ refert Tacit. lib. 14. annal. pr. Qvæq; lascivo corporis motu gaudent impensiùs.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artubus
Jam nunc, & incestos amores
De tenero meditatur ungvi. Horat. 3. Od. 6.

Certatur ingenti qvodam neqvitiæ certamine: major qvotidiè peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris æqviorisq; respectu, qvocunq; visum est, libido se impingit: nec furtiva jam scelera sunt, præter oculos eunt. Adeoq; in publicum missa neqvitia est, & in omnium pectoribus evasit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Sen. lib. 2. de Ira. c. 8.

Alium explorandi mulieres modum Plautus in Stich. exponit:

Ubi facilimè spectatur mulier, qvæ ingenio
est bona?
Qvoi malefaciundi est potestas, qvæ ne faciat
id temperat.

Nam natura fœminis qvidem
pectus instruxit dolis,
Sed vim negavit. Sen. in Octav.

Ideoq; illa laudanda maximè est, qvæ cùm licentiam habeat & occasionem delinqvendi, à pravo abstinet: & ita non tàm videri qvàm esse proba satagit.

Ultimo loco rei familiaris curam in eligendâ uxore adhibendam esse dixi. Uxor enim laborum periculorumq;

rumq; socia venit, idem in pace, idem in prælio passura, ausuraq;. Tacit. de mor. Ger. c. 6. Qvid enim tam humanum est, qvàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse? l. 22: §. 7. ff. solut. matrim. Levamen ergo onerum habeat maritus, ut dote datâ recompensentur conjugii molestiæ l. 7. pr. ff. l. 20. C. de jur. dot. In moderatâ autem dote acqviescendum potiùs, qvàm affectanda ea, qvam difficulter obtinere possis, vel obtentam cum dedecore possideas. Nam si libertatem magno æstimas, omnia parvo æstimanda sunt. Et qvod [l] Sen. ep. 104. in fin. Sen: ibid. opes auctoramenta servitutis vocat, id de dote amplâ dici commodè potest. Dotata regit virum conjux. Horat. 3. od. 24. Et ille apud Plaut. in Asinar. exclamat:

Argentum accepi dote, imperium vendidi.

Qvod evitare conatus est Martial. sic enim scribit:

Uxorem qvare locupletem ducere nolim
Qværitis? uxori nubere nolo meæ.

Æqvalitas autem in dote spectanda est. Plato de Rep. qvod à Gallis olim observatum: teste Cæs. lib. 6. bell. Gall. p. 124. Viri, qvantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis æstimatione factâ, cum dotibus communicant: hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur: fructusq; servantur: uter eorum vitâ superârit, ad eum pars utriusq; cum fructibus superiorum temporum pervenit. Et prudenter in qvibusdam rebuspublicis ordinatum, ut certæ sint de dotibus leges, ne dotium magnitudine domûs exhauriantur: & moderatâ dote fœminæ ad obseqvium virorum redigantur. Jure divino dos 20 siclis æstimatur, Deut. 22. ℣. 29. Apud Vene-

tos si patricius plebeiam duxerit, dos non excedit 2000. aureos. Apud Massilienses dos maxima est aureorum centum: teste Strabone & Bodino. Plato 3. de rep. 50. drachmarum dotem constituit.

Certas de dotib. leges reqvirimus: qvarum numero non agnoscimus illam reip. utilem futuram, si indotatæ nubant mulieres, qvod Spartanis ex instituto Lycurgi in more positum erat. Justin. lib. 3. Qvâ enim ratione alere posset uxorem maritus, eamq; tueri nisi sublevaretur dote? Verissimum enim illud Horat. 2. Serm.

—— divina humanaq;
Pulchris divitiis parent. Et qvæ opum vis sit & efficacia, non tam monitis poëtarum Petronii Arb. in Satyr. Horat. 2. Satyr. 2. Ovid. eleg. 3. &c. aliorumq; auctorum, discitur, qvàm usu & experientiâ asiduâ Cavendum tamen providè: ne protinus ad centum, de moribus ultima fiat Quæstio. Juven. Sat. 3. Qvod qvidem passim hodie magno Reip. malo usu receptum est:

An dives, omnes qværimus: nemo an bonus,
Non qvare & unde: qvid habeant, tantùm rogant. Senec. ep. 115. p. 264.
Hic cum malâ famâ facilè nubitur
Dum dos sit, nullum vitium vitio vertitur.
Plaut in Persa.

Nunc, qvod tempus contrahendo matrimonio idoneum esse videatur, attingendum est: atq; in eo mos hodiernus à veteri discrepat. Majo mense Plutarchus non nupsisse priscos tradidit: Ovidius malas tantùm eo mense nubere solitas: Viduæ festis tantùm diebus nubere adsvetæ: Virgines diebus cæteris: non tamen iis qvi vulgò inauspicati habebãtur, nempe postridiè Calendarum, Nonarum & Iduum. Persæ non nisi vere inibant matrimonia: Lacedemonii noctu. Scalig 3. Poët 101. Hodie qvodlibet anni tempus, præter qvadragesimale, receptum est.

Ritus nuptiarum penè superstitiosi fuerunt. Tres dies illis ritibus peragendis plerumq; destinati: qvid singulis diebus gestum sit, paucis notabimus.

Dies primus Græcis προαύλια, desponsationi Virginis tribuebatur: qvæ contrahebatur mutuis stipulationibus: & inde Sponsoris & Sponsi promiscua nomina. l. 2. & 3. ff. de Sponsal. l. 4. C. de Sponsal. qvæ res causam dedit, ut omnis stipulatio promissioq; sponsio diceretur. l. 7. de V. S.

Variæ autem apud varios populos in despondendo solennitates adhibitæ: Macedones, Thraces, Triballi, in conventione, panis, gladio divisi, gustabant particulam: Teutones radebant capita: Pannones lares argenteos, Sicyonii calceos, Cimbri prosegmina ungvium sibi invicem mittebant: Numidæ lutum temperabant ex utriusq; sputo, & collinebant frontem: Armenii aures, Elamitæ digitos annulares incidebant, & sangvinem mutuò libabant. Gvevára in H. P.

Dies alter appellabatur ἀπαύλια, in qvo fiebant nuptiæ: certis solennitatibus adhibitis: Rem divinam primò faciebant: auspiciis observatis, & porco in honorem Junonis immolato: nam publicè privatimq; nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumto Val. Max. lib. 2. cap. 1. Hostiæ exemtum fel circum aram projici solitum, cæteræ autem partes adoleri, qvod exspectationem faceret futuræ inter conjuges tranqvillitatis. Dehinc deducebatur Sponsus à paranympho in ædes soceri: cumq; existimarent aqvam rerum omnium elementum esse, ignem verò formam: utrumq; in limine positum ab utroq; manu tangebatur. Ipsaq; nupta ejusdem aqvæ aspersione lustrabatur: Tum ex eo igne faces accensæ, ex pino arbore confectæ; jam inde comebatur Virgo: cuj⁹ coma hastæ cuspide dis-

Lactant. lib. 2. divin. Instit. c. 10. & Scævola in l. pen. §. virgini ff. de don. int. vir. & ux.

discriminabatur: Velum lutei coloris capiti ejus obducebatur, ne pudor virginis proderetur: Ferreum ibi annulum sine gemma dabat ei Vir: Gemma aberat, vt rei describeret simplicitatem: materia constantiam, forma vinctionem perpetuam notabat; Sponsa verò ex tribus assibus, qvorum unum in manu, alterum in pede, tertium in sacciperio ferebat, primum Sponso dabat, qvasi eum sibi illo precio coëmtum esset habitura: alterum in foco Diis laribus deponebat, tertium in vicino compito defodiebat. Boët. in Topic. Hotom. in Com. verb. jur. pag. 385. Far qvoq; tostum præferebant. Plin. lib. 18. cap. 3. Nova nupta in gremio mariti jacebat; qvâ de re Juvenalis ingens, inqvit, Cœna, sed & gremio jacuit nova nupta mariti. In convivio vel cœnâ cibos Venerem acuentes proponebant; fœminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Inde ducebatur Hymenæus cum choreis: præferebatur Asparagus puero præcinente h. cantilenam ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. Deinde Sponsa per pronubam ad genialem ducta lectum: qvo loco Sponsus dona qvædam conferebat in Sponsam: adsistebant faciferi, & duo prætereà, qvi colum cum lanâ, & fusum ferrent cum stamine, tanqvam operis in qvo futura esset auspicia. Mox Zona soluta Sponsæ: erat cingulum ex ovillâ contextum lanâ, & Herculaneo nodo nexum: Intereà nuces spargi solitæ, ut ostenderent omittendas animi laxationes, novaq; Oeconomiæ studia auspicanda. Est enim nucum lusus pueritiæ conveniens, grandioriq; ætati indecorus. Pers. Sat. 1.

— & nucibus facimus qvæcunq; relictis
Cùm sapimus patruos, &c.

Tertius dies Græcis ἐπαύλια, qvasi nuptiarum appendix, dictus, Latinis Repotia. In qvo Sponsi affines de

suo convivium instruebant: tum clavis tradebatur Sponsæ ad dominium potiùs atq; possessionem, qvàm ad designandam, ut ajunt, partûs felicitatem.

Novæ nuptæ mariti domum intrantes adipe postes inungebant. Plin. lib. 28. c. 9. unde uxores qvasi unxores dictæ. Serv. 4. lib. Æn. & in atrio domûs ad ipsam januam lectum sibi sternebant, qvi adversus dictus. Propert.

Seu tamen adversum mutarit janua lectum,
Sederit aut nostro cauta noverca toro.

Unde duorum fratrum uxores dicuntur janitrices, apud Græcos εἰνάτηρες, qvòd pariter adversum lectũ januæ sternere, in eoq; cubare tanq̃ custodiæ causâ solerent.

Nunc de officiis mariti seqvitur tractatio. Hęc sunt partim in præstatione debiti naturalis, partim in subministratione alimentorum: partim in defensione, partim deniq; in gubernatione domesticâ.

Præstationem debiti naturalis priore loco collocavimus. Parentes enim liberorum procreandorum animo & voto uxores ducunt, ut ex prole diuturnitatis sibi memoriã in ævum relinqvant: l. 220. §. 3. ff. de V. S. habeantq; præsidium in adversis, oblectationem in secundis. Sophocl. Non ergo ad fovendam perpetuam virginitatem contrahendæ nuptiæ, qvales habuit Henricus II. Imp. cum Cunigunde Franconicæ stirpis Palatinâ. Peuc. 4. Chron. p. 778. & Boleslaus Pudicus Rex Poloniæ, cum Cunigunde Belæ Regis Ungar. filiâ. Mechov. lib. 3. c. 38. Paria enim sunt non habere maritum, & habere maritum inutilem. gl. in l. plagiarii. C. ad l. Fab. de plag. Eo verò casu, maritus cùm solvendo non est, uxorem non debet communicare alteri, aut eam permutare: Qvid enim lenocinio similius? qvid affectioni conjugali magis contrarium? An Augylas excusabimus? qvi fœminas suas primis noctibus nuptiarum adul-

adulteriis cogunt patére, mox ad perpetuam pudicitiam legibus ſtringunt ſeveriſſime. Solin c.41. De Laconibus qvid dicamus? hi in communicandâ uxore faciliſſimi erant. Xenoph. de Spart. Rep. Qvid de Saracenis & Arabibus? qvi uſuarias alebant fœminas, Strabo lib. 16. Qvid de Babyloniis? qvi liberos conjugesq; cum hoſpitibus ſtupro coire, modo precium flagitii daretur, patiebantur. Curt. lib. 5. p. 82. Qvid de Germanis priſci ſeculi? qvi uxorem ut mercem permutabant. | Cæſ. lib. 4. de bell Gall. Qvid de Britannis? apud qvos uxores habent deni duodeniq; inter ſe communes, & maximè fratres cum fratribus, & parentes cum liberis. Si qvi ſunt ex his nati, eorum habentur liberi, à qvibus primùm virgines qvæq; ductæ ſunt. | Cæſ. lib. 5. de bell. Gall. Hi inertiſſimi omnes fuerunt, & pro capite habuerunt cucurbitam, & peponem loco cordis, ut eſt proverb. apud Tertull. lib 4. adverſ. Marcion. c. 40. & commiſeratione potiùs qvàm refutatione digni ſunt. Perpetua enim vitæ conjunctio inter conjuges eſſe debet, donec vitali fruuntur aurâ, ſive lætis ſive triſtibus rebus ingruentibus.

Alimentorum ſubminiſtratio ſuccedit: qvæ & exhibitio alimentorum à noſtris dicitur. l. 1. §. æqvè ff. de mun. & hon. l. Neſennus 34. ff. de neg. geſt. l. inſulam 42. §. uſuras. ff ſolut. matri. Alimenta autem alia nutritioni, alia corporis cultui inſerviunt: Illa nutriunt & ſuſtentãt corpus, & dici poſſunt cibaria. l. 6. l. 21. ff. de alim. & cib. leg. hæc ambiunt atq; tuentur. Göd. ad l. 44. n. 5. de V. S. Utraq; præſtare uxori maritus tenetur, ex lege naturæ: qvi enim ſuos nõ alit, deterior eſt Ethnico. 1. Tim. 5. & q alimẽta ſubtrahit, necare videtur. l. 4. ff. de agnoſ. lib.

Nihil

Nihil nobis natura jucundius, nihil charius esse voluit, nihil dignius, in qvo omnis nostra diligentia indulgentiaq; consumatur. Cic. act. 3. in Verr. Qvod si à marito intermissum fuerit, lucro dotis privandus est. Bald. in auth. an data. C. de donat. ante nupt. Caveat tamen maritus, ne liberali sumtuum erogatione impotenti sexui ansam præbeat superbiendi, & cæteras ordinis sui fœminas exqvisitiore vestitu antecellendi: Rem enim familiarem subvertit

——vitium rebus solenne secundis
Virtutumq; ingrata comes Superbia. Claudian. lib. 2. de Stilic. laud. Et ipse Paulus 1. Timoth. 2. ℣. 9. amictum honestum, non luxuriosum, fœminarum esse debere præcipit.

Defendere etiam uxorem maritus tenetur. Nam uxores defendi à viris, non viros ab uxoribus, æqvum est. §. 2. Inst. de injur. l. 2. ff. eod. Qvod in tantum verum est, ut non tantùm agere prohibeatur uxor nomine injuriæ mariti. d. l. 2. l. alienam. C. de procur. Sed etiam maritum absentem non possit defendere. l. 4. C. de proc. Wes. consf. 43. n. 137. Jure Saxon. defensio hæc ad curatelam uxoris legitimam refertur. Landrecht lib. 1. art. 31. & lib. 3. art. 45. Treutl. 2. disp. 6. th. 7. 1. Jure civili in eo potissimum versatur, ut si qva injuria uxori illata sit, maritus agendi potestatem habeat. d. l. 2. Vigel. M. 1. C. lib. 22. c. 12. reg. 8. Et si maritus cùm uxorem defenderet, aliqvem aggressorem occiderit, observato moderamine inculpatæ tutelæ, pœnam ideò non incurret. arg. l. 1. §. idem Divus ff. ad l. Corn. de sic. Göddeus in explic. l. 3. de Just. & jure. axiom. 4.

Administratio deniq; regiminis domestici viro incumbit: ut suo consilio œconomica procuret negocia: mandet, jubeat, qvid fieri velit. Qvòd si maritus uxoris imperio paret, natura ipsa invertitur, & abjectissimi ingenii

genii virum notat. Nemo excelſiore indole præditus illi jugo ſeſe facilè ſubmiſerit, aut ſi ſe ſubmiſerit, nec viri nomine dignus cenſendus eſt: niſi fortè exemplo Socratico ideò hoc fiat, ut qvis patientiæ ſcholam domi habeat, qvâ exterorũ injuriis ferendis aptior reddatur. Sed apage cum iſto doctrinæ genere: qvod viro perpetuam inurit infamiam. Magna Dacor. contumelia erat, cùm adverſus Baſtarnas Sarmatiæ Européæ populos ad Boryſthenem fl. qvorum mentio fit apud Plin. lib. 4. cap. 13. Strab. lib. 7. pol. lib. 3. c. 51. malè pugnaſſent: ad ultionem ſegnitiæ capturi ſomnum capita loco pedum ponere juſſu regis cogebantur, miniſteriaq; uxoribus, qvæ ipſis anteà fieri ſolebant, facere. Juſtin. lib. 33. p. 202. Et multos foris claros domeſtica deſtruxit infamia, & ne maximi cives haberentur, hoc effecit, qvòd mariti minores eſſent. Plin. in Paneg. Traj. Qvid Samſoni heroi turpius, quàm qvòd Dalilæ monitis morigerum ſe præbuit? Jud. 16. Qvid Salomonem, in qvo ſapientiæ theſaurus reconditus, magis dedecore affecit, qvàm qvòd concubinarum juſſu idololatriam exercuit? 1. Reg. 11. Qvid Herculem tot monſtrorum domitorem magis contemtui obnoxium reddidit, qvàm qvòd ad lanificium compulſus eſt ab Omphale uxore? Achab impiæ Jezabelis conſilio & impulſu adeò furit, ut Prophetas Dei trucidare non ſit veritus. 1. Reg. 16. Qvid de cæteris, qvorum longus poſſet texi catalogus, dicendum? Antonius, Ninus, & ipſe etiam Juſtinianus Imperator. Iſtorum omnium nomina poſteritati eſſent venerabiliora, ſi abſq; hâc maculâ vixiſſent. Omniũ verò illorum turpitudinem Seras, populos Scythiæ Aſiaticæ: de qvibus An. Marcellin. lib. 13. ſuperaſſe, prodidit Epiphanius lib. 3. hære. c. 6. Viri illi nominetenus fuerunt, muliebria enim munia tractarunt, curando culinas, penſos trahendo, liberosq; educando: mulieres contrà virilibus

virilibus occupatæ fuerunt officiis. Qvod Ægyptios etiam factitaſſe ſcribit Herod. lib. 2. & noſtrâ ætate nendi morem Seguſianis uſitatum eſſe refert Henr. Steph. in apol. pro Herod. p. 51. Hi γυναικοκρατούμενοι cum Sardanapalo perpetuâ flagrant infamiâ, digni frivolis ſuccumbere cœptis.

In regimine a. illo domeſtico rectè adminiſtando, non nimis aſperū ſe oſtendat maritus: Si immorigera uxor eſt, modicâ caſtigatione uti poterit, non violentâ & tyrannicâ. Nam qvod de Gallis legitur, viros in uxores, ſicut & in liberos vitæ necisq; habere poteſtatem, Cæſ. lib. 6. de bel. Gall. p. 124. ab humanitate alienum eſt. Qvemadmodum & illud, qvod de Germanis dicitur, licuiſſe marito autoritate privatâ ſeveriſſimè in uxorem animadvertere: Accisis crinibus, inqvit, nudatam coram propinqvis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. publicatæ enim pudicitiæ nulla venia, non formâ, non ætate, non opibus maritum invenerit. Tacit. de mor. Ger. c. 6. Eſt qvidem hoc à naturâ qvibusdam inſitum mulieribus, ut,

Si benè qvid facias, levior plumâ ſit gratia,
Si qvid peccatum eſt, plumbeas iras gerant:

Plaut. & propterea canino more latrent: flagrantes & minaces oculos habeant, labia qvatiant, dentes comprimant. Sen. 1. de Ira. c. 1. Sed his frena danda ſunt, ne ſi pares eſſe cœperint, continuè ſuperiores eſſe velint. Cato in orat. pro L. Oppiâ. Atq; ut crudelem facit Medicum intemperans æger: ita Maritum ſeveriùs coërcentem procax & malitioſa uxor. Rarò tamen ad verbera deſcendendum eſt: qvis enim tam ſui negligens, qvi ſeipſum verberibus afficiat? qvippe non alia

alia mariti, alia uxoris, sed una eademq; persona utriusq; esse intelligitur. ar. l. penul. ff. de usufr. leg. Et uxor est pars corporis mariti. c. admonere 33.q.2. Omnia priùs sapientem qvàm pugnis experiri oportet: Si nil proficient monitiones mariti & propinqvorum, cognitionem sibi sumat aut Magistratus, aut loco illius Consistorium, litibus connubialibus, in plerisq; Rebuspublicis, decidendis ordinatum: qvemadmodum olim in sacello Deæ viriplacæ redigebantur ad concordiam Val. Max. lib. 2. c. 1. Concordiâ maritali nihil potest excogitari beatius.

Felices ter & amplius,
Qvos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsos qverimoniis
Supremâ citiùs solvit amor die. | Hor. 1. od. 13.

De mariti officiis hactenus: nunc qvalem se uxor gerere debeat delineabimus.

Officium uxoris versatur 1. in præstatione debiti naturalis. 2. in exhibitione honoris & obedientiæ 3. ut unum idemq; habeat cum marito domicilium 4. ut gratam viri defuncti memoriam retineat. Qvod ad naturale debitum attinet, sciendum est, maximum ac præcipuum fœminarum munus esse concipere, & tueri conceptum. l. quæritur. 14. §. 1. ff. de ædil. edict. l. ambiguitates 2. §. 1. C. de indictâ viduit. toll. Nec enim ob aliud, ait Augustinus, fœmina nubit, qvàm ut mater fiat, unde & matrimonium ominis causâ dictum. Tuebitur autem rectè, si abortui causam non dederit, vel per cincturam nimis strictam, ut Coriolani neptis, vel per saltationem immodicam, ut Curii triumphantis soror: vel per variorum ciborum ingurgitationem, ut soror C. Duillii:

vel

vel deniq; per consternationem subitam, ut Julia C. Cæsaris filia Pompei uxor.ap. Val. Max. lib.4.c.6. Gvevára in Horol.princ.p.277. Qvid de ea qvæ partum abegit? hæc in temporale exilium datur, si fœtus nec dum 40. dierum sit l.4.& ibi.gl.ff. de extraord. crim.qvòd si major fuerit, cùm vivere præsumatur, legi Corneliæ de Sicar. potiùs, qvàm l. Pompeiæ de paricid. locus erit.l.1. ad l.Pomp. de paricid.l.pen.C.de sicar.l.39.de pœn. Partum humanâ figurâ in lucem editum hilariter excipiat, non fletibus, ut olim Thraces, de qvibus Valer.lib.2.c.1. Solinus cap.15.pr. eumq; non exponat aut abjiciat crudeliter, qvod facere solent prostibula, qvibus potior est cura famæ qvàm conscientiæ. Ita Romulus & Remus alienæ misericordiæ objecti: qvibus id à lupâ exhibitum est, qvod ab hominibus denegatum. Liv.lib.1.p.11. Sic Cyrus. Justin. lib.1. Sic Gargores Regis Curetum filius, tenelli adhuc & sangvinolenti abjecti ad pecora. Idem lib.44. Sic Moses in Nili cataractam projectus est. Exod. 2. ℣. 3. Sic Hiero, qvi Syracusanum regnum deinceps tenuit, ex ancillâ natus, ac propterea à patre velut dehonestamentum generis expositus fuit: sed parvulum & humanæ opis egentem, apes congesto circa jacentem melle multis diebus aluère. Justin. lib.33. p.164. Sic Paridem expositum per dies qvinq; ursæ lac suxisse memorant. Sic Ægysthum ejectum à capris enutritum tradunt. Nat. Com.6. Mythol.23. Dixi de fœtu humanâ formâ nato non abjiciendo: Nam si qvid monstrosum aut prodigiosum mulier ediderit, cùm nihil homini simile insit, abjectio permittitur.l.38.l.135.ff.de V. S. l.14. de Stat.hom.l pen. C.de hæred. inst. Hoc consilio Mauritius Imp. Christianus enatum suo seculo monstrum occidi præcepit, eiusq; factum ab Ecclesiâ probatum est. Niceph. lib.6.hist.38. Et Lycurgus monstrosos partus occidi jussit. Plut. in Lyc.

Gomez.

Gomez.3.Var.resol.c.3.n.32. Observandum tamen, ea qvæ nimis insolenti, rarâ & variâ, nimisq; à notarum formâ rerum discrepante specie eduntur, absq; dubio vel divinitùs conformari: ut ceu effigurent ac pingant regnorum, gentium aut tyrannorummores, aut secuturas mutationes: vel ex depravatis, Diaboli arte perfici.

Peuc. de divin. p. 441. vid. Jul. Obseq. de prodigiis.

Partu legitimè edito, proximum est ut mater suis uberibus infantem alat: ideò enim binas mammas natura illi tribuit: nec permittere debet, nisi in casu infirmitatis, ut nutricationis officium demandetur cuidam vetulæ; ne cum lacte illo exsucco mores illius (qvi plerunq; in deterius vergunt) infans imbibat. De priscis Germanis Tacitus c. 6. Sua qvenq; mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Hodie pessimâ consvetudine invaluit, ut matres nutricationis officium delegent aliis: existimantes dedecori sibi esse, si ipsæ hoc munus subeant. Erubescit fieri nutrix qvæ facta est mater. Chrys. in ps.50.Hom.1. At cuinam mulieri dedecori esse potest lactare filium, qvem ex propriis visceribus eduxerit, novemq; integris mensibus plus minúsve in penitissimis, abditissimis, reconditissimis uteri recessibus proprio sangvine aluit? Cic. in orat. pro domo.

Secundo loco ad officium Mulieris referimus præstationem honoris & obedientiæ: Honorem marito debet, ex præscripto Apostoli. Ephes. 5. ℣.22. maritus enim caput est: atq; ei, quod præstantius est, honor semper deferri solet. Sic Abrahamum Patriarcham non alio qvàm Domini nomine compellavit Sara: Sic illa apud Paulum, in l. ea qvæ.57. de donat.int.vir.& ux. maritum dominum vocat carissimum: & illa apud Scævolam in l. Lucius 88. §. 2. ff. de legat. 2. Vice versâ mariti etiam uxores solent

vocare dominas, l.uxorem 41. pr. de leg.3. l. Titia 19.§. qvi Marito de ann. leg. l.ult. §.1. de aur & arg.leg. Hinc nuptiale jugum in l. hæc conditio. 10. ff. de cond. & demonst. nec ideò abjecti animi viri censendi sunt, qvod placuit Tiraq.l.4. connub.gl.1.n 11. qvem refutat Garsias tr.de conjug.acqvæstu.n.24.&c.

Honoris illius seqvela & pars est, ne erga maritum suspiciones ex levi causâ concipiat, & Zelotypiæ, qvi extremus supremusq; omnium affectuum in fœminâ. Scalig.3.poët.14. sese subijciat. Præterqvàm enim qvòd ea res occasionem præbet alienationis animorum, pericula etiam non levia inde nasci solent. Ovid. 7. Met. de Procry à Cephalo marito inscio jugulatâ:

> Ne cito credideris, qvantum cito credere lædat,
> Exemplum vobis non leve Procrys erit.

Eandem sortem experta est Leucoma Cyanippi uxor: & aliæ, de qvibus Phil. Camer. in med. hist. cap. 53. p.234.

Obedientiam etiam marito uxor debet: Hoc enim pacto familiaris res augebitur.

> Modestè viro obviam eat, dicendo Domine adsum.
> Impera qvidvis, neq; tibi ero in morâ, neq; latebrosè me abs tuo
> Conspectu occultabo: Plaut.in Trinum.

Tertio. Uxori convenit, unum idemq; cum marito habere domicilium,

> Ne vagus à thalamis conjugis erret amor.

Martial. lib.12.in fin.

Mulier enim nubendo mutat domicilium: & mariti forum sortitur l. 19. de jurisdict. Domus enim mariti est domicilium matrimonii, l. 5. in fin. de R.N.l. 5.C. de do-

donat. ante nupt. Husanus tr. de hominib. prop. cap. 5. n.48. Et individua illa vitæ societas non permittit, ut aliud uxoris, aliud mariti sit domicilium. l. ult. C. de incol. Dotemq; ibi exigere mulier debet, ubi maritus habet domicilium l.65. de judic. Qvapropter vituperanda Caricarum mulierum consvetudo, qvarum nulla cum marito cibum capit. | Herod. lib.1. pag.60. | Sponsa verò ante contractas nuptias non mutat domicilium. l.32. ff. ad Municip. Sed tenebitur ne uxor Maritum vagabundum sequi? Utiq; si tempore contracti matrimonii sciverit, maritum talem esse: Serò enim accusat mores mariti, qvos nubendo comprobavit. Si verò uxorem hoc latuerit, vix est, ut compelli debeat vagabundum seqvi, eo præsertim casu si malitiosè de loco ad locum circumcursitaverit. Quòd si domicilium necessariò alibi quærendum sit, uxorem à consortio viri non dimoveri placet. Beust. tr. de matrim. c.32. Hakelm. disp. de nupt. th.12. d. Qvin imò bannitum maritum uxor seqvi tenetur: Deportatione enim non dissolvitur matrimonium. Beza tr. de divort. p.230. Nam cùm libera mulier remaneat, nihil prohibet, & virum mariti affectionem, & mulierem uxoris animum retinere. l. 5. ff. de bon. damnat. l.22. §. 7. ff. sol. matrim. Geil.2. de pp. c. 10. n.18.

Quartò Uxor maritum defunctum lugere jubetur per annum: sc. Romuli, id est, mensibus decem.

Per totidem menses à funere Conjugis, uxor
Sustinet in viduâ tristia signa domo.

Ovid.1. Fast. A Theodosio tempus luctûs factum est annuum. l.2. C. de secund. nupt. Rittersh. lib.2. partit. feud. c.5. n. 103. Imitetur turtures: utrumq; animal adeò sui conjugis studiosum, ut eo morte affecto superstes nullius appetat prætereà conjunctionem. Et sanè si radices in pectore egit conjugalis amor, nec morte alterius aboleri aut exstingvi potest. Artemisia viri mortui cinerem

ebibit,ne & in morte à viro separaretur. Gell. lib. 10.c.18.De Porcia.Martial,lib. 1.Epigr.p.36.

Conjugis audisset fatum cùm Porcia Bruti,
Et subtracta sibi qværeret arma dolor,
Nondum scitis ait,mortem non posse negari,
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit,& ardentes avido bibit ore favillas:
I nunc,& ferrum turba molesta nega.

De Thracicis fœminis Solinus cap.15. Qvæ fœminæ tenaces sunt pudicitiæ, defunctorum insiliunt conjugum rogos, & qvod maximè insigne ducunt castitatis,præcipites in flammam eunt. Uxor Senecæ maritum in ipsâ morte non deseruit: & venas sibi unà cum illo curavit incidi. Tacit. 15. an.9.De Indicis mulieribus Propert.lib.3.el.12.

Namq; ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
Uxorum fusis stat pia turba comis:
Et certamen habent lethi, qvæ viva seqvatur
Conjugium,pudor est non licuisse mori.
Ardent victrices,& flammæ pectora præbent,
Imponuntqve suis ora perusta viris.

Plura muliebris desiderii erga defunctos maritos documenta vide ap. Val.Max.lib.4.c.6.

Modus tamen insit luctui: cogitentq; uxores cum hominibus se vixisse, qvi eâ lege nati sunt, ne perpetuùm corporis hujus ergastulo anima inclusa esse cogatur. Tu ergo,qvæ marito orbata es amabili,

Flecte mentem,pectus antiqvum advoca,
Victasque magno pectore ærumnas doma,

Resi-

Resiste, tantis in malis vinci malum est.

Senec. in Theb. Si qva verò tantâ fuerit levitate, qvæ maritum non eluget, præsertim cùm intra annum luctûs convolat ad secundas nuptias, ignominiæ maculâ notanda est. Et is, qvi sciens eam ducit, ex edicto notatur infamiâ. l.1. l.11.§.4.ff.de his qvi not.infam.

Habet præterea uxor qvædam ratione matrimonii privilegia.

Primò enim: Mulieres maritorum & honore eriguntur, & genere nobilitantur. l. ult. C. de incol. l.13.C.de dignit. Privilegia marito concessa, qvantumvis personalia uxori communicantur, saltem qvamdiu matrimonium durat. l.6.C.de prof.& Med.lib. 10. Unde est, ut maritus nobilis nobilitet uxorem rusticam, & maritus ignobilis uxorem nobilem faciat ignobilem. Vult.1. I R.16.n.15.

Secundò. Vidua retinet defuncti mariti dignitatem, qvia mortuo qvoq; marito idem nihilominùs matrimonium durare intelligitur, qvamdiu vidua in eodem statu manet. l. filii. 22. §.1.ff.ad Municipalem. l.fin. C.de bon. qvæ lib. Schrad.de feud.p.9.c.2.n.5. Immunitas verò maritis ad vitam concessa, non spectat ad viduas. l. Archiatros C.de metat.lib.12. Toming.decis.55.n.fin.

Restat ut de dissolutione matrimonii nonnulla producamus. Solvitur autem matrimonium consummatum inter vivos. 1. Adulterio alterutrius conjugis. Matth.5.℣.31. & 19. ℣.9. l. consensu. C. de repud. & qvidem in totum, non qvoad mensam & torum, qvæ distinctio à CC. conficta est, & latè refutata à Bezâ tr. de repud. p. 157. & seqq.

Et non sine causâ dirimitur matrimonii vinculum per adulterium: nam in eo non tantùm turpitudo stupri & violatio tori, qvi qvasi jurejurando confirmatus est, sed etiam partûs substitutio impro-

ba, feminisq; fcelerata commixtio verfatur. Gell. lib. 10 c. 23. Qvam adulterii atrocitatem etiam Siracid. c. 23. ℣. 33. perfeqvitur: Et Philo Judæus in lib. de Decalogo his verbis: Adulterio tres fubvertuntur familiæ; Is cujus conjugium violatur, nuptialia vota perdidit, & fpem prolis legitimæ: Nec minus incommodi accipiunt reliqvæ duæ domus, adulteri & adulteræ, qvandoqvidem ambo replentur dedecore, contumeliâ probrisq; turpiffimis, & qvoties parum integrè fervatur uxoris pudicitia, verus pater cognofci non poteft.

Varias autem omnibus temporibus adulteris irrogatas effe pœnas, eosq; nunc capitali, nunc alio fupplicio affectos legimus.

Capitalis pœna in Rep. Romanâ introducta eft. l. Julia. §. 4. Inft. de pub. jud. Anteqvam illa lex ab Augufto ferretur, lufus erat facræ connubia fallere tædæ. Et Romani veteres qvamvis aliqvâ damnatione, nunqvã tamen morte fœminas adulteras puniverunt. Auguft. lib. 3. de Civ. Dei. Capitalem verò illam in adulteras ftatutam pœnam Romæ rariùs ufurpatam effe, ex hiftoricis fatis notum eft. Apud alios populos gravis interdum hujus criminis animadverfio. Parthi nulla delicta adulterio graviùs vindicabant. Juftin. lib. 41. Tenedi lex eft, ut utriusq; adulteri corpus fecuri concidatur. Heraclid. in politic. Gens Saxonica adeò deteftata eft ftupra & adulteria, ut ftupratas & adulteras ftrangulatas deinde cremaverint, & mœchos fupra rogos fuspenderint, donec morerentur. S. Bonifac. ad R. Angl. referente Mel. 3. chron. in fin. Severiffimè Hippomenes IV. Athenienfium Archon: Is adulterum cum Limóne filiâ deprehenfum, eqvis difcerpfit, hanc vinctam unà cum eqvo carceri inclufit, neutri alimentum præbens, unde

eqvus

eqvus actus in rabiem puellam vivam devoravit. Suidas. Et Ovid. in Ibin.

Solaqve Limone pœnam ne ſenſerit illam,
Et tua dente fero viſcera carpat eqvus.

Capitale etiam fuiſſe adulterium tempore Diocl. & Maxim. colligitur ex l. 18. C. de transact. & Conſtantini. l. 30. ad l. Jul. de adult.

Pœnâ autem non capitali coërcitos eſſe adulteros legentibus occurrit ſæpiùs. Hos oculis privabat Zaleucus. Val. Max. lib. 6. c. 5. Teſtium ſuspenſione Diogenes. Tiraq. l. connub. 13. n. 12. Narium mutilatione Ægyptii. Diod. Sic. lib. 2. c. 3. qvæ pœna in regno Neapolitano etiam freqventata, in qvo viro permittitur adulteræ mulieri naſum præcidere. Fr. Vivius tr. com. op. lib. 2. verb. adulteri. n. 4. Prætereà verberatione ignominiosâ utebantur Germani. Tacitur. de mor. Ger. dedecorosâ circumductione Cumæi. Plut. in probl. c. 115. ῥαφανίδωσι Athenienſes, de qvâ Catullus ad Aurelium:

Ah tum te miſerum maliqve fati,
Qvem attractis pedibus patente portâ
Percurrent raphaniqve mugilesque!

Deportatione verò ſæpiſſimè plecti ſolitos adulteros colligimus ex l. 5. ff. de qvæſtionib. l. hodie 13. de pœn. Caſtigationem cum fuſtibus, & detruſionem in monaſterium introduxit Juſtinianus Imperator Nov. 134. c. 10. auth. ſed hodie C. ad l. Jul. de adult. Canonicæ adulterii pœnæ, pœnam irrogant. Bez. de divort. p. 184.

Hodie plerunq; capitis discrimen ſubeunt adulteri, aut fuſtigatione, aut pœnâ pecuniariâ multantur. Sunt tamen nonnulli, qvi non expectatâ magiſtratûs ultione, pœnam ab ſe ipſis exigunt:

—— qvos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cedit,
Occultum qvatiens animo tortore flagellum.

Juven. Sat. 13.

Hic fe præcipitem tecto dedit,ille flagellis
Ad mortem cæfus, fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam, dedit hic pro corpore numos,
Hunc perminxerunt calones: qvin etiam illud
Accidit, ut qvidam teftes caudamqve falacem
Demeteret ferro, Horat. 1. Sat. 2. Atq; hæc de adulterio.

Disfolvitur fecundò Matrimonium malitiosâ defertione. 1. Cor. 7. ℣. 15. & 39. Latè Beza de repud. p. 188. & feqq. Beuft. p. 2. de matrim. cap. 26. & feqq. Gödd. ad l. 101. §. 1. de V. S. Et defertæ perfonæ novum conjugium fuperftite deferente inire permittitur. Nam fi tefte Apoftolo 1. Cor. 7. v. 39. defertus non eft fervituti obnoxius, confeqvitur, à lege alterius, id eft ab omni jure, qvo perfona defertrix eum obftrictum tenebat, liberatum effe. Vinculum ergo matrimonii disfolutum eft. Ad argumenta contraria doctè refpondet Beza tr. de Divort. p. 193.

Sævitia intolerabilis caufam non præbet divortio. Nov. 117. c. 14. poteft enim à magiftratu coërceri mariti improbitas; & tamdiu detineri fqvalore carceris, donec ad frugem redeat. Eorum verò fententiam, qvi omnimodam feparationem ex hac causâ permittunt, probare vix poffumus. Vid. Hak. disp. de nupt. th. 14. a. Plures divortiorum caufas allegat Imp. in l. 8. C. de repud. quæ fi admittantur, matrimonii dignitas vilefcet, & ex re feriâ fiet ludicrum.

Qvid de furore fuperveniente? Sufficiénsne ille eft ad disfolvendum conjugii vinculum? nullo modo. l. 8. ff. de his qvi funt fui vel al. jur. furor enim contrahendo qvidem matrimonio obftat, non contracto. d. l. 8. c. dilectus 24. ex. de fponfal. c. hi qvi 25. 32. q. 7. l. 16. §. f. de R. N.

Eft

Est enim matrimonium consortium omnis vitæ in utrâq; sorte, secundâ & adversâ. l. 22. §. 7. solut. matr.

Qvid de contagiosis morbis supervenientibus? nec hi dirimere possunt arctissimum hoc vinculum, c. 1. & 2. ex. de conjug. leprosor. Beza tr. de divort. p. 97. Summus amicitiæ gradus est conjugale fœdus: Injustissimum autem est in calamitate amicum auxilio indigentem deserere. Beust. tr. de matrim. c. 11.

Qvid deniq; de Sterilitate uxoris? Divortium videbatur svadere ratio & exempla. Ratio, qvoniam matrimonii finis non attingitur: qvâ ratione olim id permissum, l. 60. §. 1. ff. de don. int. vir. & ux. Exempla qvandoqvidem sæpiùs ex hac causâ matrimonium dissolutum compertum habemus. Solon. in Rep. Atticâ steriles matrimonio eximebat. Plut. in Solone. In Spartanâ Rep. Anaxandrides Rex sterilem uxorem repudiare jubebatur. Herod. lib. 5. Sp. Carbilius Ruga â Censoribus sterili conjuge abstinere jussus. Gell. lib. 17. c. 21.

Verùm exemplo perniciosum est, ex hac causâ dissolvi connubialem nexum. c. tantum 32. q. 8. Etsi enim ad tempus mulier fuerit sterilis, tamen sæpissimè votis correspondet eventus: qvod docent exempla sacra, Rebeccæ Gen. 25. ℣. 21. Saræ Gen. 11. v. 30. Heb. 11. ℣. 11. Rachelis Gen. 39. ℣. 31. Uxoris Manuæ Jud. 13. ℣. 2. Annæ 1. Sam. 1. ℣. 2. Elizabethæ Luc. 1. ℣. 37. Neq; in potestate agricolarum est; ut fundus diligentissimè ab iis consitus, fructus semper ferat:

> Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
> Semina, qvæ magno fœnore reddat ager.

Tubul. eleg. ult. lib. 2. Interdum tamen

> Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

Ovid. ep. 16. Heroid. Non nostri est arbitrii prolem suscipere: Deus effector rerum omnium, ster[illegible]m habitare

 facit

facit in domo. Pfal. 113. ℣. ult. Interim patiente fpe fefe fuftentent conjuges: & Medicorum, obftetricumq; ope infortunium fuum allevare vel tollere ftudeant. Cæterùm Magiftratus non temerè permittat ex qvalibet causâ divortium: qvod qvidem Charondas facere folitus eft. Diod. Sicul. lib 12.

Sunt præterea prætextus alii, qvi plerumq; matrimonio disfolvendo obtendi folent: de his J. Ctor. refponfa docebunt. Cæterùm nos hinc abimus ad patrem & liberos.

Cap. VII.

De Patre & Liberis.

NOn fruftra Spiritus Sanctus conjugem piam comparat viti fructiferæ pf. 128. ℣. 3. Qvemadmodum enim vitis ob amœnitatem jucunda afpectu eft, ob fertilitatem amabilis, ita uxor in domo fingulare ornamentum, qvæ liberos velut ramos olivarum educat. Non fortuito cafu nobis ifthæc contigit felicitas, fed totum id eft Tui muneris, ô æterne rerum conditor! Tu implantas hominum animis paternam illam στοργὴν, tu patres cum liberis amore, velut glutine, devincis: tu utrisq; fæpiùs eandem fortem moresq; eosdem attribuis, Tu vires animumq; largire, ut quæ parentum, qvæ liberorum, fint munia, intelligamus. Eft autem patris officium 1. in alimentorum præftatione. 2. in difciplinâ domefticâ rectè habendâ. 3. in elocando ad matrimonium. 4. in dotando.

Qvod alimenta attinet, ductu ipfius naturæ intelligunt parentes, liberis alimenta præftanda effe pro modo facultatum. l. 3. C. de alend. lib. & par. Qvod fi fponte fuâ id facere neglexerint, auctoritate Magiftratûs ad hoc debi-

debitum persolvendum cogi possunt. l. 4. C. eod. Unusqvisq; enim naturali ratione alimentum debet ei, qvem viscerum suorum partem esse novit; alioqvin sine alimentis interiturum. & commune hoc parentum votum est, ut liberis omnia parent, l. pen. §. sed nunqvid. de bonis libert. & thesauros conqvirant. c. Cùm Apostolus 6. ex. de Censibus. Isq; damnatur anathematis, qvi necessaria alimenta liberis non præbuerit. c. si qvis dereliqverit. 14. dist. 30. Idq; procedit eatenus, ut etiamsi ex injusto matrimonio sint nati, alimenta iis debeantur, c. cùm haberet. 5. §. fin. in fin de eo qvi duxit in matrim. qvam poll. per adult. & mater vulgò qvæsitos liberos alere compellitur. l. si qvis. 5. §. ergo 4. de agnosc. lib. nisi filii sibi ipsis prospicere de alimentis possint. d. l. 5. §. 7. ff. eod. Et sanè magna parentum in liberos est affectio, nullusq; est affectus, qvi parentum vincat.

——O nimium potens
Qvanto parentes sangvinis vinculo tenet
Natura! qvàm te colimus inviti quoq;! Senec. in Hipp.

Exempla tanti affectûs vide apud Val. Max. lib. 5. cap. 7. Sed non semper æqvalis erga omnes liberos est affectio: qvam tamen æqvalitatem Cupressus arbor parentibus inculcare videtur, de qvâ M. Mylius in horto Philos. p. 267.

Æqvales recto producit stipite frondes,
Et ramis brevitas omnibus una manet.
Scilicet ex uno generatos sangvine natos
Disparili prohibet patris amore frui.

Videas teneriùs amari infantes provectioribus, pueros adultis: videas econtrà plus diligi eos, ex qvibus fructum educationis parentes conspiciunt, qvi honori sunt senibus, qvi baculum sunt senectutis paternæ.

Affectionem hanc non evertit mos ille vetustus, qvo paren-

parentibus liberorum permiſſa fuit venditio: Ambroſ. in lib. de Tobiâ: Vendit plerumq; & pater liberos autoritate generationis, ſed non voce pietatis: ad auctionem pudibundo vultu miſeros trahit, dicens, ſolvite filii gulæ meæ ſumtum, & qvæ ſeqvuntur. Nam non niſi ſummâ neceſſitate hoc indultum eſt, ſi nec filium tueri pater potuiſſet, nec voluiſſet alius qvisqvam. l. 2. C. de patrib. qvi filios ſuos diſtraxerunt. Et hactenus ut oppignerationis potiùs qvam venditionis jure cenſeatur, h. e. ut emtor qvidem obtinendi ejus ſervitii habeat facultatē, ſed liceat ipſi qvi vendidit, itemq; ei qvi alienat⁹ eſt, adeoq; cuilibet alii eum repetere ad propriam ingenuitatem, dummodò precium offeratur, id eſt, qvanti valeret ſi ſervus eſſet, aut aliud mancipium ejusdem æſtimationis. Venditionem iſtam inſtitutam fuiſſe Maximini Imp. tempore legimus apud Euſeb. lib. 9. hiſt. Eccleſ. c. 5. Et apud Ovid. lib. 8. Metam. de Eriſichthone.

——& tandem dimiſſo in viſcera cenſu
Filia reſtabat, non illo digna parente,
Hanc qvoq; vendit inops &c.

Atq; hic mos vetuſtate obliteratus eſt meritò, non enim permittendum eſt ita agi cum liberis, non ſecus ac cum merce, præſertim cùm liberi hominis nulla poſſit eſſe æſtimatio. l. Celſus 6. de contrah. emt. l. 1. §. ſi id qvod de O & A. l. liber homo 103. de V. O.

II. Diſciplina domeſtica patri incumbit, hæc ſevera non ſit nimis, ſed moderata, & ratione temperata. Hic veterū conſvetudo parū decora nobis videtur, qvum jus vitæ neciſq; ſibi in liberos ſumerent. l. 11. de lib. & poſth. Et Caſſii factum, filiū familiari judicio damnatū interimentis, alio colore defendi poteſt, nempè qvòd legem Agrariā contra populi commoda tulerit, non hoc, qvòd optimâ ratione patribus hoc jus conceſſum fuerit. Non enim in atro-

citate, ſed pietate patriæ poteſtatis jus conſiſtere debet. l. 3. ff.ad l. Pomp. de paricid. Omnisq; vindicta privata prohibita eſt. l. 10.de jud. Atq; ideò conſvetudo iſta paulatim obſolevit: & qvodammodò ſepulta jacuit Pauli & Ulpiani J.Ctor. temporibus: cùm ille in l. 11.de lib.& poſth. filios à patre exhæredatos non jure conqveri,ſiqvidem olim eos occidere liceret ſcribat: hic in l. inauditum 2. ff. ad l. Cornel. de ſicar. filium à patre apud judicem accuſandum. Nam ſi qvid graviùs deliqverit filius,pater eum poterit caſtigandum offerre judici, dicturo ex ipſius præſcripto ſententiam. l. ſi filius 3. C. de pat. poteſt. Caſtigatio verò & coërcitio libera patri permiſſa eſt, ut qvicqvid hîc privatim ſtatuerit pater adverſus filium, dum in ſævitiam intolerabilem non abeat,ſit extra omnem noxiam. l 3.C.de pat.pot. Qvòd ſi malè tractaverit filium pater,emancipare eundem cogitur: qvam enim ſævitiam in dominis non ferunt leges, eam multo minùs ferunt in parentibus: Itaq; ut illic dominum cogunt ſervum vendere,l.2. ff.de his qvi ſunt ſui vel al jur. Sic hoc caſu patrem cogunt filium emancipare. l. ult. ff. ſi qvis à pat.manumiſ.

Præterea licet privati carceris uſus inhibitus ſit l. un. C.de priv. carc. tamen ſi aliter filius ad obedientiam redigi non poſſit,pater ſuum domi detinebit. Sneidvv. Inſt. ad tit.de pat.pot.n.27.

Tertium patris officium dixi conſiſtere in commodâ elocatione liberorum in matrimonium: idq; tum ſuiipſius causâ faciet, ut propagatione familiæ diuturnitatis memoriam ſibi comparet, tum liberorum, ut œconomiæ rationem habere diſcant; Puellam verò qvæ jam matura viro eſt, & plenis nubilis annis, cuſtodire ab amatorum technis longè difficilimum. Alciat. Embl. 22. & non nimis poteſt pudicitiam qvisqvam ſuæ ſervare filiæ. Plaut. in Epid. Ejus ſi expers voluerit eſſe parens,

maturè

maturè virgini de viro prospiciet. Liberrimus autem consensus liberorum esse debet, non coactus, non extortus. Benè ille apud Plaut. in Sticho:

Stultitia est pater venatum ducere invitas canes.

Hostis est uxor, invita qvæ ad virum nupta datur.

Et prætereà difficiles solent habere exitus coacta matrimonia.

Qvartum est in dotando. Pater enim dotem dare compellitur. l. 19. ff. de R. N. l. fin. C. de dot. promis. etiamsi locuples filia fuerit, atq; aliunde habeat, unde seipsam dotare possit. Gail. 2. obs. 95. n. 14. l. fin. C de repud.

Qvid si filia turpiter vixerit, tenebitúrne pater dotare? Non puto. Nov. 115 c. 3. §. 11. qvin imò exhæredari illa potest. l. 19. C. de inoff. test.

Qvid si inscio patre ante annum 25. ætatis marito indigno nupserit? illi nempè qvi turpitudine vitæ & infamiâ aliqvâ laborat, non qvi inferioris est conditionis: vel etjam qvi moribus non est conveniens dignitati & decori familiæ. Gail. 2. obs. 95. n. 19. Atq; hoc casu pater dotem dare non compellitur. Paris. cons. 29. vol. 3. Castrens. in l. Si filiam. n. 2. C. de inoff. test. per tex. in l 3. §. emancipatus ff. de bon. poss. cont. tab.

De parentum officiis hactenus: Seqvitur de his qvæ liberorum sunt.

I. Liberorum est præstare parentibus reverentiam & obedientiam l. filia C. de pat. pot. l. congruentius in fin. C. eod. c. est ordo 33. q. 5. etiam in divinis. c. 1. dist. 30. Neq; permissum est filio patri castiganti resistere, parentum enim persona liberis sancta semper esse debet. l. 8. de obseq. par. & patron. præst. Qvod si fecerit, & manus violentas illi intulerit, pro scelerato meritò habebitur, atq; ideò exhæredari poterit. Nov 115. c. 3. Cui consentit Alberti Imp. constitutio adducta à Sneidvv. ad tit. de pat. pot. nu. 27.

welcher

Welcher Sohn seinen Vater an seinem Leibe frevventlich angreifft/ oder ihn verwundet vnd fehet/ derselb sol Ehrlos vnd Rechtlos sein ewiglich/vnd zu keinen Ehren oder Rechten nimmermehr kommen mögen. Atq; olim in Rom. Rep. Lege Serviâ capitaliter plectebatur filius, qvi patrem verberasset: SI PATREM PUER VERBERIT, inqvit Legislator, AST ILLE PLORASSIT, PUER DIVIS SACER ESTO. Nulla ergo justa causa est,ex qvâ parentibus vim intentare liceat. Qvid verò si pater ad interficiendos liberos delendamq; patriam properet? Defendere se poterit filius: & si terminos legitimæ defensionis non excesserit, pœnam paricidii non incurret. Id enim qvod legitimè factum est, pœnam nullam meretur. l.55. de R. J. Quin imò præmio erit afficiendus filius, qvi ob necessariam sui suorumq; defensionem,& patriæ,è medio sustulerit patrem. l.35.de religios. & sumt. fun. Et in tantum leges detestantur talem patrem,ut nec lugendus sit post cædem.d.l.35.

II. Officium Liberorum est, in debitâ ἀντιπελαργίας exhibendâ. Parentum enim necessitatibus liberos succurrere, justum est. l.1.C.de alend. lib. Si ejus facultatis sunt,ut θρεπτήρια sive alimenta præstare possint. l.2.C. d. t. qvâ ratione infames pronunciavit liberos Solon, qvi parentibus egentibus opem non tulissent. Diog. Laërt. in Solone,exceptis iis,qvi artem à parentibus non didicissent. Plut. in Solone. Ut enim qvisq; filium suum vult esse, ita est. Terent. in Adelph. Nam si permiserit pater filio desidias molles,& marcida luxu Otia. Claud. in Panegyr. 3. Honorii Cæs.qvid aliud negligentiâ tantâ dignum rependitur, qvàm ut egens in senectute relinqvatur à filio? Illustre pietatis filii in parentem exemplum est apud Dionem lib. 47. p. 335. Q. Ciceronē Marci fratrem filius occuluit: ac qvan-

tum

tum in ipso fuit, servavit: nam & occultavit patrem, ne inveniri is posset: & cùm in qvæstionem adductus, omnibus tormentis interrogaretur, nihil enunciavit, sed pater re cognitâ, miratus simul ac miseratus filium, ultro in publicum prodiit, ac se occisoribus exhibuit. Et Coriolanus plus matris Veturiæ precib⁹ flectitur, qvàm multis legatorum & sacerdotum cum infulis supplicationibus. Val. Max. lib. 5. c. 4. Et Æneas apud Virg. 2. Æneid. egregiè his verbis suum erga patrem testatur affectum:

> Eia age, care pater, cervici imponere nostræ:
> Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit:
> Qvò-res-cunq; cadent, unum & commune periclum,
> Una salus ambobus erit.

Αστόργους verò liberos, qvi vim inferunt parentibus, vel etiam planè de medio tollunt, mirabili modo ad pœnam tractos legimus: Sanè nulla tàm atrox excogitari potest pœna huic delicto, in qvo omnia scelera complexa esse videntur. Cic. pro Rosc. Am. Lege Pompeiâ cavetur, ut si quis parentis fata properaverit (sive clàm sive palàm id ausus fuerit) neq; gladio, neq; ignibus, neq; ulli alii solenni pœnæ subjiciatur, sed insutus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & viperâ & simiâ, & inter eas ferales angustias comprehensus (secundùm qvod regionis qvalitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur: ut omnium elementorum usu

usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, & terra mortuo auferatur. §.6. Inst. de pub. jud. Vipera ob similem impietatem supplicio addita est, dicitur enim perrodere uterum matris. Plin. lib. 10. c. 62. Simia exosculando & comprimendo fœtum necat. Plin. lib. 8. c. 54. Insuitur corio bovis vel culeo, ne corpore suo inqvinet undam, qvâ solent omnia cætera expiari. Et licet à Magistratu non abripiantur paricidæ ad supplicium, occultâ tamen vindictâ Dei scelus commissum luunt. Selymus eo ipso in loco, qvo patrem fugientem fratremq; trucidavit, interficitur. Adolphus Dux Geldriæ, qvi patrem asperrimè tractaverat, miserabiliter demum trucidatus est, & in minutissimas partes dissectus. Cominæus lib. 5. p. 144. Chramnus Clothario patri R. Franciæ bellum movet, vincitur Chramnus, & igni cõsumitur. Greg. Turonens. lib. 4. c. 16. & 20. Sic Neronis post admissum paricidium lancinata est conscientia. Xiphil. in Nerone. A Cæsare (inqvit Tacitus 14. annal. 2. pr.) perfecto demum scelere magnitudo ejus intellecta est: reliqvo noctis, modo per silentium defixus, sæpius pavore exsurgens, & mentis inops lucem operiebat, tanqvam exitium allaturam.

III. De liberis notetur: seqvi eos familiam paternam. l. 19. de statu hom. excepto casu l. 29. C. de decur. lib. 10. participesq; esse omnis dignitatis & honoris, qvi familiæ annexus est. l. si senator 11. C. de dignit. qvin imò in honorem patris plerumq; filio privilegium conceditur, l. honor. 5. l. 9. & 12. C. de pœn. l. medicos 8. C. de prof. & med. 10. c. 52. Filiæ verò tamdiu his gaudent, qvamdiu manent in familiâ. l. fin. C. de dignit. l. 195. in fin. de V. S. siqvidem in alienam familiam assumtæ mariti conditionem seqvuntur.

IV. Observetur, omnia à liberis acqvisita non ipsorum esse, sed patris. §. 1. Inst. per qvas person. cuiq; acqvira-

 tur.

tur. l. 79. de acqvir. vel omitt. hered. exceptis peculiis castrensib. & qvasi castrensibus omni jure l. cùm oportet 6. in pr. v. ult. & §.3. C. de bon. qvæ lib: adventitiis qvoad proprietatem solam jure novo. l. 1. & 2. C. de bon. matern.

V. Filiusfam. omnium honorum, munerum & dignitatum perinde capax est, atq; paterfam. qvilibet, non solùm ignorante, sed & invito patre l. si filiusf. 3. C. ne fil. pro patre. l. filios 5. C. de decur. lib. 10. tit. 31 nec tollitur obedientia, qvam liberi debent parentibus, isto honore publico: In publicis qvippe congressibus filius magistratum gerens præfertur, non habitâ ratione patriæ potestatis: In privatis verò jus domestici observatur. Atq; ideò Fabius Gurges, cùm consul esset, & patrem proconsulem sibi obviam haberet, jussit patrem eqvo descendere, & pro more peditem ad se venire. Plut. in Fab. Max. Imò filius magistratus potest patrem cogere. l. ille à qvo §. ad S.C. Trebell. Ratio hujus rei est in l. 9. de his qvi sunt sui vel al. jur. qvòd filiusf. in causis pub. habeatur loco patrisf. l. 77. & seq. de jud.

Cæterùm de probatione filiationis sæpè graves solent oriri controversiæ. Conjecturis autem verisimilibus fides facienda est. l. Lucius 83. ff. de condit. & demonst. l. filium 6. de his qvi sunt sui vel al. jur. Propria enim probatio dari neqvit: qvod fatetur Telemach. apud Hom:

Ex illo natum mater me dicit, at ipse
Nescio, nam certum qvis possit scire parenté?

Præsumtiones etiam sive conjecturas qvatuor nostri Dd. adnotant: qvibus ideò inniti nos oportet, ne filiorum status semper in incerto pendeat.

Prima est, ut qvis ex viro & uxore simul habitantibus domi natus dicatur. l. 6. de his qvi sunt sui Et hæc conjectura adeò præponderat, ut licet interim mulier cum aliis consvetudinem habuerit, præsumatur tamen potiùs mariti filius qvàm adulteri. l. miles 11. §. qvi propter 9. ff. de adult. Alciat. 3. præsumt. 37.

Secun-

Secunda est, ut filium ab iis qvos parentes asserimus, filiorum more tractatum educatumq; ostendamus. l.1.§.3. ff.de qvæstion.

Tertia: Filium nominatum ita à parentibus. gl. in c. Michael de fil. presbyt. Etsi enim hæc præsumtio valdè debilis est l. neq; 5.C.de testam. l. non epistolis. l. non nudis. C.de probat. cùm similia verba blandiendi potiùs animo etiam erga alienos proferri soleant. l. nemo. 58. §.1. ff.de hered. instit: probat tamen, si id parens in judicio fuerit testatus, aut si id extra judicium datâ operâ factum sit, aut si nominatio sæpiùs reiterata fuerit.

Qvarta, ut talem in viciniâ ab aliis qvoq; habitum fuisse ostendamus l. si vicinis 9.C.de nup. Ac licet qvæ publicè per hominum ora circumferuntur certo plerumq; carent auctore, atq; ideò sæpè vana sunt. l. decurionum 12. §. 1. C.de pœn. attamen cùm fama circa res vel veras vel vero proximas versetur, æquum est eam in his rebus plurimum valere, in qvibus cùm veritatis difficilis sit probatio, qvid verisimile sit lex ut plurimum inspicit, & in dubiis famam viciniæ cæteris conjecturis præponit. l. cùm de lanienis 18.§.3.ff.de instruct. vel instrum. leg. Vide Palæott. tr. de Spur. c. 21. & seqq.

CAP. VIII.
De Educatione.

EDucationis magna vis magna necessitas est: eaq; si probè curetur, eximium est Reip. ornamentum. Ut enim vites pedamentis qvibusdā ac radicibus indigent, ne jaceant: sic juventus monitis ne cedat, & teneræ nimis mentes asperiorib. formandæ studiis. Hor. 3. Od. 24.

Plurimum enim intererit, qvibus artibus & qvibus hunc tu Moribus instituas. Juven, Sat. 14. Nam

Qvo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu, Hor. ep. 2. lib. 1.

Multum itaq; operæ educationi impendendum, ut juventutem reip. utilem qvandoq; futuram, ceu plantas rectè curemus, foveamus, & disciplinâ rectâ gubernemus: Illa namq; optimum homini ad senectutem viaticum. | Arist. apud Diog. Laert. lib. 5. p. 277. | Cura autem alia adhibetur in Infantiâ, alia in pueritiâ, alia in adolescentiâ.

Infantiam Aristoteles 7. pol 17. duobus tantùm prioribus ætatis annis circumscribit: Septennio primo Vultejus. 1. I R. 4. n. 24. per l. 1. §. sufficit. de adm. tut. l. 14. de Sponsal. l. si infanti C. de jur. delib. Cujac. de divers. temp. præscript. ca. 25. p. 771. qvem seqvimur. In hac ætate præceptis seqventibus inniti oportet parentes:

1. Lacte materno nutriantur: cujus rei rationes tres adducit Arist. 7. pol. 17.

2. Moderato motu exerceantur infantum corpora, ut calor nativus in illis excitetur, & vitiosi humores, qvibus plerumq; abundant, dissipentur. Id verò fit partim dum agitantur in cunis: partim dum gestantur in ulnis.

3. Rectitudinem membrorum accuratè considerent, ne quid gibbosum distortúmve in lumbis, brachiis aut cruribus appareat.

4. Aërem externum duriusculum ferre doceantur Infantes: frigus enim externum retinet calorem intra corpus, ne dissipetur, atq; ita cibi concoqvuntur meliùs: prætereà assvefiunt hoc modo infantes, ne tàm facilè corpus adultum lædatur à frigore. Hoc qvibusdam gentibus in more positum, ut recens natos immergerent in aqvam frigidam, ut eo modo frigori tolerando redderentur idonei. De Ausonibus decantatum est:

—— natos ad flumina primùm
Deferimus, sævoqve gelu duramus & undis.

Qvi mos & Germanis qvanqvam alio prorsus fine fa-
milia-

miliaris: ut disserit Julianus Apostata Imp. in Ep. ad Antiochium Misopogona: Spurii, inqvit, cùm primùm nati sunt, fluminibus superponuntur, ac spurios qvidem mergi, legitimos aqvis innatare ferunt.

5. Sermonem rectè fingere discant: si qvid in lingvâ impedimenti, arte & industriâ curetur.

6. Sermonibus qvibusdam & fabulis jucundis & utilibus demulcendi eorum animi: nam Pueris omne ludicrum in precio est. Sen. ep. 115. Parentibus qvippe nec minus fratribus præferunt parvo ære emta monilia, eorumq; recordatio in ætate provectiore utilis illis esse poterit.

7. Clamores, ploratus & vehementiores vocis contentiones non prohibendi: nam ista sunt qvædam qvasi exercitia corporis per qvæ nervi distenduntur, & vires corporis aliqvo modo corroborantur.

8. Caveant parentes, ne infantes commorentur cum servis, aliisq; abjectis hominibus; ne tenella illa ætas & flexanima corrumpatur. Atq; hic Germanorum veterum consvetudinem improbamus: apud qvos dominus ac servus nullis educationis delitiis dignoscebantur: Inter eadem pecora, in eâdem humo degebant, donec ætas separaret, ingenuos virtus agnosceret, Tac. de mor. Ger. c. 6.

9. Ne spectent picturas turpes, qvibus ad ejusdem generis imaginationes & cogitationes datur occasio.

Nil fœdum dictu visumve ea limina tangat,
Intra qvæ puer est. Juven. Sat. 14.

10. Ne sint spectatores Comœdiarum, in qvibus personæ inhonestæ de amoribus & frivolis rebus agentes introducuntur. Istiusmodi enim blanditiis facilè irretitur ætas in vitium flecti cerea, & homo naturali propensione

difficulter ab iis dimoveri poteſt, qvibus ab ineunte ætate innutritus eſt.

Atq; hæc de Infantiâ.

Pueritiam qvæ & puerilis ætas vocatur. l. fin. §. ubi autem. C. de bon. qvæ lib. determinamus ſecundo ſeptennio in mare, ſexennio in fœminâ. §. 1. Inſt. qvib. mod. tut. fin. l. 5. ff. qvi teſt. fac. poſ.

Tam verò hæc qvàm illa, nempe infantia pupillaris ætas eſſe dicitur. l. 38. de minorib. & qvi ejus ſunt ætatis, dicuntur impuberes, &c.

Ariſtoteles ab anno 7. ad 21. determinat Adoleſcentiam, &c.

Annum 7. idoneum eſſe dicimus, qvo pueri ducantur ad ſcholas publicas: eaq; inſtitutio debet una, eadem & communis omnium eſſe: qvoniam communium rerum, qvarum numero etiam habentur pueri, velut ſpecioſæ plantæ in illo Reip. horto, communis & eadem debeat eſſe cura. Excitanda mens & attollenda ſemper eſt, qvæ in ſecretis aut langveſcit, & qvendam veluti in opaco ſitum ducit, aut contrà inani perſvaſione tumeſcit. Neceſſe eſt enim ſibi nimium tribuat qvi ſe nemini comparat. Qvint. 1. Inſt. Orat. c. 3.

Accedit qvòd qvi iisdem ſtudiis initiantur, ad ſenectutem usq; firmiſſimas colunt amicitias. Qvint. ibid.

Atq; hæc communis & publica juventutis inſtitutio Lacedemoniis etiam placuit. teſte Ariſt. 8. pol. 1.

Cura puerorum in eo potiſſimùm verſatur, ut imbuantur bonis artibus: nam qvibus exercitiis transacta eſt pueritia, iisdem deinde etiam virilis ætas detinetur. Exemplo eſt L. Catilina: Illi homini ab adoleſcentiâ bella inteſtina, cędes, rapinæ, discordia civilis grata fuère, ibiq; juventutem ſuam exercuit. Saluſt. in Catil. p. 6. Eadem peregit in ætate virili.

Modus tamen adhibeatur in cognitione diſciplinarum: non

non ſint nimis adfixi libris, ex qvibus omnem & univerſam prudentiam haurire ſe poſſe confidunt: reſerventur qvædam, donec iudicium & ætas maturuerint, &c. Cæterùm de inſtitutione pueritiæ aliæ multa, præſertim Plutarchus, qvorum tradita cognoſci poſſunt.

De Adoleſcentiâ nonnulla videamus. Hæc circumſcribitur jure civili ab anno 14. ad 25. jur. Sax. ad annum 21. Videas multos, qvi in adoleſcentiâ bonæ indolis ſpecimen præſeferunt, de qvibus ampliſſima qvæq; tibi pollicearis, ſed votis non correſpondet eventus: fructum in virili ætate nullum ferunt. Hos imagine ſalicis, bonam primùm ſpem oſtendentis, ſed fructûs expertis notat Camer. in Embl. Neglecta juventus:

Perdere virtutum fructus cùm flore juventæ,
Frugisperda ſalix ne vocitére, cave.

Platano etiam non ineleganter adſimilari poſſunt:

Umbram non fructum Platanus dat: ſic qvoq; multos
Vanâ alios ſpecie ludere ſæpè placet.

Vitia adoleſcentiæ egregiè delineavit Horat. in arte his verbis:

Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto
Gaudet eqvis, canibusq; & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq; & amata relinqvere pernix.

Atq; eò ſtudium animumq; ſuum potiſſimum dirigit,

Ubi lepos, joci, riſus, vinum, ebrietas decent,
Gratiæ, decor, hilaritas atq; delectatio. Plaut. in prol. Pſeud.

Datur tamen conceſſu omnium huic aliqvis

ludus ætati, & ipfa natura profundit adolefcentiæ cupiditates: qvæ fi ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles & tolerabiles haberi folet. Cic.pro M.Cæl. Moderatio ubiq; adhibenda, & in educatione ad amuffim rectæ rationis producendum. Qvantum enim prava, qvantum recta educatio poffit, ex illo Lycurgi fpectaculo apparet: Is cùm duos iisdem parentibus catulos educari juffiffet, alterum qvidem ad venationem, alterum ad ingluviem domefticam; utrumq; pofteà in theatro exhibuit, deinde ollas carnium apponi, ac leporem vivum dimitti juffit, repentè venaticus in leporem irruere, culinarius in ollam. Cui congruit illud Horatii ep.2.lib.1.

——Venaticus ex qvo
Tempore cervinam pellem latravit in aulâ,
Militat in fylvis catulus.

Interim tamen, licet omnis induftria omneq; ftudium parentum in fobole probè educandâ fuerit, degenerant liberi à majorum fuorum veftigiis & virtutibus. Vide qvàm patri opt. Cain fit diffimilis! qvantum à Noë virtutibus discrepat Chamus! qvantum Jacobi filii pleriq; à parentis veftigiis recefferunt! qvid Eli liberis improbius, qvid Davidis infelicius? qvis Roboamo arrogantior, qvi tamen optimâ haud dubio inftitutione Salomonis patris ufus eft? Ahas Jotham fratrem non virtute imitatus eft, fed pofteris malitiâ fuâ præluxit. Jofias Rex tres infeliciffimos filios educavit, qvorum primus Joahas, cùm tres menfes regnaffet, à Rege Ægyptii Necao: alter Jehojakim, à Rege Babyloniæ interfectus eft, & afini fepulturâ multatus. Jerem. 22. Tertius Zedekias captivus effoffis oculis Babylonem ductus eft: Sunt plures, qvi virtutis paternæ veftigia calcare noluerunt: Cambyfes, M. Cicero, Caligula. Auguftum parentem lætum atq; fidentem difciplinâ domûs Fortuna deftitit.

Svet.

Svet. in Aug. c. 65. pr. Isq; aliqvanto patientiùs mortem, quàm dedecora suorum tulit: nec aliter illos appellabat qvàm tres vomicas, aut tria carcinomata sua, & hodie

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos neqviores, mox datura
Progeniem vitiosorem.

Sæpiùs verò filii ne latum ungvem à paternis moribus decedunt: præcipuè improbioribus.

Probum patrem esse oportet, qvi filium suum
Esse probiorem, qvâm ipsus fuerit, postulet.
Nam tu qvid damni, & qvod fecisti flagitii
Populo, viritim potuit dispartirier.
Idne tu miraris si patrissat filius? Plaut. in Pseud.

Illis verò casibus, si numerosa soboles sit, parens educationis officium probis honestisq; viris demandare debet, ne studium industriaq; ejus infinita distendatur. Sanè Hierotymus R. Arabum, qvi 600. filios ex variis pellicibus suscepisse dicitur, Justin. lib. 39. aliis educandi negocium credere necesse habuit: Idem Sciluro incubuit, cui 80. fuêre filii: Idem Masinissæ, idem Priamo, idem Gordiano secundo, & aliis.

Nos ab educatione liberorum transimus ad Dominum & Servum.

CAP. IX.

De Domino & Servo.

CUm civitas constet ex pluribus domibus seu familiis, non potest ipsa esse felix & beata: nisi domesticum illud regimen rectè constitutum sit. Constitui autem commodiore viâ non potest, qvàm Servis in Oeconomiâ ex-

istentibus: qvi, cùm patresfamiliâs non semper suis ipsi possint præesse negociis, eorum vicem suppleant, & rem familiarem augeant. Nam per servos melior nostra fit conditio, non deterior. l 133. de R J.

Servitutem docendi gratiâ duplicem constituimus, naturalem & legalem: Naturâ servi sunt, qvi minus ingenii, plus roboris habent: atq; ideò ob defectum prudentiæ nec sibiipsis utilia prospicere, nec alios rectè gubernare possunt: suntq; ob vires corporis laboribus ferendis, aliorumq; mandatis expediendis idonei. Atq; hi reguntur consilio & arbitrio alterius volentes, & cum suo commodo Arist. 1. pol. 3.

Lege servi sunt, qvi certis ex causis dominorum potestati subjecti sunt, atq; ideò vitam suam ad nutum arbitriumq; dominorum componere coguntur. Aristoteles 1. pol. 3. definit hoc modo servum, qvòd sit instrumentum sui domini animatum, ratione præditum, aptum ad aliqvid agendum, naturâ qvidem in ejus potestate existens, sed tamen ab eodem separatum.

Hæc servitus justa est, tum qvòd possessio ejus qvod virtute & fortitudine domini acqvisitum est, justa sit: tum qvòd legibus approbata, tum qvòd potentiori in invalidum jure debeatur imperium.

Servi porrò aut nascuntur aut fiunt.

Nascuntur ex ancillâ seu servâ: suntq; ejus cujus ancilla est, ex qvâ nati sunt. l. 5. §. 2. de statu hom. Partus enim seqvitur matrem, qvantum ad status conditionem & dominium. l. 7. C. de rei vend. §. 19. Inst. de rerum divis. Atq; hi dicuntur Vernæ l. 10. C. de rei vend.

Fiunt Servi 1. captivitate. 2. venundatione. 3. damnatione in metallum.

Captivitatem in bello justo intelligimus, qvod est cum hostibus. l. si qvis 30. ff. de captivis. Et humanitatis est, qvos justo bello ceperis, partâ victoriâ servare: iis etiam victum ac vestitum suppeditare, summaq; caritate fovere, ac pro tantis beneficijs operas exigere.

Hæc tamen servitus ex captivitate orta non omninò plena aut certa est, sed in suspenso vel pendente manet. l.1.§. si pendeat. ff. ad S C. Maced. §. si ab hostibus. Inst. qvib. mod. jus pat.pot.solvat. ob fictionem juris qvod est postliminei vel l.Corneliæ.

Hodie captivi vel gratis dimittuntur, vel certo lytro, vel permutatione aliorũ captivorum. | Husan.de hom. prop.c.1. n.40.

Venditione suiipsius Servi fiunt, si dolo malo ad precium participandum se venundari passi sint. §. 4. Inst.de jur.pers. Faber in Jurisp.Pap. ad ill. tit. princ.4.illat.3.

Damnatione in metallum deniq; servituti subjugantur, adeò ut etiam servi pœnæ dicantur.§.1. ff.de cap.dim.

Constitutâ servitute videamus qvid in eâ juris sit, tum qvoad personas, tum qvoad res.

Personas dico Dominum & Servum, qvanqvam Servus propriè personam nõ habeat:est enim ἀπρόσωπος l. instructum 185. & l. in lege 203. de V. S. Vult.1.I R.8. num.3.

Domini officia sunt in genere, præstare servis opus, cibum, animadversionem, nam cibus sine opere facit servum porcum: opus sine cibo, asinum: castigatio sine utroq; canem: In specie verò:

1. Humana servorum tractatio. Non enim sævire permittitur domino in servum. §. 2. Inst. de his qvi sunt sui vel al. jur. sive gravis sive levis causa sit. Sic erga servos dominus se gerat, ut neq; petulantes, neq; remissos esse patiatur. Arist. 1. Oecon.5. Mediocris illi animadversio permissa. Husanus tr.de hom.prop.c.7. n.9. Qvod Saturni ævo receptum scribit Justin.lib.43.id diligenter qvoq; dominus pro re natâ curet. Vivat cum servo clementer:comiter etiam in sermonem admittat & convictum. Sen.ep.47.

2. Dominus servos non adigat ad inhonesta servitia,

vitia, qvod qvidem olim familiare fuit Scythis, qvi ſervos ſuos omnes viſu orbatos, fiſtulas genitalibus eqvarum impoſitas ore inflare coëgerunt, lactis emulgendi gratiâ. Herod. lib. 4. pr.

Servorum calamitas apud Scythas.

3. Dominus non patiatur ſeſe ab uxore inſtigare in ſervos: prudens enim illud eſt Catonis monitum. Cato lib. 1.

Nil temerè uxori de ſervis crede qverenti:
Sæpè etenim mulier, qvem Conjunx diligit, odit.

Servorum officia eleganter complexus eſt Apoſtolus Epheſ. 6. Coloſ. 3. 1. Pet. 2.

Primùm amore proſeqvantur ſuos dominos.

Qvi hero ſuo ſervire vult, benè ſervit ſervitutem,
Næ ædepol illum multa in pectore ſuo collocare oportet,
Qvæ hero placere cenſeat præſenti atq; abſenti ſuo. Plaut. in Perſa.

Fideles deinde ſint & morigeri: & domini caritatem propriæ anteferant. Bennacoſ. tr. de Servis qvæſt. 53. dominosq; nec in extremâ deſerat fortunâ, qvales fuiſſe Gallos ſcribit Cæſar lib. 7. p. 174. Celtiberos Valerius lib. 2. c. 1. Germanos Tacitus lib. de mor. Ger. Vitæ dominorum non ſtruant inſidias: qvod qvidem ſæpiùs factitatum legimus. Ita enim Tyrii à ſervis ejecti ſunt. Juſtin. lib. 18. Et Scythas ex Mediâ redeuntes patriæ aditu ſervi prohibebant. Herod. lib. 3. pr. Plura collegit exempla Greg. Richter. Ax. Oec. 57.

Tertium Servi munus notat Plaut. in Milite:

—— homini ſervo ſuos
Domitos oportet habere oculos, & manus,
Orationemq;.

Cæte-

Cæterùm alia servorum munia delineare voluit Apelles, qvi servo picto attribuit aures asininas, nares porcinas, manus omni instrumentorum genere refertas, humeros patulos, ventrem macilentum, pedes corvinos, labra duabus seris clausa. Casus ad c.3. lib. 1. polit.

De Servitute qvoad res observandum est, Servum bona nulla habere posse, l.13. ff. ex qvib. caus. majores. l.182. de V. S. nec proinde successores l.4. C. commun. de succes. l.28. de vulg. & pup. subst. Igitur qvodcunq; acqvirit, suo acqvirit Domino. §. 4. Inst. de jur. pers.

Præterea curæ sit politico, ne nimis multi sint in Rep. servi, qvemadmodum nec in œconomiâ. Arist. 1. Oecon. 5. Nam

Segniùs expediunt commissa negocia plures.

Horat.

Qvâ in re vituperandi Lacedemonii, qvi destructo oppido Helo, incolas omnes captivos secum in suam regionem abduxerunt, unde etiam εἵλωτες dicti sunt, eosq; in vicinos pagos juxta urbem distribuerunt: qvâ ratione facilè fieri potuisset, ut conspirationem adversus cives urbem inhabitantes inissent. Arist. 2. polit. 7. Thucyd. lib. 8. pag. 479. Nam Servi si asperè tractentur, insidiantur, si molliter, superbiunt, & se dominis exæqvant.

Nec decet superbum esse hominem servum,

Plaut. in Asinar. Et totidem ferè nobis hostes qvot servi, si negligenter tractentur. Macrob. 1. Saturn. 11. qvo consilio Ulpianus in l. un. §.1. ff. Furti advers. naut. Servum malum domesticum appellat.

Cæterùm Servos tales, de qvibus diximus, hodie Germania non agnoscit: & sub annum Christi 1200. in universo fermè terrarum orbe servi tales ampliùs non fuerunt. Bodin. 1. de Rep. c. 6.

Vestigia tamen veteris illius servitutis hinc inde observare possumus: præsertim in Regionibus Septentrionalibus.

nalibus: Husan: tr. de hom. prop. c.1.n.26. Sunt passim homines proprii sive mancipia, vulgò Leibeigene dicti Zaf. lib.1. Respons. c.3. n.75. & seqq. atq; hi fundos possident, qvorum nomine operas serviles præstant, gerunt officia, & exercent commercia. Sunt illi in Westphaliâ etjam deterioris conditionis: nam iis defunctis domini succedunt in semissem, & extra consortium hominum propriorum liberos suos elocare nequeunt, nisi hoc ab illis qvibus parent, impetraverint.

Cap. X.

De Familiis.

FAmiliæ appellatio refertur ad res, vel ad homines. l. 195 §.1. ff. de V. S. Pro re acceptâ totum patrimonium, qvod cujusq; cùm moreretur fuit, significat. d. l.195. Unde familiam erciscere h. e. hæreditatem dividere. l. 1. ff. fam. ercis. Vult.1. I R. 8.n.4. Gödd. ad d.l. 195. Qvo sensu Hesiodus 2. op. & dier. docet, familiam constare non solùm viro & conjuge, verùm etiam bove aratore: cujus sententiam commendat Arist. 1. Oecon.2. & 1. pol.1. Ad homines appellatio refertur vel servos vel liberos. Servi dicuntur in familiâ contineri. l.25. ff. de ædil. edict. l.2.§. 14. ff. vi bon. rapt. l. 1. §.16. De vi & vi arm. Ad liberos cùm trahitur, corpus certum qvoddam hominum intelligimus, agnitionis necessitudine inter se devinctorum. Estq; nomen collectivum, qvod uno numero etiam singulari plures comprehendit. Bart. in l.fin.pr.n.1. C. de imp. substit. per l. 2. ff. de reb. dub. l.9. de jurisdict. l. 76. de judic. l.22. de fidejuss.

Corpus illud hominum commune est vel proprium. Commune est agnatorum plurium inter se, communem qvidem agnitionis stipitem & originem habentium, sed

in qvo ſunt capita plura, qvæ viciſſim familias proprias habent, qvæ ex eadem domo & gente prodierunt. Proprium, eſt familiæ, cujus caput & princeps unus eſt, cæteros ſi qvi ſunt, ejusdem familiæ in poteſtate ſuâ habens, qvi paterfamiliâs dicitur. Magna autem familiarum eſt in Rep. neceſſitas: Sunt enim Rerump. omnium ſeminaria & veluti rudimenta. Bodin. 1. de rep. 2. in pr. Nec Platonis 5. de rep. ſententia probanda eſt, qvòd familias non tantùm miſcet, ſed & planè tollit: dum uxorum in Rep. qvam ſibi opinione ſuâ finxit, communionem introducit: qvid enim naturæ magis contrarium, qvàm labefactare primam conjugii inſtitutionem? Qvid legislatori magis congruum, qvàm concubitûs prohibere vagos, dare jura maritis? Qvid Scytharum vetuſtâ conſvetudine tetrius, cùm communes alerent uxores, liberos verò ex promiſcuo concubitu genitos adjudicarent ei, cui eſſent formâ qvàm ſimilimi? Ita enim de Garamantis Pompon. Mela pag. 16. Nulli certa uxor eſt, inqvit, ex his qvi tam confuſo parentum coitu paſſim incertiq; naſcuntur, qvos pro ſuis colant, formæ ſimilitudine agnoſcunt. Orientales etiam populos qvosdam meritò execramur, qvòd ſangvini nulllam habuerint reverentiam, & paſſim inceſtu ſeſe polluerint.

Conſtituitur autem familia naturâ vel lege. Naturâ per cognationem, qvæ eſt ex ſangvine & juſtis nuptiis: lege qvæ per adoptionem contingit. Alia etiam familia plebeia, hæc eſt qvæ inferiorem in Rep. gradum obtinet, alia nobilis eſt, qvæ certis gradibus diſtingvitur: eſt enim vel Imperatorum, vel Regum, vel Ducum, vel Comitum, vel Baronum, vel deniq; Nobilium & Patriciorum.

Magiſtratus autem ſummâ ope præclaras in Repub. familias conſervare ſtudeat: & extinctis novas ſubſtituat. Auguſtum Imperatorem hoc facere ſolitum ſcribit Tacit. 2. annal 5. Nepos, inqvit, erat Oratoris Hortenſii,

ſii, inlectus à. D. Auguſto liberalitate decies ſeſtertiûm, ducere uxorem, ſuſcipere liberos, ne clariſſima familia extingveretur.

Conſervantur verò familiæ per pacta qvædam familiaria: Nam familia conſvetudinem inducere, ſtatutúmve facere poteſt ad deciſionem cauſarum, vel ad filias ſucceſſione legitimâ excludendas. Weſenb. conſ. 1. n. 66. & ibi allegat. Præferuntur enim mares fœminis in obtinendis familiæ bonis præſertim inter nobiles. Weſen. conſ. 51. Neq; per mulieres ſed per mares continuantur familiæ. Fœmina enim qvamdiu in poteſtate patris eſt, familiam qvidem habet: ſed per nuptias tranſit ex eâ familiâ in qvâ nata eſt, in familiam ſui mariti. l. 195. ff. de V. S. atq; tum inter virum & vxorem ex diverſis familiis coëuntes utraq; familia commixta & una domus eſt. Faber in Jurisp. Pap. tit. de nupt. princ. 3. illat. 10. Et mulier ſui mariti conditionem ſeqvitur, l. 8. ff. de Senatoribus. participatq; de dignitate maritali l. 13. de dignit. Unde eſt qvòd privilegium immunitatis conceſſum generi & poſteris, non pertineat ad fœminas. l. 1. §. 1. ff. de jure immunit. Geil. 2. obſ. n. 16.

Cæterùm familiæ communionem habent conſiliorum, ſacrorum, nominis gentilitii, inſignium: & honoris.

Conſiliorum participationem habent, aut habere præſumuntur: Unde familiæ facta ſcire præſumuntur parentes & filii. Tiraq. de Nobil. c. 37. nu. 110. Weſenb. conſ. 15. nu. 94.

Sacrorum communio olim inter familiares erat introducta lege Romuli. Plut. in proc. connub.

Non paſſuri erant, inqvit Plin. Sec. in Paneg. homines abradi aliqvid bonis, qvæ ſanguine, gentilitate, ſacrorum deniq; ſocietate meruiſſent.

Gar-

Garsias tr. de conjugali acqvæstu. n. 21. Sigon. de antiq. 1. Rom. lib. 1. c. 8. Tiraq. de Nobil. c. 15. n. 16.

Nominis Gentilitii communionē habere, nec permittere debent, totius familiæ nomen immutari. Aliâs ex eo solo, qvòd qvis novum sibi adsumit nomen, nullum præjudicium oritur: qvod ita demum fit, si alium eâ re in fraudem induxerit, ar. l. ult. ff. qvod falso tutore auctore l. un. C. de mutat. nomin.

Insignia etiam habent communia; qvæ virtute majorum parta sanctè, nullo adjecto nullo demto, familiares tueri debent. Neq; permittendum est aliis ad familiam pertinentibus, ut ejus insignia gentilitia præsefe-rant: qvemadmodum ambitio qvendam eò compulit, vt fingeret sibi loco insignium Aqvilam, & Ursum catenâ columnæ alligatum. In qvem Bonifacius tr. de furtis hoc stringit distichon:

Redde aqvilam imperio, Collumnis redde columnam,
Ursinis ursam: sola catena tua est:

innuens, nihil illi futurum venustius, qvàm catena gutturi ejus injicienda.

Veruntamen unicuiq; semper licuit sibi fingere insignia, & licebit. l. 10. & ibi Dd. C. de ingen. manumis. dum tamen non usurpet ea qvæ aliarum familiarum sunt propria. Bodin. 3. de rep. 8. p. 550.

Honoris deniq; communionem habet familia: unde est qvòd injuria illata uni de familiâ omnibus illata censetur. l. lex Cornelia 5 pr. ff. de injur. & si filius injuriâ affectus sit, pater agere potest. l. 2. C. de injur. l. 30. in fin. de injur. Et qvoniam honor familiæ pariter ad omnes spectat, caveant sedulò, ne aliqvi per fraudem & imposturam, suæ familiæ sese inserere conentur, per qvos labecula cognationi adspergitur. De his Valer. Max. lib. 9. c. 16. & Gregor. Richt. ax. œc. 213. Ita post mortem

Commodi Imp. inventus eſt, qvi ſe Sextum Condianum eſſe diceret, ac proinde recuperare facultates ejus, & dignitatem niteretur: qvi qvanqvam ſæpè, cùm examinaretur à multis, ſcitè reſpondebat, tamen poſtqvàm eum Pertinax græcè, cujus lingvæ ille peritus fuerat, interrogavit, erravit maximè. Dion. lib. 72 pag. 826. De Pſeudo Druſo vide Dionem lib. 58. p. 634. Atq; ut impoſturæ iſtæ evitentur faciliùs, hi, qvi ſe familiæ alicujus membra eſſe profitentur, apertiſſimis documentis fidem facere teneantur vel Magiſtratui, vel ipſis familiæ principibus. Hoc diligenter obſervant Veneti, cogentes eum, qvi ſe patriciâ de gente ſatum aſſerit, qvingentos aureos penes ſe deponere, dum certis teſtimoniis probet, qvòd ſit patricius. Contar. de rep. Ven. p. 14.

De deletione familiarum nonnulla notabimus.

I. Ob unius delictum in familiâ non tota familia exſtirpanda eſt. Suos enim pœna conſtringat auctores. l. 22. C. de pœn. & eſt acerbum, parentum ſcelera filiorum pœnis lui. Cic. in Brut. Proinde Perſarum illa conſvetudo, de qva teſtatur Ammian. Marcellinus lib. 23. meritò irrationabilis videtur: Leges, inqvit, apud eos impendio formidatæ: inter qvas diritate exſuperant latæ contra ingratos & deſertores, & abominandæ aliæ, per qvas ob noxam unius, omnis propinqvitas perit. Briſſen. lib. 2. de regno Perſ. p. 268. In ſacris Saulis R. Jud. ſeptem filios à Gibeonitis ſuſpenſos eſſe legimus. 2. Sam. 21. ℣. 3. Et Philotas apud Curt. lib. 6. c. 10. mœrens ſic alloqvitur patrem: Ergo cariſſime pater, & propter me morieris, & mecum? Ego tibi vitam adimo, ego tuam ſenectutem exſtingvo. Qvid enim me procreabas, infelicem adverſantibus

tibus Diis? an ut hos ex me fructus perciperes, qvi te monent? Nescio adolescentia mea miserior sit, an senectus tua. Ego in ipso robore ætatis eripior: tibi carnifex spiritum adimet, qvem si fortuna exspectare voluisset, natura reposcebat. &c. Melius ergo sanatur vitiosæ partes, qvàm exsecantur, | Cic. 2. ad Att. ep. 1. | & Putridum illud familiæ membrum resecandum, ne pars sincera trahatur.

II. Experientiâ comprobatum est, in principum & privatorum hominum familiis, successionem certâ periodo circumscriptam esse, qvâ decursâ, exspirent. Non rarò enim parentum dignitas aut in liberis exstingvitur, aut certè in abnepotib. & trinepotibus desinit.

Cambyses dignitatem à patre Cyro acceptam non ad heredes suos, sed extraneos, transmisit: Et Alexander Asiæ domitor Philippi patris gloriam secum tumulo recondidit: Marcus ille Antoninus qvo nullus doctior fuit Imperator, Commodo filio gloriam pepererat, qvæ tamen in ipso exstincta est.

Crassus ille, qvo nemo fuit locupletior, unà cum filio, qvem heredem fore speraverat, à Parthis interfectus est.

Dionysius junior paternam tyrannidem tueri non potuit: perfugium in adversis Doctrina illi conciliavit apud Corinthios; qvibus in erudiendâ juventute operam suam addixit: De illo canit Ovid. 4. de ponto, eleg. 3.

Illa Syracusiâ modò formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.

Pisistratidæ verò Hippias & Hipparchus partim cæsi, partim in exilium acti sunt: Qvòd si filii aut nepotes paternæ dignitatis fiunt capaces, videas tamen sæpiùs, eam desinere in abnepotibus aut trinepotibus. Richt. axiom. œcon. p. 92.

III. Totæ interdum familiæ eradicantur propter parentum ſcelera.

Ruben ob inceſtam cum novercâ conſvetudinem toti poſteritati pœnas accerſit. Gen. 49. Salomon ob idololatriam 1. Reg. 11. ℣. 3. Aſſarhaddon luit ob patris ſui Sennacherib blasphemias; regnum enim ab eo ad Chaldæos translatum eſt. Tarqviniana poſteritas, ob Superbi illius tyrannidem, aut cæſa, aut in exilium pulſa eſt. Liv. lib. 1. Paridis filii ruinâ cameræ in Titianâ arce oppreſſi. Dyctis Cretenſ. lib 5. atq; alia hujus rei exempla qvotidiana ſuggerit experientia.

Cap. XI.

De Collegiis & Corporibus.

COllegium à colligendo auctore Varrone 2. de ling. lat. dicitur. Eſtq; legitima trium pluriumq; perſonarum ejusdem conditionis & poteſtatis conſociatio. l. 173. ff. de V. S. Corpus verò plurium collegiorum conjunctio eſt. Dicitur & cœtus, conventus, ſodalitas, tribus. Et collegia ſodalitia. Cujac. 7. obſ. 30. Dicemus autem 1. de conſtitutione collegiorum. 2. de ſubjectis. 3. de collegiorum jure. 4. de diſſolutione.

I. Ad conſtituendum collegium ſciendum eſt, non ex qvalibet causâ collegii conſtitutionem eſſe permiſſam. l. in pr. ff. qvod qvisq; univerſit. nom. l. 1. per l. collegia 3. ff. de colleg. & corpor. Hartman. lib. 2. obſ. 53 obſ 4. n 1. Religionis autem causâ coire prohibitum non eſt. l. 1. §. 1. ff de colleg.

Qværitur hoc loco, an inconſulto magiſtratu, ob cauſam religionis collegia habere liceat? Neg.

nam

nam turbæ & seditiones inde nasci facilè possunt: & legibus, SCtis, principalibusq; constitutionibus coërcetur, ne collegium tale passim habeatur. P. Friderus 1. de process. 30. in fin. Et Athenienses damnarunt Alcibiadem, qvòd sacra collegia privatim tractaret. Æmyl. Probus & Plutarch.

Qvod antè ex l. 1. §. 1. de collegiis adductum est, vigorem suum hodie non obtinet, vel maximè ideò, ne Magistratus, cui religionis cura incumbit, aliam religionem, qvàm qvæ publicè inducta est, clanculùm introduci permittat. Privatus autem non habet potestatem constituendi collegium. c. dilecta. 14. ext. de excessib. prælator. Sed illud inire oportet ex auctoritate superioris, l. 3. §. 1. ff. de colleg. Et princeps prudenter fecerit, si non permiserit ullum collegium à subditis institui, cui ipse non præsit suâ auctoritate, per personā aliqvam à seipso delegatā. Nullum verò permittere collegium inhumanius est, qvàm ut à principe admitti debeat. Nec excusationem meretur Claudius Imp. qvi collegia passim abolebat. Dion. lib. 60.

II. Ex collegis qvi est superior dicitur Primicerius, reliqvi ordine Secundocerii. tit. C. de primocer. Collegiū autem inter pauciores qvàm tres subsistere neqvit. l. 85. ff. de V. S. Duorum enim numerus ad eam rem solennis non est. arg. l. detestatio. 40. §. unicus de V. S.

III. Inter collegas est communicatio rerum, operarum, juris & benevolentiæ.

Rerum ideò, qvia communes habent res, arcam, actorem, syndicum. l. 1. §. qvib. ff. qvod cujusq; universit. nom. c. 1. ex. de Syndico.

Operarum respectu, possunt pactionem qvam velint, inire, l. sodales. ult. ff. de colleg. modò ne qvid inde detrimenti sentiat. Resp.

Communicatio juris inter collegas certis pactis &

 legi-

legibus exprimi & confirmari debet, ac referri in certas tabulas sive libros, qvos vocant **Zunfftbücher**. Huc pertinet illud, ut id qvod collegio debetur, non singulis debitum intelligatur: nec qvod collegium debet, singuli debere dicuntur. l. sicut 7. §. si qvid ff. qvod cujusq; univers. nom. Referri & illud huc potest, ut qvi de novo veniunt ad collegium, non teneantur de debito antè contracto. tex. & ibi. Bar. in l. providendum. 13. C. de decurionib. lib. 10. & illud, qvòd ii qvi sunt in collegio alicujus artis, & artem non exercent, non gaudeant privilegiis Collegii. Bar. in l. semper. §. qvibusdam ff. de jur. immunitatis.

Edictum autem Collegii valet ex eo, si major pars consenserit. l. 19. ff. ad Municip. c. cùm in cunctis. ext. de iis qvæ fiunt à majo. par.

Ex benevolentiâ est communicatio consiliorum l. 14. ff. ad municip. animorumq; conjunctio: Animadversum enim est, Romæ neminem, qvi collegam suum magistratu dejecisset, ipsum annum supervixisse. Dion. lib. 46.

Sed qvid de Collegiis Canonicorum liberis, **der freyen Keyserlichen Stiffte** dicendum? Hæc immediatè subjecta sunt Imperio & Cæsari in civilibus, atq; ideò forum sortiuntur in Camerâ Imperiali. Geil. 1. obs. 30. nu. 9. & lib. de pignorat. c. 7.

IV. Remp. vehementer debilitat Collegiorum dissolutio. Id observarunt Romani devictâ Macedoniâ: Tum enim victis Achæis Mummius Cos. concilia omnia singularum Achaiæ nationum, & Phocensium & Bœotorum, aut in aliâ parte Greciæ delevit. Liv. lib. 35. Posteà verò cùm Romanorum imperio acqvievissent, antiqva Genti cuiq; concilia sunt restituta. Strabo.

Qværitur: An personis mutatis, mutetur qvoq; collegium? Neg. per l. 7. §. 2. ff. qvod cujusq; univers. nom. Qvòd si nul-

ſi nullus omninò remanſerit, ſolutum illud intelligitur. Accurſ. ad l.7.§.1. eod.

Qværitur denuò: An collegium auctoritate ſuperioris ob delictum deſtructum, das durch die Obrigkeit geſchleifft worden/ amittat ſua privilegia? Affirm.fac. tex.in c. placuit.de conſecrat. diſt. 1. Tum enim cenſetur nullum ejus ſubjectum amplius eſſe reliqvum. ar. l.31. ff. qvib.mod.uſusfr.amit.Bal.in tit.de pace Conſtant.in verbo Imperialis n.8. Qvod obtinet,etiamſi reſtauretur Collegium. Geil.2. obſ.61.n.4.

Cæterùm de abuſu Collegiorum, reformatione & deſtructione vid.Pet.Greg.lib.13. de Rep.3.

CAP. XII.

De Diœceſi, Diſtrictu, Territorio & Regione.

DIœceſis definitur, qvòd ſit provinciarum qvædam univerſitas,qvarum qvælibet habeat ſuum præſidem. Vult.1.I R. 13. Forcat.in Necyom. Dial.61.n.3.qvæ appellatio cum Territorio & Diſtrictu convenit. Zaſ. conſ.16. num.47.

Territorii autem notatio varia à noſtris adducitur: vel à terendo. Varro lib. 4. de ling. lat. vel à terrâ ſeu agro, id eſt diſtrictu. l.27. ff.de V. S. vel à terrendo, qvòd hoſtis terrendi causâ conſtitutum eſſe debeat. Frontinus. vel qvòd magiſtratus inter eos fines jus terrendi habeat. l. 239. §. 8. ff. de V. S. Alii qvaſi Tauritorium, tritum bobus & aratro, dictum putant. A. Knichen tr.de ſublimi ter.jure.p.31.Idq; ex eo, qvòd antiqvi cōdituri civitates taurum in dextrâ, vaccam intrinſecus jungebant, & juncti ritu Sabino, id eſt, Togæ parte caput velati, parte ſuccincti tenebant ſtivam incurvam, ut glebæ omnes in-

trinfecus caderent, & ita fulco ducto defignabant, aratrum fuspendentes circa loca portarum. Cato in orig.

Territorium definitur, qvòd fit terræ fpatium, armatum jurisdictione. Boër. decif.217. Gvido Pap. q.577. Eftq; vel anguftius, ut Dynaftia, Baronatus, Comitatus; vel latius, ut Provincia, Ducatus, Regnum.

Notentur autem de Territorio feqventia axiomata.

I. Territoria fint continua, non interrupta alterius principis dominiis. Discontinuatio enim illa magnas parit confufiones, & tempore belli non fatis firmum præfidium præftare magiftratui poteft. Atq; hoc nomine felicior eft Rex Galliarum Rege Hifpaniarum. Illius enim regnum nullo externo dominio eft intermixtum, fed omnes ejus partes veluti in circulum, arctè funt continuatæ. Hujus provinciæ, licet potentiâ & amplitudine multo fint fuperiores Gallicis, tamen interruptæ funt, ut nec regi feliciter, nec auxilii qvicqvam ab iis peti poffit.

II. Diftrictus excultus effe debet freqventibus ædificiis pagorum, vicorum, caftellorum & urbium, qvo nomine Germania noftra hodie antecellit cæteras Europæ partes, more à vetuftate discrepante. Nam olim Civitatibus maximæ laudi fuit, ut qvàm latiffimas circum fe vaftatis finibus folitudines haberent. Cæf. lib.6. de bel. Gall.

III. Territoriorum limites defignandi illi funt, qvi naturâ loci munitiores funt, qvo nomine felix eft Anglia, undiq; mari & portubus cincta; nam & in eam importatum femel aurum exportari lege & moribus prohibetur, nifi qvantum modico viatico fit: Sed hæret in ejus finu ac gremio numus, non aliter qvàm in fpeluncâ aut ungvibus Leonis ingreffæ feræ. Scipio Gentil. lib.2. parerg. c 24. Polonia econtrà nullis munitis cincta limitibus: ideoq; liberum cuiq; qvasvis res exportare.

De jure Territorii.

I. Concesso Territorio, etiam qvod alluvione vel fortunâ accedit, dicitur cedere commodo Vasalli, nisi dominus expresse sibi reservaverit. Arnold. de Reyger in Thes. p. 1479.

II. Principes Imperium non recognoscentes possunt in suis Territoriis, si sunt ampla, diversa & separata, præmunire se adversus vicinum, ædificiorum & castrorum exstructione. Geil. 2. obs. 59. in fin. aliâs enim difficulter retinentur remotæ ditiones. Curt. lib. 4. p. 60. Periculosum est, inqvit, prægrave imperium. Difficilè est continere qvod capere non possis. Vidésne ut navigia, qvæ modum excellunt, regi neqveant?

III. Territorium suum Domini purgare debent malis hominibus, ad tuendam popularium qvietem. l. 1. §. 12. ff. de off. præfecti urbi. l. 3. l. 13. ff. de off. præsid. l. 2. §. 8. C. de off. præf. præt. Afric. l. 7. ff. de incend. ruin. nauf. Zas. cons. 14. n. 8. vol. 1.

Qvòd si mercator, qvi vectigal solvit, rapinam in eo passus sit, dominus istius Territorii tenetur ad refusionem damni, vel ad exhibendum latronem. Myns. cent. 5. obs. 70. Wurms. obs. 5. Geil. 2. obs. 64. Publicè enim interest, sine periculo hinc inde comeare. l. 1. §. 1. ff. de his qvi effud. Qvod confirmatum est jure Sax. lib. 2. art. 7. his verbis: **wenn einer Geleidt giebet / der sol ihn für Schaden behüten / oder sol jhm den Schaden gelten.**

IV. Si in confinio duorum territoriorum qvis occisus reperiatur, cognitio ad utrumq; pertinet, si dubitetur, qvo loco cædes facta sit. Niell. disp. ult. Feud. in fin.

V. Qvicqvid est in Regno vel Comitatu aliqvo, **was in einem Fürstenthumb oder Graffschafft gelegen oder bekreist ist** / præsumitur esse de jurisdictione Regis vel Comitis illius, nisi contrarium probetur. Specul. ad tit. de jurisd. n. 3.

VI. Deniq; Districtûs qvò sunt fertiliores, eò incolas

habent peiores: qvia ſatietas parit opulentiam, opulentia neqvitiam. Inſulares cæteris improbiores ſunt, cujus rei causâ Siculos & Anglos qvidam producunt. Carthaginenſium etiam impoſtura & Punica fides in proverbium abiit: Et Sodomiticus ille tractus florentiſſimus erat, incolæ tamen ad qvodvis ſcelus perpetrandum parati.

CAP. XIII.

De Civitate & Metropoli.

Civitas eſt hominum ſecundum easdem leges viventium certâ ratione moderatus cœtus. Ratione moderatum dico, ut excludam pyratas, latrones, deportatos, aliasq; civitatum peſtes & catharmata: cum qvibus jura commerciorum nulla eſſe poſſunt. Aliter definit Auguſtin. lib. 19. de Civ. Dei. c. 21. qvòd ſit cœtus multitudinis juris conſenſu & utilitatis communione ſecuratus.

Differt à Rep. qvòd Civitas eſt qvaſi materia, in qvam resp. tanqvam forma inducitur: qvo ſenſu Iſocrates Remp. vocat civitatis animã, & Ariſt. 3. pol. 3. Remp. choris & harmoniis, civitatem perſonis & numeris comparat. Sicut enim iidem homines mox Tragicum mox Comicum poſſunt conſtituere chorum: ita Civitas eadem variis poteſt informari Rerump. formis: ſicut Judæorum civitas nunc à judicibus, nunc à regibus, nunc à principibus gubernata eſt.

Differt ab urbe, qvòd urbis termini muri ſunt, iisdemq; ipſa finitur l. 2. l. ut Alphenus 87. l. collegarum 173. §. 1. de V.S. Civitas autem, non in parietibus aut muris, ut loqvitur Pompeius apud Dionem, ſed ipſa hominum multitudine poſita eſt; qvam ligneis etiam muris includit Themiſtocles apud Juſtin. & Æmil. iiq; cives eſſe ali-

cujus

cujus Reip.possunt,qvi in urbe non habitant:qvemadmodum ruri morabatur Qvinctius. Plin.lib.2.c.18.& Liv. lib.3.Cato Senex & Lucullus. Hoc civitatis & urbis discrimen non adverterunt Carthaginenses, qvi de civitate promissam salutem interpretabantur de urbe. Appian. in Lybic.

Observentur hoc loco seqventia axiomata.

I. Civitas est instar unius hominis,ejusq; personam repræsentat.Bartol. in l 1.§.municipiis. n. 3. de acqvir. pos. Arist.3.pol.3. qvod idem de Magistratu dicitur. l.25.ff.ad Municip. Est autem Civitas corpus qvoddam mysticum,ad corporis vivi veriq; modum,ut Plutar. in lib. de doctrinâ princip ad Trajanum docet his verbis, referente Gvevarâ in Horol. princ. lib. 1. c. 35. Caput omnium est princeps: penes qvem imperii summa est. Oculi qvib. videmus,viri in Rep.boni sunt, qvorũ ductum seqvimur: aures qvæ audiunt qvæ dicimus sunt subditi, qvi imperata faciunt: Lingva qvâ loqvimur sunt eruditione præstantes viri, ex qvibus leges & disciplinas audimus: Capilli de capite penduli, sunt injuriâ affecti, qvi opem regis implorant: manus & brachia sunt eqvites & nobiles qvi hostem reprimunt:pedes qvi omnia sustinent, sunt agricolæ, qvi victum omnibus ordinibus subministrant: ossa dura qvæ carnem fulciunt fragilem, sunt viri sapientes qvi onus sustinent Reip.Corda qvæ palàm non videmus sunt familiares intimi,q in arcano consiliũ dant senatu:deniq; collum,qvo capiti corpus cohęret,est amor regis & regni,ex qvib. constat Civitas.Hactenus Plutar.

II. Civitatibus præsertim opibus & armis florentibus vicini principes vehementer invident. Maturè itaq; sibi prospiciat benè morata civitas, qvâ ratione principem finitimum benevolum sibi & fœderatum efficere possit. De Philip.Macedone. Justin.lib.8.in pr.refert.qvod velut è speculâ qvadã libertati omniũ fuerit insidia-

tus

tus alendo civitatum contentiones, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresq; subire regiam servitutem cogendo. Exempla hodiè passim in S. Rom. Imp. sunt cuivis obvia.

III. Civitates cùm bona & patrimonia habeant, ex suo contractu non minùs obligantur, qvàm alios obligatos habere possunt: non solùm si omnes in unum convocati cives communicato consilio, verùm etiam si administrator civitatis nomine contrahat. l. 27. ff. de reb. creditis. Ex mutuo autem non aliter obligatur, qvàm si probatum sit, pecuniam esse in usum civitatis versam. d. l. 27. Nov. 120. c. 6. §. 2. ar. l. fin. C. de vend. reb. civit.

IV. Civitas suos cives eorumq; bona ita obligare potest, ut in defectum solutionis ubiq; locorum apprehendi & arrestari possint. Geil. de arrest. Imperii c. 9. Peck. de jur. sistendi c. 4. n. 17.

V. Civitas res suas urgente necessitate alienare potest. l. si qvæ 3. C. de vend. reb. civit. si nempè omnium qvorum interest consensus intervenerit. l. 2. C. de præd. decurion. sine decreto non alienand. Aliâs pecunia Civitatis collocanda in ejus usum & administranda. N. 128. cap. 16.

VI. Civitas adversus contractum communi consensu celebratum, potest restitui: si probetur Læsio: utitur enim jure & beneficio minorum. l. 3. C. de jur. reip. l. 4. C. qvib. ex caus. majores. l. 1. C. de officio ejus qvi vicem alicujus judicis vel præsidis obtinuit. Geil. 2. obs. 62. num. 4.

VII. Civitas tenetur ex facto sui Magistratûs. l. in honorariis. §. 1. ff. de O & A. Nempè in civilibus l. 1. §. 1. de Magistratib. conveniendis. Cives enim intelliguntur scire, qvod sciunt hi, qvibus summa Reip. commissa est. l. 14. ff. ad Municip.

VIII. In conficiendis negociis Civitatis, consensus majoris

majoris partis habetur pro consensu omnium. l. qvod major 19. ff. ad Municip. Refertur enim ad universos qvod publicè fit per majorem partem. l. aliud 160. §. 1. de R. J.

IX. Civitas omnibus aliis chirographariis creditoribus præfertur, & bona debitoris à qvocunq; potest vindicare. l. 2. de debitorib. Civitatum, nisi tamen bona debitoris alteri sint obligata. l. ignorante 3. C. de remiss. pignor.

X. Civitas obligatur ex delicto. l. metum 9. §. 1. ff. qvod metus causâ. Mynß. 4. obs. 77. si vel communicato consilio delictum sit admissum, vel major civium pars deliqverit. l. aut facta §. ult. de pœnis. vel delictum per conniventiam approbatum sit. Baro à Tautenbeg in viridario concl. 80. Mynß. 4. obs. 79. Geil. de pace publ. c. 9. nu. 4. Gödd. ad l. 17. n. 20. de V. S.

XI. In Civitates ob delicti gravitatem severè animadvertendum est: & pro diversitate circumstantiarum supplicium sumitur vel de universis vel de solis ductoribus, vel deniq; sortitione factâ pœna infligitur.

Universos sæpiùs punitos legimus. De Cyzicenis Dion. lib. 54. ait libertatem iis esse ereptam.

Augustus etiam teste Sveton. c. 24. decimam legionem contumaciùs parentem cum ignominiâ totam dimisit. Qvem imitatus est Alexander Severus, qvi sæpè integras exauctoritavit legiones. Lamprid. Nec alterius illius coërcitionis, qvâ in solos delicti auctores animadversio stringitur, exempla desunt. De Capuanis perfidiosis Livius dec. 3. lib. 6. p. 219. his verbis: Ibi qvoq; in eos, qvi capita rerum erant animadversum: Ita ad 80. principes Senatûs interfecti: Trecenti fermè Nobiles Campani in carcerem conditi, alii per sociorum Latini nomi-

nis urbes in custodias dati variis casibus interierunt, multitudo alia civium Campanorum venundata.

Sortitionis deniq; usus fuit apud veteres freqvens, cujus modum describit Cic. pro Cluentio. Statuerunt ita majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in qvosdam animadverteretur, ut metus ad omnes, pœna ad paucos perveniat. Sic Cassius apud Tacit. 14. annal. 6. Et ex fuso exercitu, cùm decimus qvisq; fuste feritur, etiam strenui sortiuntur: habet aliqvid ex iniqvo omne magnum exemplum, qvod contra singulos utilitate publicâ rependitur. Quòd si igitur temeritate multitudinis, & sine magistratûs consensu qvid admissum est, si non multi delinqventes fuerint, locum habet regula, obligare singulos in solidum, qvod à pluribus commissum est. l. semper 15. §. 2. ff. qvod vi aut clàm. l. ult. de Sicar.

Si verò plures fuerint, tum interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potiùs qvàm asperandæ. l. 42. de pœn. Si verò à solo Magistratu peccatum est, pœna ibi sit, ubi & noxia est. l. 22. C. de pœnis. Si ab utrisq; simul delictum est commissum, jura Civitati adimuntur: vel privatur mœnibus, ut Carthago: vel inductione aratri deletur, ut Mediolanum: vel deniq; nostris moribus à Cæsare proscribitur, ut Aqvisgranum. &c.

De Metropoli.

Metropolis est Civitas primaria, ad qvam aliæ inferiores respiciunt, dicta qvasi μητρόπολις, id est, mater urbium, sive caput provinciæ. l. 1. C. de Metrop. Beryto. c. de his. 13. dist. 12.

Aliam

Aliam notationem adducit Isidorus lib. 7. Etymol. 12. & in c. Cleros dist. 21. Metropolin esse dictam qvasi mensuram Civitatum: Aliâs Metropolis etiam dicitur illa civitas, ex qvâ Colonia deducta est. Thucyd. lib. 4. Colonia beneficio affecta, honorem urbi matrici tribuit: injuriâ vero affecta abalienatur.

Unde Colonariæ Civitates tanqvam filiæ sunt, reliqvæ velut matres.

I. A dignitate & amplitudine metropoleos pendet totius districtûs gloria.

II. Metropolin munitam esse oportet, ut inferiores urbes tempore belli perfugium ibi habere possint.

Cap. XIV.
De Urbe & ædificiis publicis.

URbs ab urvo sive urbo dicitur, qvod est curvativa aratri, & urbare idem qvod arare, vel aratro definire l. pupillus 230. §. 6. de V. S.

In condendis enim urbibus, ut suprà cap. 7. dictum est, olim aratro utebantur, qvo futuræ urbis magnitudinem, proportionem, situmq; muro cingendum destinebant. Cælius Rodig. lib. 14. c. 1.

Oppidum ab ope ferendâ & sustinendâ dictum, d. l. pupillus. §. oppidum de V. S. Isidorus lib. 15. Orig. c. 1. deducit ab oppositione murorum, & opibus recondendis.

Oppidum verò Britanni vocant, referente Cæsare 5. com. p. 95. cùm silvas impeditas vallo atq; fossâ munierunt, qvo incursionis hostium vitandæ causâ convenire consveverunt.

Consideratur autem urbs, respectu totius, vel partium. Totius respectu Situs vrbis cognoscendus est: qvò pertinent Regulæ seqventes:

I. In

I. In exstruenda urbe salubritas aëris spectari debet: qvę major est in urbibus collocatis ad Orientem & Septentrionem, qvàm in iis qvæ sunt ad meridiem & occidentem. Ex illis enim locis sicciores & puriores spirant venti: ex his crassiores & humidiores. Arist. 7. pol. 11.

II. Observetur commoditas loci, ad qvævis negocia rectiùs perficienda: Ex locis asperis & montosis plus incommodi sentient incolæ, qvàm ex iis qvæ sunt in planicie. Malè ergo svasit Dinocrates Architectus Alexandro M. ut etiam supra montem Athon urbem extrueret, ex qvâ incolæ nihil, qvod ad vitæ sustentationem faceret, obtinere possent. Machiavel. lib. 1. disp. 1.

III. Eligatur talis locus, qvi civibus egressu facilis sit, hostibus accessu difficilis.

IV. Locus aqvis abundans placeat: ne hostes urbem ad aqvarum penuriam facilè redigere possint. Palustrem tamen locum aversari debent incolæ vel maximè ob molestiam culicum ibi nascentium, nisi propugnaculum eodem loci habere velint.

V. Urbs amplitudine suâ non nimis sit diffusa: ut cives faciliùs commercia inter se habere possint: & ne magistratûs officium in infinita extendatur, & peregrini passim sese immisceant: qvod necesse fieri oportuit in vastissimâ illâ Babylone, de qvâ Curtius lib. 5. pag. 80. Totius operis ambitum 368. stadia complecti asserit: ædificia non esse admota muris, sed ferè spatium unius jugeri abesse: ac ne totam qvidem urbem tectis occupatam: per 90. stadia habitari: nec omnia contigua esse, qvod tutius visum fuerit pluribus spargi: cætera seri, coliq;, ut si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur. In æmulationem hujus urbis Parthos condidisse Ctesiphontem prodidit Solinus

c. 70.

c.70. Sic Tyrus & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ, Phœniciæq; memorabilis. Curt. lib. 4.

VI. Urbs non nimis vicina sit mari, aut vasto flumini: neq; etiam nimium ab eo remota, ita ut cives terrâ mariq; necessaria sibi comparare possint. Urbi enim ideo maris vicinitas obest, qvòd facilè potest repleri peregrinorum hominum colluvie: qvibus ob novitatem morum corrumpuntur civium animi. Arist. 7. pol. 6.

VII. Fertilis deniq; locus eligendus est, ut in eo civibus numero auctis alimenta suppetant, potentioresq; effecti cives omnem externam vim propulsare possint. Talis fertilitas in parte Hispaniæ descripta est à Justino lib. 44. pag. 251. qvod temperato calore, inde felicibus & tempestivis imbribus in omnia frugum genera fœcunda sit, adeò ut non ipsis tantùm incolis, verùm etiam Italiæ, urbiq; Romanæ cunctarum rerum abundantia sufficiat.

Vidimus de Urbe collectim: Nunc de ædificiis publicis in urbe constitutis. Illa habentur ob causam vel religionis, vel commerciorum: vel defensionis, vel aqvæductus, vel jucunditatis. De singulis videbimus.

I. Religionis & liberalis eruditionis causâ sunt, Templa, Scholæ, Bibliothecæ.

Templa in editioribus & celebrioribus civitatis locis, qvæ splendorem aliqvem & dignitatem habent, extruendæ sunt, qvale fuit magnificentissimum Hierosolymitanum templum: eorumq; ornamenta servanda sunt, l.3. C. de paganis & sacrificiis.

Olim excubias militares circa templa fuisse discimus ex Tertull. de Coronâ, & in Apol.

Et verò cùm plerisq; in urbibus templa asylorum jura habeant, providendum, ne confluant eò homines, qvi ἐκ προαιρέσεως deliqverunt, qvos puniri Reip. interest.

Nec enim ille meretur beneficium legis, qvi contra eam delinqvit. c. fin. de immun. Eccles.

Neq; Sicariis, adulteris & virginum raptoribus delicti venia concedenda est, ideo, qvòd ad templum confugiunt. Nov. 17. Adoniam cùm fugeret ad aram, inde retractum legimus, 1. Reg. 1. ℣. 50. Et Joabum 1. Reg. 2. ℣. 29. Et Pausaniam in templo fame necatum. Thucyd. lib. 1. Olim triplici hominum generi perfugium in asylis fuit, servis, obæratis & maleficis. Lips. in not. ad lib. 3. An. Tac. p. 94.

Bibliothecæ (cujus appellatione non tantùm libros, sed etiam locum in qvo libri sunt, comprehendimus. l. Labeo 50. ff. de contrah. emt.) veræ eruditionis sunt seminaria. Notatur autem 1. Bibliothecas ad Orientem esse collocandas. Vitruv. lib. 6. Architec. 7. nam si ad occidentem & meridiem spectant, ab humore & tineis facilè vitiantur, & legentem molestiâ afficiunt.

2. Observetur, Reditus esse constituendos in rep. ad augendam qvotannis bibliothecam, qvales hodie in instructissimâ suâ Bibliothecâ liberalissimè erogare solet serenis. Elector Palatinus, imitatus Matthiam R. Hungariæ, qvi in comparandis variis scriptoribus, nullis pepercit impensis. Bonfinius. Phil. 5. Chron. p. 1273. Itemq; Ptolemæum Philadelphum R. Ægypti, qvi teste Gellio lib. 6. c. 17. ad millia fermè voluminū septingenta conqvisivit.

II. Commerciorum causâ Forum est: id est publicum & amplum spatium, pervium ad commercia hominum exercenda destinatum. Ejus tres species. 1. Forum liberum, in celebriore civitatis loco accommodatum deambulationibus, & colloqviis honestorū civium & negociatorum. 2. Forum rerum venalium: hoc à superiore sit remotum, & eò loci, qvo merces è mari & terrâ facilè comportari possint. 3. Forum Justiciæ vel Magistratûs, id est, locus, in qvo Curia, archivum, tribunal disceptandis controversiis civium condita. Arist. 7. pol. 12. in fin.

Com-

Commerciorum causâ etiam portus sunt, nempè conclusi loci, qvibus importantur merces, & inde exportantur. l. portus. ff. de V. S.
III. Defensionis causâ exstructa sunt publica ædificia, veluti Muri, Armamentaria, Turres.

Muros in urbe necessarios esse, sex argumentis probat Arist. 7. pol. 11. & ut tutiore loco sit civitas, mœnia pro facultatum conditione ampla exstruantur. Mœniorum Urbis Babylonis amplitudo à Propertio lib. 3. decantata est:

Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus;
Et duo in adversum misit per mœnia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus.

Solinus Babylonicos muros altitudine ducentos pedes tenuisse scribit cap. 70. p. 361. Vid. Curt. lib. 5. p. 79. Et Iliaca mœnia dicuntur habuisse in ambitu qvadraginta millia passuum, atq; ideò structuram eorum Diis adscribit Lucanus lib. 6.

Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Adscribatqve Deis.

De formâ murorum in oppidis Gallicis v. Cæs. lib. 7. p. 158.

Muri autem in urbe sancti sunt. l. 1. §. 1. l. 8. §. fin. de Rer. divis: nec violandi. l. ult. de L. l. 11. ff. ad l. Jul. peculatus: nec sine permissu Principis reficiendi, l. 8. §. fi. l. 9. §. pen. de rer. divis. nec deniq; habitandi, l. 3. C. ne qvid in loco sacro.

Qvòd si qvis transscenderit muros hostili animo, capite punitur, l. fin. de rer. divis. qvâ de causâ Romulus fratrem Remum sustulisse scribitur, qvod displicet Ciceroni 3. de off. placet Bartolo in tr. qvem scripsit de Tyrannide colum. 5.

Armamentaria in urbe habenda ſunt, ut indigentibus tempore belli arma inde ſubminiſtrari poſſint, qvod factum Romæ, Mario Cos. Cic. pro Rabir.

Turres à torvis, qvòd proſpiciant ante alias dici putat Terentius Varro lib. 4. de ling. lat. vel qvòd aſpectu torva ſit, vel etiam qvòd hoſtes terreat.

Magnam autem urbi dignitatem faſtigiatæ conciliant turres. Nam & ſine turribus murisq; non auſi habitare Thebani. Homer. Odyſſ. lib. λ. Nat. Com. lib. 8. Mythol. cap. 15. Cæſar de bello civili. lib. 3. in fin. Pharus eſt inſula turris, magnâ altitudine, mirificis operibus exſtructa, qvæ nomen ab Inſulâ accepit. Et hodiè Argentinenſis illa ſingulari artificio exſtructa, ædificari cœpta anno 1377. abſoluta annis viginti octo, cæteris palmam præripit. Vinnenſis tamen, qvæ extrui cœpta anno Chriſti 1340. completaq; eſt ſexaginta annorum ſpatio, gloriâ non multum inferior.

Qvibusdam etiam urbibus velut pœnæ loco impoſitum, ne turres habeant faſtigiatas. Cæterùm de turribus vide Patricium lib. 8. de Rep. tit. 5. & 6. Viget. lib. 4. c. 17. De pomœriis Godoleveus ad lib. 1. Livii. p. 55.

Qvarto loco ædificiorum publicorum numero habentur Aqvæductûs, fontes, balnea.

De aqvæductibus notetur, non licere cuiq; de aqvæductu publico aqvam ad ſuum prædium derivare: qvi ſecùs fecerint, pœnam publicationis illius prædii patiuntur, l. ſi qvis 2. C. de aqvæductu. Vid. Jul. Frontinum in lib. de aqvæductib. Romanorum.

Fontium etiam cura magna ſit in urbe, non enim ſale, non pane, non tectis tam freqventer utimur, qvàm fontibus. Neceſſitati enim, utilitati & jucunditati ſimul ſubſerviunt. Ariſt. 7. pol. 11. Lœl. Zech. de principe lib. 3. c. 2. Plato lib. 6. de legib. Et Vegetius lib. 4. de re mil. c. 10.

Magna

Magna, inqvit, urbis utilitas eſt, cùm perennes fontes murus includit. Fons autem publicus ab initio, vel ex pòſtfacto publicus effectus, uſui privatorum non applicatur, etiam ex reſcripto ſuper hoc impetrato. l.9. C.de aqvæduct. Balnea pro diverſitate ſexuum diſtincta ſint. Magna hic veterum circumſpectio. Cic. 1. Off. pag. 59. ex Val. Max. lib. 2. c. 1. noſtro qvidem more, inqvit, cum parentibus puberes filii, cum ſoceris qvidem generi non lavantur. Alexander ab Alex. lib.2. Genial.dierum cap.25. Et Adrianum Imperatorem mixta balnea ſuſtuliſſe memorat Dion, qvæ tamen atteſtante Lampridio, paulò poſt, & potiſſimùm ſub Heliogabalo rurſus invecta ſunt.

Qvinta publicorum ædificiorum ſpecies eſt, qvæ delectationis & jucunditatis causâ comparata ſunt, puta ad publicorum conviviorum celebrationem: qvomodo Lycurgus cives non tantùm ſodalitiis ac ſodalitatibus, ſed etiam perpetuis conviviis inter ſe devinxit; cuiusmodi ſunt Nymphéa, id eſt, ædes publicæ, qvibus nuptiæ celebrantur, cùm ædes deficiunt ad choreas idoneæ. Zonar. in Leone Magno. Has ædes templo contiguas eſſe debere monet Ariſt. 7. pol. 12. ut ſobrietatis rationem habere admoneantur convivantes. Huc pertinent Theatra, & Exoticothamiæ. Theatra Romæ ludis peragendis deſtinata erant. In his ſicut in Circo ſuæ partes & factiones erant. diſtracto videlicet favore plebis in hunc hiſtrionem, in illum Lipſ. ad Tac. p. 7. Per qvingentos autem & qvinqvaginta octo annos Senatus populo mixtus, ſpectaculo ludorum interfuit. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Et multos ex nobiliſſimis domibus in arenam luxuria conjecit. Sen. ep. 100. Immenſæ erant capacitatis, ut ſæpiùs ſexaginta millia civium caperent. Bodin. 3. de rep. cap. ult. in fin. Hodiè iis facilè poteſt carere civitas.

Exoticothamias dico ædes, in quibus adfervantur res peregrino ex orbe advectæ, & antiqvæ: qvarum ufus haud vulgaris eft. His inftructus eft præ cæteris Germaniæ principibus Illuftriffimus Mauritius Haffiæ Landgravius, variaq; naturæ miracula illis fubinde adjicere folet.

Cap. XV.
De ædificiis privatis.

DE his notentur feqventes Regulæ.

I. Non permiffum eft civibus ad æmulationem vel injuriam alterius ædificia exftruere: qvod cenfetur facere is, qvi ideò ædes fuas altiùs tollit, ut in vicini ædes profpicere poffit: non enim malitiis hominum indulgendum eft. l. in fundo. 38. §. conftituimus. ff. de rei vind. Geil. 2. obf. 62.

II. Ædificia & poffeffiones fuas iis modis à qvibus abeft turpitudo (ut loqvitur Cic. 2. Off.) acqvifitas qvifq; habeat: Ex illa enim poffeffionum & ædificiorum proprietate, multa Reip. obveniunt commoda. Major qvippe folet adhiberi induftria rebus propriis, qvàm iis qvæ communes habentur, cùm naturale vitium fit negligi qvod communiter poffidetur: utq; fe nihil habere, qvi non totum habeat, arbitretur: deniq; fuam qvoq; partem corrumpi patiatur, dum invidet alienæ. l. meminimus. pr. C. qvando & qvibus qvarta pars debetur ex bonis decurionum. Et Arift. 2. polit. 3. Si adeft, inqvit, dominiorum diftinctio, opes magis amplificantur, eo qvòd unusqvisq; rem fuam maximè fibi curæ effe patitur.

Accedit qvòd amoris & amicitiæ natura hæc fit, ut in plures

plures diſperſa perinde vim ſuam amittat. Plato in Mem. ut flumina qvæ in rivulos diviſa, nec hoſtes aditu prohibere,nec ferendis navibus utiles eſſe poſſunt. Qvin imò major in bonis propriis & liberior delectatio eſt, qvàm ſi commune qvid cum aliqvò poſſideamus. Sejunctas ergo neceſſe eſt, privatas poſſeſſiones, ut qvod cujusq; proprium ſit intelligatur.

Incommoda communionis bonorũ Platonicæ hæc ſunt: Labores inæqvaliter distribuuntur: Æqvè enim illi, qvi plurimum operæ impendunt, participant de fructibus, qvàm illi, qvi manum admovere nolunt: Unde diſcordiarum ſemina, & liberalitatis, qvæ de propriis bonis erogare præcipit, neglectus. Ariſt. 2.pol. 3. Nec frugalitas ibi eſſe poteſt, ubi nihil proprii habetur. Lactant. lib. 3. divin.Inſt.c.27.

Nec eſt qvod qvisqvam regerat,ob meum & tuum, ut inqvit Plato,invehi & ali contentiones & jurgia, qvibus eradicandis Magiſtratus curam adhibere debet. Jurgiorum enim cauſa non eſt ἀκοινωνησία τ̃ κλημάτων,ſed πλεονεξία & perverſitas hominum, qvorum cupiditates in acqvirendis bonis ſunt inexplebiles.

Nec illi audiendi,qvi ex Cic.1. off.obloqvuntur res nullas naturâ eſſe privatas: Loqvitur enim de jure naturæ primævo,qvo omnia fuêre communia.c.jus naturale.diſt. 1. à qvo per jus gentium receſſum eſt, cùm creſcentibus hominum cupiditatibus in commune ampliùs vivi non poſſet, & Dominiorum diſtinctio introduceretur, ut majoribus malis obviam iretur. Vasq. 2. contr. 51. num.11.

IV. Magiſtratus provideat de domibus Subditorum, ne ſuperbè nimis ſtruant aut inſtruant.Lipſ.4.pol.11. Et ſignis,aulæis,aliisq; operib.exornẽt. Sal.ad Cæſ.

Non enim domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt. Cic.2.de divinat.

Et deſipiunt illi maximè, qvi omnia potiùs viſenda, qvàm ſemet efficiunt. Saluſt. ap. Cæſ. qvi divitias per omnes ædium angulos disſipant, tectaq; ipſa fulgentia habent. Sen. de tran.animi.c.1. Hoc ipſum exprobat cuidã Martial.lib.12.p.339.& Socrates Archelao, qvi domũ ſumtuoſiſſimè ædificatam precioſâ ſupellectile inſtruxerat, & eximiis antiqvitatis monumentis exornârat: Plurimis enim undiq; talia decora inviſendi gratiâ accurrentibus, Socrates, num animadvertis, inqvit, ex tantâ multitudine domum tuam qvotidiè inviſentium, neminem adhuc tui viſendi causâ intromitti poſtulaſſe. Qvibus verbis Archelaum monitum voluit, vel minimam earum rerum pluris qvàm illum ab univerſo populo æſtimari. Xenoph. in Mem. Soc. Diogenes verò inciviliùs alteri cuidam objiciebat: Illius enim domum ingreſſus, & ſumtuoſis tapetis ſtratam ubiq; cernens, in ejus faciem exſcreavit, excuſans ſe, qvòd nullum alium inhoneſtiorem locum vidiſſet. Plut.de lib.educ.

Subditi ergo in exſtruendis ædibus ſeſe intra conditionis ſuæ limites contineant, & fortunam velut tunicam magis concinnam probent qvàm longam. Apul.in Apol.1. atq; Lacedemonios imitentur, qvi ex inſtituto Lycurgi non niſi ſerrâ & ſecuri, id eſt, ſimplicibus inſtrumentis adhibitis ædificabant. Cragius lib.3. de Rep. Lac.

Ornatûs rationem utiq; etiam, dum modus inſit, habere poſſunt; Sordida ædificia, qvalia Tartarorum ſunt tuguriola, averſari debent.

IV. Ædificia à Civibus ſarta tecta habenda, eaq; qvæ vetuſtate collapſa ſunt reparanda. l.7.ff.de off.præſid.l.8. §.poſſeſſor. C.de ædif.privat.l.4.C.de jure Reip.

Qvòd ſi per incuriam domum ſuam qvis collabi paſ-

ſus

ſus ſit, area lapſarum ædium fiſco addicitur. l. ult. C. de jure Reip. Et Veſpaſianum Imp. vacuas areas occupasſe, & ſi poſſeſſores ceſſarent ædificare cuiq; permiſiſſe teſtatur Svetonius; atq; hoc pacto mirificè crevit

Terrarum Dea, gentiumqve Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum,
Martial. lib. 12.

V. Ædificia, qvæ in loco urbis publico contra ornatum & commodum civitatis exſtructa noſcuntur, diruenda, l. præſcriptio. 6. l. ædificia 14. l. qvicunq; locus 17. C. de operib. publ. Is verò qvi juxta ædes publicas ædificare vult, ſpatium qvatuordecim pedum relinqvere tenetur, l. ſi cui 9. C. de ædif. privat. Inter mœnia ſpatium decem pedum relinqvendum, l. mœnia 11. C. eod. Inter domum autem in agro ædificatam, & ad confinem agrum tantum interſit, qvantum duo teli jactus ſpatii conficiuntur, ſin minus, qvantum unus. Nov. Leonis 71. Cujacius 17. obſ. 31.

VI. Ædificia negociandi causâ non deſtruenda ſunt, nec ornamenta detrahenda. l. ſenatus 52. ff. de contrah. emt. l. ult. ff. de damno infecto. l. 2. l. nemini, C. de ædificiis privatis.

VII. Ordinata eſſe debet ædium privatarum diſpoſitio. Antiqvitus inſtar Labyrinthi confuſo modo collocabantur ædes, nullis certis conſtitutis vicis: ex qvib. peregrini, ſi alicui civium damnum intuliſſent, effugere non poterant. Deinceps ſecundum rectam lineam ædificia diſpoſita ſunt: & perviæ plateæ conditæ. Alia etiam ædificiorum exſtruendorum ratio eſt, ſi in ingreſſu & extremitatibus urbis domus perturbato, in media verò urbe directo ordine collocentur. Atq; hanc ædificiorum ſtructuram ornatui civitatis & ſecuritati inſervire, probat Ariſt. 7. pol. 11. Vetus autem forma ædificiorum ſervanda eſt, l. 1. C. de ſervitut. & aqvæ, l. qvi luminibus ff. eod. ne diſ-

ne discordiis civium detur occaſio : qvod olim ſæpè factum ſcribit Agathias & Zonaras. Cujacius 17. obſ. 35.

VIII. Magnum ædificiis noſtris emolumentum accedit, ſi vicinitas nobis contigerit retinens veterem illum officii morem, non infuſcata malevolentiâ, non adſveta mendaciis, non fucata, non fallax, non erudita artificio ſimulationis vel ſuburbano, vel etiam urbano. Cic. pro Planc. arg. l. qvod ſæpè. 35. §. fin. ff. de contrah. emt. Geil 2. obſ. 69. n. 20. Atq; ideò Themiſtocles cùm prædium venderet, aut alliceret emtorem, proclamari juſſit, bonum qvoq; vicinum habere, Plutarch. Cæterùm de commodis vicinorum, vide Columell. 1. de re ruſt. 2.

IX. Domus, ſive domicilium, cujusq; ea cenſetur, ubi larem & ſedem fortunarum ſuarum fecit: etiamſi ſit taberna vel domus cōducta, propria vel aliena, precaria vel gratuita, qvam inhabitamus. l. 203. de V. S. l. 5. §. domum. de injur. l. qvi domum 7. l. nec in eâ 22. ad l. Jul. de adul.

Eaq; cuilibet tutiſſimum præſtare debet refugium, ut violenter inde extrahi non poſſit. l. 18. de in jus vocando. l. nemo. de R. J. Sola autem domûs poſſeſſio, qvæ in alienâ civitate comparatur, domicilium non facit. l. libertas 17. §. ſola domus ff. ad Municip. Cujac. 24. obſ. 33. in fin.

Cap. XVI.

De Formâ Reip. & an mixta detur Reip. ſpecies.

VIdimus hactenus qvoad conſtitutionem Reip. de proceſſu atq; ordine ſocietatis civilis, nempè de domeſtico perſonarum regimine Mariti & Uxoris, Patris & Libero-

Liberorum, Domini & Servi. Nunc forma Reip. considerandа est.

Est autem omnis reip. gubernatio vel penes unum, vel paucos, vel omnes: cunctasq; nationes & urbes. Populus, aut primores, aut singuli regunt. Tacit. lib. 2. Annal. Unde triplex bonæ Reip. status: Monarchicus, Aristocraticus, & Democraticus: vel ut loqvitur Lipsius 2. pol. 2. Principatûs, Optimatum, & populi status. Cæteræ si qvæ sunt vitiosarum nomine continentur. παρέκβασις Monarchiæ est Tyrannis: Aristocratiæ oligarchia: Democratiæ Ochlocratia. Machiavel. lib. 1. disp. 2. p. 11. Sine his cœtum nullum socialem reperies: qvanqvam misceantur inter se, & remittãtur aut intendantur: ita tamen, ut propendeat & præponderet semper aliqva pars, à qva jure ei nomen. Lips. d. loco. Polybius lib. 6. de mil. ac domest. discipl. Thom. Morus in Utopia. Dionys. Halicar. lib. 2. C. 3. de leg. A qvibus noviter dissentit Bodin. 2. de rep. 1. dicens nullum reip. statum mixtum dari. Sed refellitur ille usu & experientiâ: qvæ plurimas ejusmodi rerump. mixtarum formas nobis suggerit. Qvis Statûs Romano-Germanici Imperii simplicem statuat? an non ex Aristocratiâ & Monarchiâ mixtus est? in qvo tamen præponderat Monarchia: qvod patet ex eo qvòd Cæsar pleraq; summa majestatis jura sibi soli reservaverit, qvalis est extrema appellatio, Investitura principalis, regale solium, corona, pallium, sceptrum, pomum, qvod orbis figuram repræsentat, & reliqva.

Qvin etiam sub Consulibus mixta fuit gubernandi ratio, jura majestatis penes populum, administratio penes optimates residebat.

Apud Lacedemonios rege certis conditionibus electo, Ephori cõstituti sunt, qvi reges in officio retinerent, ac veluti habenis frenarẽt: atq; illi singulis mensib. mutuo jure-

juran-

jurando sese obligarunt, reges, se ex præscripto legum regnaturos: (nomine tamen magis qvàm imperio. Æmil. Prob. in Agesil.) Ephori, se civitatem illis conservaturos. Xenoph. de Rep. Lac. Et à cæteris Magistratibus ad Ephoros fiebat provocatio, qvi tamen decidendis gravioribus controversiis ob imperitiã non erant idonei. Arist. 2. pol. 7. Sic Agis ab Ephoris in carcere suffocatus est. Plut. in Agid. qvia tamen 28. senes ex optimatibus eligebantur, dicendum est, Laconicam Remp. ex Aristocratiâ & Democratiâ fuisse mixtam. Arist. d. loco. & 4. polit. 9.

Sic regni Poloniæ status mixtus est: Summum illud jus & autoritas Monarchiæ umbratilis est: ut loqvitur Christina Uladislai 1. R. uxor, apud Crom. lib. 6. Qvinimò Sigismundus Augustus Petricoviæ anno 1548. sibi imponi passus est, se nunqvam commissurum, ut non communicato cum Senatoribus consilio, ullã de re qvicqvam statuat. lib. 1. Stat. cap. 1. Præterea provocatio, qvę summi magistratûs nota est, non tam ad regem qvàm Conventus regni terminatur. Ita enim Sigismundus Cracoviæ anno 1523. A sententiâ judicis terrestris & castrensis licet unicuiq; vel ad colloqvia generalia, vel in defectu illorum ad conventionem regni appellare. lib. 4. Stat. c. 27. l. 2. Unde colligere possumus, statum in Poloniâ mixtum esse, & præponderare Aristocratiam re penitiùs inspectâ, cùm primo intuitu videbatur id dicendum de statu Monarchico.

Sic in Angliâ mixta videtur Reip. facies, qvòd Concilia observare tenetur Rex. Casus 3. pol. 5. Monarchia tamen præeminet: & non aliter initiatur, qvàm si jurejurando promiserit, se leges patriæ minimè violaturum. Bodin. 1. de rep. c. 8.

In Galliâ prima lex regni est, ne, qvod ad statum reip. in universum pertineat, regi sine publici consilii auctoritate

ritate ſtatuere liceat, Hotom. 1. de antiq. Gall. jure c.23. Vide Steph. Jun. de jure mag. in ſubd.q.6.p.239.

De Ordinum Hiſpaniæ in Regem auctoritate idem d. loco. p.234.& ſeqq.

Danorum regnum ob præeminentiam regis, Monarchiæ potiùs, qvàm Ariſtocratiæ nomen obtinet:nam licet ordinum regni non vilis ſit auctoritas, qvod patet ex eo, qvòdChriſtiernum crudelitatis nomine inviſum,regiâ dignitate ſpoliatum, carcere ad mortem detineret: non eo usq; tamen ſui valitura eſt momento, ut regiam illam poteſtatem vincat.

In Scotiâ reges, cùm publicè inaugurantur, populo univerſo ſanctè promittunt, ſe leges & ritus majorum ſervaturos, eoq́; jure, qvod à majoribus acceperunt,uſuros. Buchan. in Dial.de jur.regni apud Scot.

Ex his itaq; ſimilibusq́; aliis exemplis concludendum eſt,mixtam dari Reip.formam.

CAP. XVII.

Qvi Reip. rectè conſtitutæ finis.

QUi præſunt reip. non domini modò & arbitri rerum cenſendi ſunt,ſed tutores & adminiſtri.

Non enim illis civium ſervitus, ſed tutela tradita eſt. Sen.de clem. Utq́; tutela, ſic procuratio reip. ad utilitatem eorum qvi commiſſi ſunt,non ad eorum, qvibus commiſſa eſt, gerenda. Cic. 1. Off. Salus qvippè populi ſuprema lex eſſe debet.

Peſſimi illi & execrandi,qvi in imperio non niſi imperium cogitant, qvi exemplo Stratoclis & Democlis accedunt ad remp. velut ad meſſem auream, & exercent ſpoliarium civium. Hi ſe non civibus datos arbitrantur ſed ſibi cives.

Opti-

Optimus ergo, qvisqvis commodum, securitatem & salutem civium ante oculos positam habet. Cic. 5. de rep. illudq; Claudiani ad Honorium effatum probè observat:

> Tu civem patremqve geras, tu consule cunctis,
> Non tibi; nec tua te moveant sed publica damna.

Rex enim eligitur, non ut sese curet molliter, sed ut per ipsum ii qvi elegerunt bene beateq; agant. Xenoph. in mem. Socr. lib. 3. Et sicut sidera splendorem habent, ut usibus mortalium deserviant, sic illi dignitatem, sed cum munere officioq; devinctam. Huc referenda egregia Tiberii Imp. vox in pleno Senatu prolata (qvâ claudo librum hunc primum) Dixi & nunc, & sæpè aliâs P. C. bonum & salutarem Principem, qvem vos tantâ & tam liberâ potestate instruxistis, Senatui servire debere, & universis civibus: sæpè ac plerumq; etiam singulis: neq; id dixisse me pœnitet.

Finis Libri I.



GEOR-



GEORGII Schönborner / Siles. Phil. & J. U. D. Consil. & Cancellarii ZOLLERINI.

Liber II. Politicorum.

CAP. I. Utilísne Reip. sit ELECTIO.

QUi Electionem haud ex usu reip. esse causantur, subinde ingeminare solent, dissensionum civilium eam valdè esse feracem, cùm raro fiat, ut omnium voluntates in unum conspirent, ob naturalem hominum ad dissentiendum libidinem. Insidet adhuc multorum animis illa malorum hydra, qvantis dissidiis inter se flagrarint Proceres regni Poloniæ, cùm qvidam ex iis deposcerent Serenissimum Austriæ Archiducem: qvidam verò Inclutum hâc tempestate Regem Sigismundum: Sunt reliqva adhuc in oris Silesiæ cladis hujus vestigia: qvanqvam animus meminisse horret, luctuq; refugit! Sunt etiam aliis in regnis & provinciis exempla ob oculos posita, qvorum contemplatione qvidam ducuntur, ad improbandam tollendamq; Electionem.

Accedit, qvòd suffragia, qvæ debebant esse libera, partim

tim præmiis emendicantur: Omnis enim res, canit Horat.3.Sat.lib.2.

Virtus, fama, decus, divina humanaqve pulcris
Divitiis parent, qvas qvi conftruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juftus, fapiens, etiam rex,
Et qvicqvid volet, hoc veluti virtute paratum
Speravit magnæ laudi fore.

Plus infuper commodi redundare ad Remp. dictitant, fi, qvod freqventer ufu venire folet, fpes de aliqvo concepta eligentes fefellerit. Qvid enim novi eft, ut homines, qvorum virtus, dum privatim fuis intenti agellis viverent, fuit confpicua, in deteriùs vergant, adeptâ licentia. Tum enim fol illuftrat & profert ea omnia, qvæ anteà qvodammodò fub nubibus latuerant. Sicut vacua vafa, ajebat Plut.ad Trajan. non facilè discernere poffis, qvod eorum integrum, qvod fit vitiofum, ubi aliqvid infuderis, ftatim apparet, qvid perfluat: ita animæ nimis fatifcentes infufam potentiam non continent, fed foràs diffluunt cupiditatibus, iris, arrogantiis, ineptiis. Et qvemadmodum ii qvi laborant morbo comitiali, ut ibidem Plutarchus ait, fi in frigore verfentur, vertigine corripiuntur, & agitatione morbum eorum arguente: ita fortuna, ubi ineptos homines aliqvantulum opibus, gloriâ aut principatu extulit, ftatim eorum ruinam demonftrat. Suo exemplo hoc docet Galba Imperator, qvi major privato vifus, dum privatus fuit: & omnium confenfu capax imperii nifi imperaffet. Tac. 1. hift. Idem de Saule R. Israëlitico judicium ferre poffumus.

Verum

Verum enimverò non adducor ut credam, obesse reip. si Electione alicui legitimâ deferatur gubernandi potestas. Nam si rectè instituta sit suffragatio, nullis illaqveata præjudiciis, qvis neget optimum qvemq; per electionem reperiri? Tacit. 1 hist. qvis non conetur Reip. suæ, cui consulit, præficere eum, qvem scit à naturâ & arte ad frena reip. capessenda benè instructum? Cooptandi enim judicium integrum, & si eligere velis, consensu monstratur. Tac. ibid. Sic Tullo Hostilio in honorem virtutis regnum ultro datum. Flor. lib. 1. cap. 3. Scilicet hæc virtutis vis est, ut latére non possit: Exserit enim se in auram liberiorem: & nisi Invidiæ nebula obfuscarit hunc solem, radios suos longè lateq; emittit. Eligatur ergo is, qvi cæteros virtute & prudentiâ longo post se intervallo relinqvit. Plus etiam inter eligentes & electum benevolentiæ est: illi favore & amore proseqvuntur eum, de qvo spem concepêre bonam: hic vicissim animo in eligentes solet esse propenso & benigno, à qvibus imperandi potestatem adeptus est. Et si faciem universæ Reip. spectes, loco libertatis erit, si eligi incipimus. Tac. ibid.

Non potest in discrimen adduci Resp. aurea libertas non tollitur: Electus haud gravatim patietur certas sibi leges proponi, qvas ut cynosuram in gubernando seqvatur: metas præscriptas non excedet, abstinebit ab expilationibus & exactionibus, atq; adeò beata civium vita futura est. Qvòd si excedere limites voluerit, facilè summoveri poterit. Eligatur ergo ex omnibus qvi imperaturus est omnibus. Plut. in paneg Nec contrarium nobis persvadeat, qvod suprà primo loco dictum est, dissidia ex electione pullulare; & contentiones: expedire autem omnes in rep. dissensionum causas dimovere. Non enim semper dissidentes sunt Electorum sententiæ, & ne

G sint

fint, certis plerunq; legibus adftricti funt: qvòd fi illud interdum eveniat, non per fe, fed per accidens illud contingit: ob hominum perverfitatem, qvi etiam optima qvæq; crebris contradictionibus deftruunt. Deinde difcordias civiles interdum prodeffe, probat Machiav.1.difp.4.

Qvod fecundo loco adductum eft de emendicatis fuffragiis:robur fuũ obtinere non poteft:Electioni enim præfupponimus viros bonos & graves,qvi pejus letho flagitium timent, ut loqvitur Horat:qvi fententiam fuam apertè, ἀφθόνως & fine fuco proferunt: qvòd fi tale qvid deprehendatur, corruptum effe eligentis vnius animum, non ftatim cæteri eodem laqveo irretiri fefe patiantur: facile eft unum corrumpere: difficile plures. Et tamdiu qvis boni viri cenfetur fungi officio, qvamdiu fufpiciones in contrarium conceptæ luce meridianâ clariùs probentur. Qvod ultimò movere poterat, folere eligentes fæpè decipi, ut fpes de eligendo fallat omnes: eft id qvidem ita, fed eligendus is eft, de cujus virtute non ambigitur: qvem fciunt omnes non tam fupra fe qvàm pro fe futurum. Variis explorantibus latentes animi nævos poterunt habere cognitos: & fi qvid fimulatum fubfit, non occultabitur id diu: Simulatum enim diu confiftere neqvit. Cura ergo accurata electionem antecedat, ne pœnitentia pediffeqva fubfeqvatur.

Cap. II.

De Electione Voti liberi, & de Sortitione.

Omnis electio partim liberi eft voti, partim reftricti. Liberi voti Electio, eft fuffragatio in perfonam qvamcunq;

cunq;, qvæ ab obtinendum magistratum videtur esse idonea, sive ea sit ejusdem, sive diversæ nationis, aut conditionis. Hac libertate usi sunt Poloni in eligendo Piasto, agriculturæ operis occupato. Herbur. 1. hist. Pol. c. 12. Et etiamnum utuntur. Et olim Carthaginenses. Arist. 2. pol. 11. Itemq; Romani, qvi Cincinnatum dictatorem creatũ ab aratro trahebant in urbem. Liv. lib. 3.

Fit autem libera hæc electio per suffragia Eligentium, ut is qvi majore eorum consensu destinatus est, admittatur.

Qvòd si dissentiant inter se Eligentes, novum non est sorte dirimi litigium. Commodum ergo hic qværitur: Sitne consultum Magistratum sortitione devolvi ad aliqvem?

Multi sunt, qvi sortitionem nullam admittunt. Ajunt cum Cic. 2. de divinat: Sortiri propemodùm idem esse, qvod micare, qvod talos jacere, qvod tesseras, qvibus temeritas & casus, non ratio nec consilium valet: Totam rem esse inventam fallaciis, aut ad qvæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Recoqvunt illud Aristotelis 1. Eth. 9. extremæ dementiæ esse, id qvod maximum optimumq; est fortunæ committere: qvandoqvidem Isocrates sortitionis gubernatricem fortunam esse dixerit. Conqveruntur idem pessimos qvosq; sortitione acqviri posse. Philostrat. in vitâ Apollon. lib. 3. multisq; fraudibus & imposturis eam esse obnoxiam, cujus rei exemplum est apud Apulejum lib. 9. Met. de sacerdotib. Isidis.

Verùm qvicqvid illis arrideat, statuerim ego, si discordibus eligentium votis duo sint nominati, qvi genere, virtute, & opibus pares sunt, sorti rem committendam & decidendam esse; adductus legibus & rationibus par-

tim divinis, partim civilibus, & moribus ſive approbationibus gentium.

Nam dubia res qvævis qvâ tandem viâ fiet evidentior, niſi hâc adhibitâ? Teſtantur id ſacræ literæ Num. 16. & 33. Deut. 1. 1. Par. 25. & 26. Sic terra per ſortem diviſa eſt. Num. 26. ℣. 5. & 33. ℣. 54. & 36. ℣. 2. Deut. 1. ℣. 38. & 31. ℣. 7. Sic in locum Judæ proditoris ad Apoſtolatum per ſortem evectus eſt Matthias Act. 1. ℣. 26. qvod commune fuit olim omnium ſacerdotum: Clerici enim à ſorte dicti: & κληρικὸς idem eſt, qvi ſorte datus. Alc 5. parerg. 22.

Ita Syracuſis lex fuit, qvæ in annos ſingulos Jovis ſacerdotem capi juberet: Et cùm ſuffragiis tres ex tribus generibus creati eſſent, res revocabatur ad ſortem: ita ſcil: nam qvot eſſent renunciati, tot in hydriam ſortes conjiciebantur, & cujus nomen exiſſet, is haberet ſacerdotium. Ariſt. 4 pol. 15. Qvanqvam hodiè ſortitio omnis in Eccleſiaſticis beneficiis prohibita ſit c. ult ex. de ſortil. in fin. Non enim per ſortem eligitur Epiſcopus. l. 47. C. de Epiſ. & Cler.

Nec tantùm divinis, ſed & civilibus legibus, earumq; præſcripto, dubiis in cauſis ſortitio adhibetur: Ita enim reſpondet Ulp. in l. 13. ff. de jud. Si in judiciis duplicibus facilè diſcerni non poſſit, qvis litigantium actoris, qvis rei partes obtineat, ſorte rem diſcernendam eſſe. Idem S[illegible]rtium uſus ſtabiliri poteſt ex l. 2. poſt pr. C. qvando & qvibus qvarta pars. lib. 10. l. generaliter, §. proinde v. & fortaſſis ff. de fideicom. libert.

Romæ dignitates omnes per ſortem cuivis obveniebant: Coſſ. ſortiebantur, uter ædes Diis dedicaret. Liv. lib. 2. de ſortitione Val. Publ. & Horatii Coſs. Iidem Comitia ex ſorte habebant. Liv. lib. 5. dec. 4. ibi. Conſulibus ambobus Italia provincia decreta eſt: ita ut inter ſe compararent, ſortirentúrve uter Comitiis ejus anni præeſſet. Sic etiam Cenſores

fores inter se sorte comparabant, uter eorum lustrum conderet. Varro lib.5.de ling. lat.

Sic provinciarum administratio adsignabatur prætoribus: exemplum in Jul. Cæs. qvi ex præturâ ulteriorem sortitus est Hispaniam. Svet. cap. 18. Et Qvæstoribus l.1.§.1.ff.de offic.qvæst. Sic Julio Agricolæ sors qvæsturæ provinciam Asiam dedit. Tac. in Agric: Sic Vespasianus qvæstor Cretam & Cyrenas provinciam sorte tulit. Svet.in Vespas.c.2.

Milites etiam per sortem ad prædam vocati. Virg. 9. Æneid.

Si verò capere Italiam sceptroqve potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere sortē. &c.

Gentibus etiam pluribus sortium usus non incognitus. De Germanis Cæsar. lib. 1. de bell. Gall. Cùm ex captivis qværeret Cæsar, qvamobrem Ariovistus prælio non decertaret, hanc reperiebat causam: Qvod apud Germanos ea consvetudo esset, ut matresfamiliâs eorum sortibus & vaticinationibus declararent, utrum prælium committi ex usu esset, nec ne? eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prælio contēdissent. Sed ut ad rem accedamus propiùs, Regna sanè multis per sortem obtigisse legimus. Saul eo modo sceptrum obtinuit. 1. Reg. 10. Et Homerus 15. Iliad. ait, ipsius Saturni tres filios, Jovem, Neptunum & Plutonem, sorte qvoq; sibi Saturni patris imperium divisisse, & Jovi cœlum, Neptuno mare, Plutoni infernum obtigisse.

De Successoribus Alexandri M. memoriæ prodidit Justinus lib. 13. eos sorte divisisse regna & provincias: Aridæus defuncti frater Macedonicum obtinuit regnum: qvod tutorio nomine Perdiccas administravit: Ptolemeus

Lagi F. Ægyptum: Evmenes Cappadociam & Paphlagoniam: Lyſimachus Thraciam & regiones maris Pontici: Antigonus Phrygiam majorem: Selevcus verò Antiochi Fil. ſummum Caſtrorum Tribunatum eſt adeptus.

Ita Triumviri Auguſtus, Lepidus & Antonius à ſortitione non abhorruerunt. Appian. I. de bello civili pr. &c.

Qvod verò ſuprà dictum eſt, fortunæ arbitriis regi ſortem, nec prudentem debere ſe illi ſubjicere, cùm conſilio, non fortunâ res expedienda ſit: id à nobis facili ratione dilui poteſt: non enim fortuna, ſed Deus ſortes temperat: Nam illæ mittuntur in ſinum, Dominus verò dirigit. proverb. 16. in fin. & ibi. c.18. dicitur: Sors contradictiones comprimit, & inter potentes qvoq; dijudicat. Qvod cùm ita ſit, dubium nullum relinqvitur, ſortitione interdum, ſi neceſſitas poſtulaverit, Magiſtratum eligi & poſtulari poſſe.

Cap. III.

De Electione reſtrictâ ad certas perſonas & leges: Et utrum ambulatorium potiùs, qvàm perpetuum eſſe Magiſtratum expediat.

Altera Electionis ſpecies reſtricta eſt, & certis circumdata limitibus: eaq; ſpectat certas & determinatas vel perſonas vel leges.

In Perſonarum determinitatione illud eſt, ut nullus alius qvàm ex hâc, vel illâ gente aut familiâ eligatur: Cujusmodi legem ipſe Deus populo ſuo tulit, ne alium ſolio regali dignarentur, qvàm ex tribu Judæ & ſtirpe Davi-

Davidis oriundum. Deuter. 17. ℣. 15. Est & illud in numero horum cancellorum, ne qvis ex peregrinâ gente sceptri fiat capax: qvoniam ferè semper fieri videmus, ut provincia omnis regem domesticum, qvàm advenam impensiùs colat. Saxo Grammat. lib.5. hist. Dan. Id salubriter sanxit in Aureâ bullâ Carolus IV. Imp. ne ad imperium admitatur alius, qvàm is qvi se Germano ex sangvine satum docere possit: qvam consvetudinem cordatè propugnat Elector Moguntinus apud Sleid. sub anno 1519. Huic consvetudini qvasdam reperias contrarias; nempè ne indigena sed peregrinus ad regnum evehatur: ut tollatur inter cives æmulatio, & qvæ ex eâ oritur animorum distractio, qvod in regno Poloniæ usu observari tralatitium est.

Proximum est in Electione, ut Eligentes certas habeant leges, secundùm qvas magistratum alicui deferant: Inter eas non postremum obtinet locum, si ad certum tempus, vel in perpetuum constitutum habere velint magistratûs officium: prout hoc ipsum Reip. postulat consvetudo, & utilitas.

In dubio qværitur: Utrum ex his melius, Ambulatorium habere magistratum, an perpetuum:

Ambulatorium sive annuum multi præferunt. 1. qvòd libertatis magna custodia sit, si magna imperia diuturna non sient. Liv. lib.4. Vicissitudo enim ista fastuosa ingenia reprimit, nec inebriari nimiâ licentiâ sinit Dionys. Halic. lib. 4. E consilio Dictaturæ vis atq; majestas sexto mense exspirabat, ne qvis fretus diuturnâ potentiâ, haberet occasionem evertendi Rempublicam. Et qvemadmodum Romæ Coss: sic Carthagine qvotannis annui bini reges creabantur. Æmyl. Prob. in Hannibale. Argis qvoq; Rex unus erat, sed singulis annis amovebatur. Huc

refertur illud Ciceronis 3. de legib. Cenfores magiftratum qvinqvennium habento, cæteri Magiftratus annui funto. Duodecim etiam illi Saxoniæ proceres annum tantùm gefferunt imperium. Crantzius, lib. 2. Saxon. c. 22. idq; ideò factum, ne longiora & diuturniora imperia multos attollerent, & ad res novandas impellerent. Dion. lib. 52. Nihil enim tam utile, qvàm brevem poteftatem effe, qvæ magna fit. Senec. 7. controv. ult. Honores enim non funt continuandi. l. 18. ff. de decur. gl. in l. Divus. 18. ff. ad Municipal.

2. Si Magiftratus fit ambulatorius, anfa feditionum tollitur: Earum enim caufa præmiorum inæqvalitas: Cives omnes pares funt in ferendis oneribus: Sint ergo etiam pares in commodorum participatione, modò nihil aliud obftet, qvô minùs tutò resp. alicui committi poffit.

3. In quibus continuantur honores, nunqvam ad rationes reddendas obligatos fe exiftimant: qvo nomine vituperat Arift. 2 pol. 7. Lacedemoniorum remp. qvòd in eâ Senatores, qvi perpetuò dignitatem hanc obtinebant, immunes erant à reddendis rationibus.

4. Deniq; neceffe eft fegniùs expediri negocia œconomica ab iis, qvi continuè publicis diftinentur curis, & magiftratûs exeqvendis officiis.

Econtrà perpetuum Magiftratum effe debere fvadetur:

1. Qvòd qvis è magiftratu priùs decedere cogatur, qvàm ejus qvod didicerit fpecimen exhibuerit. Dion. lib. 25. qvo confilio Antoninus Pius Imp. feptenis & novenis annis in provinciis detinere folebat bonos præfides. Intelligebat optimus princeps, magiftratûs crebram in Rep. mutationem non fe-

cus improbandam, ac assiduam in corporibus humanis mutationem victûs. Arist. 2 pol. 6.

2. Is qvi perpetuò demandatam habet gubernandi provinciam, cum majestate imperare poterit: non enim illi metuendum, ne aliqvando privatorum contumelias, aut improborum injurias ferre cogatur. Sed tamen securitas ista animum non inflet turgido fastu, aut impellat ad tyrannidem.

Qvid statuendum in harum sententiarum conflictu?

Viam emergendi ex ancipiti hoc certamine suppeditabit distinctio: 1 inter majores, minoresq; magistratus: illos perpetuos esse conveniens est, hos temporales 2. inter diversas rerump. formas Monarchia perpetuum reqvirit gubernatorem: Democratia ambulatorium: Aristocratia ex utroq; participat. Videndum autem ante omnia, qvid cujusq; Reip. ferat consvetudo, & qvid commodi & securitatis civibus inde redundare possit.

CAP. IV.

De Electione eorum, qvi obscuro loco nati sunt.

ABsurdum videtur Socrati, cùm artes sedentarias nemo profiteatur absq; dedecore, qvi eas non didicerit: neq; qvisqvam scrinium faciendum locet ei, qvi rudis sit ejus opificii: ad publicos magistratus admitti, qvi nunqvam dederunt operam disciplinis, sine qvibus nemo potest rectè magistratum gerere. Eligendi itaq; qvos virtus, qvos genus præcipuè reddit commendabiles. Virtus primum & præcipuum reqvisitum est: nam qvi probatæ vitæ sunt, cæteros omnes antecedunt, l. 6. in pr. C. ad l. Jul. repetund. l. 1. in fin. C. de offic. Magist. off.

Genus reqvirimus ideò, qvòd consentaneum sit fortes creari fortibus & bonis, & meliores esse eos, qvi sunt ex melioribus: accedit qvòd humili loco orti, evecti impotenter se gerunt, pristinæ suæ conditionis immemores.

Asperius nihil est humili cùm surgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desævit in omnes
Ut se posse putet, nec bellua tetrior ulla est
Qvàm servi rabies in libera colla furentis,
Agnoscit gemitus, & pœnæ parcere nescit,
Qvam subiit, dominiq́ve memor, qvem verberat odit.

Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Hujus rei egregium exemplum est, Pallas, qvi asserendæ auctoritatis causâ, nunqvam domi aliqvid, nisi nutu aut manu significavit: vel si plura demonstranda essent, scripto usus, ne vocem sociaret. Tac. 13. annal.

Qvanqvam nec desint exempla eorum, qvi infimo loco nati ad principatum, & res magnas gerendas divinitùs evecti sunt.

Augustus ille, cujus nomen tam celebre fuit, avum habuit argentarium: patrem adstipulatorem, Cic. ep. ult. ad Q. Fratrem.

Helvius Pertinax Imp. libertino patre natus est Dion. lib. 73. Macrinus Imp. fuit libertinus, Maurus cum aure perforatâ. Dion. origine gentis sordidâ Aurel. Vict.

Maximus Imp. Thrax infimo loco natus evectus ad imperium. Diocletianus obscurissimè natus est: adeò ut à plerisq; scribæ filius, à nonnullis Amullini senatoris libertinus fuisse credatur. Eutrop. lib. 9. p. 74.

Vale-

Valerius Aurelianus natus in Syrmio, in familiâ ignobili, matre ſacrificulâ Solis, ab exercitu Imp. factus eſt. Mel.3. Chron.p.420.

Anaſtaſius Imp. fuit ſcriba aulicus. Mel. Juſtinus Imp. patre natus armamentario. Mel. ib.

Cæſar Gallus teſte Ammiano Marcellino lib.14. ex ſqvalore nimio miſeriarum, ætatis adultæ primitiis ad principale culmen inſperato cultu provectus, ultra terminos delatæ poteſtatis procurrens, aſperitate nimiâ cuncta fœdabat. Probus Imp. genitus patre agreſti hortorũ ſtudioſo. Aur. Victor.

Agathocles Siciliæ Tyr. qvi magnitudini prioris Dionyſii ſucceſſit, ad regni majeſtatem ex humili & ſordido genere pervenit. Juſt. lib. 22.pr.

Adramittenus Andriſcus in fulloniâ natus ob Pſeudophilippi nomen evectus eſt.

Amaſis Rex Ægypti cùm privatus adhuc eſſet, paraſiticâ & furandi celeritate ſeſe aluit. Herod. in Evterpe. p. 154.

De Perdiccâ Vid. Juſtinum lib.8. p.493. & Curt.

Herodes æditvus in templo Apollinis ad Aſcalonem filium habuit Antipatrum, qvem à prædonibus raptum ob paupertatem redimere nõn potuit. Hujus filius Herodes Aſcalonita dictus à C. Jul. Cæſ. Judææ tutor conſtitutus, titulum regis ab Auguſto accepit, is qvi pueros innocentes occidit. Joſephus lib.17. antiq. Jud. c.8.

Servium Tullium nec obſcuritas generis inhibuit, qvamvis matre ſervâ creatum, Florus lib. 1. cap.5.

Tarqvinius Priſcus Rex Rom. patre Mercatore

eoq;

eoq; exule natus eſt. Halicarn lib.3. & Valer. Max. lib.3. cap.4.

Tullus Hoſtilius humili genere & loco natus eſt: ut cujus incunabula agreſte tugurium cepit, & adoleſcentia in pecore paſcendo fuit occupata. Tzezes hiſt. Chil 6.c.72.

Viriathus paſtor primùm fuit, mox latronum dux, poſtremò tantos ad bellum populos concitavit, ut aſſertor contra Romanos Hiſpaniæ putaretur. Eutrop.lib.4.p.32.

Poſſent plures recenſeri hujusmodi gubernatores: Verùm ex his exemplis deducendum non eſt, negligendum eſſe in electione ortum cujusq;, ſecundum qvem vel probus vel improbus plerunq; evadit.

Cap. V.

De Electione Extraneorum.

Multis ea animis infixa eſt opinio, etiam exteris paterе debere aditum ad moderanda frena Reip: tum qvòd hoc modo videatur tolli æmulationis ſtudium inter cives, tum qvòd vires illius reip. ad qvam gubernandam exterus ſuam adjungit potentiam, augeri poſſint: tum deniq; qvòd illuſtria hujus rei paſſim extent illuſtrium rerump. documenta. Ex alienigenis enim accerſitos fuiſſe legimus reges aliqvot, & principes.

Numa Curibus Sabinis habitans conſultiſſimus vir, ut in illâ qvisqvam ætate eſſe poterat, omnis divini atq; humani juris, Romam evocatus ad regnum, licet initio ejus electionis Romani veteres peregrinum regem aſpernati eſſent. Liv. lib.1.p.21.

Tar-

Tarqvinius Priſcus etiam apud eund. Liv. in oratione in Comitiis habitâ, ſe non rem novam petere ait: qvippe qvi non primus, qvod qvisqvam indignari mirarive poſſit, ſed tertius Romæ peregrinus Regnum affectet. Poſt eum Servius Tullus non ſolùm peregrinus, ſed & Servâ matre natus in regnum advolavit. Liv. lib. 1.

Trajanus à Nervâ Auguſtus dictus, homo Hiſpanus primus exteræ nationis imperium Romanum obtinuit: Cenſuit enim Nerva virtutem cujusq; non patriam exiſtimari & ponderari oportere. Dion. lib. 68. p. 773.

Severus, Maximinus, Philippus Arabs Impp. omnes fuêre exteri, & tamen admiſſi.

Apud Polonos verò plurima hujus rei exempla in promtu ſunt; videmus evocatos ex Lithvaniâ Jagellones: ex Galliâ Henricum Valeſium: ex Tranſylvaniâ Stephanum Bathoreum: ex Sveciâ Sigiſmundum.

Verùm qvantascunq; illi rationes, qvæcunq; exempla adduxerint, nunqvam cum iis faciam, ut ſtatuam extraneos in remp. facilè admittendos. Verè Lipſius: Ut in qvam domum Vespillones veniunt; ſignum eſt funeris: ſic Reip. labentis, ad qvam fulciendam adhibentur peregrini.

Sunt enim πλεονεκτικοὶ, qvi ſibi ſuisq; tantùm proſpiciunt, haud ſolliciti qvid de regni & reip. viribus fiat. Diſcretam oportet eſſe domum & remp. dicebat Nero 13. an. ap. Tac. In boni Principis penatibus nihil venale aut ambitioni pervium eſſe debet.

Qvin etiam principis externi jugum moleſtiſſimè ferunt ſubditi: & nemo adeò patiens eſt, ut ejus reip. in qvâ natus & educatus eſt curam alienigenæ commiſſam

ferat.

ferat. Fatentur hoc Scythæ apud Curt. lib. 7. coram Alexandro Magno: Nam ut fortior sis, inqviunt, qvàm qvisqvam, tamen alienigenam dominum nemo pati vult. Sic Narses natione Græcus Romanis feliciter imperans, accusatur ab iis, qvòd nollent exteri hominis ferre imperium: atq; ideò remotus est. Anton. Gvevára in horol. princip. lib. 1. cap 16.

Neq; etiam poterit peregrinus Princeps à periculis tutus esse, nisi validissimo præsidio seipsum inprimis, deinde arces munierit. Bodin. 6. de rep. cap. 5. Illa verò externa præsidia plurimum Reip. detrimenti inferunt. Taceo, qvòd sæpiùs regnum defertur extraneo, illudq; repudiatur: qvæ res novos excitat tumultus interim dum Interregnum est, atq; adeò illa recusatio cum dedecore ejus regni qvod obtulit, conjuncta est.

Eligantur ergo domestici, qvi in illo ipso solo, ad qvod regendum accedunt, sati natiq; sunt: Hi morum animorumq; provinciæ gnari meliùs curabunt res patriæ notas: provocabunt subditos amore & benevolentiâ ad culturam virtutis & morum, & deniq; auctoritate apud suos non mediocri valebunt. Exemplum suppeditat Helvetiorum resp. penes qvam nulli committi solet ullum munus, qvi extra provinciam natus est. Nec movet qvod suprà dictum est, tolli inter cives æmulationis studium si admittantur exteri, nam consideratis effectibus, videndum ex qvibus ad remp. plus detrimenti redundet. Jam verò ex eo, si admittantur exteri, plus incommodi capit resp. æmulatio verò nec semper inter cives est, ob communicatos cum illis honores, & si sit, alter alterum ad virtutem incitat.

Fortius est qvod secundo loco dicitur, augeri potentiam Reip. conjunctione virium exteri principis. Verùm accessio illa lubrica est, & haud scio, an non plus obsit qvàm prosit: siqvidem hac unâ ratione peregrini in-

vehun-

vehuntur mores, qvi interdum grassantur, & evertunt totam remp.

Nec superiùs adducta exempla qvicqvam ponderis habent: nam qvod ad regnum Romanum attinet, necessitate eò deventum est, ut reges alienigenæ sumerentur, ob indigenarum, qvi habiles fuissent, defectum. Auctâ civitate, exteri ne qvidem jus civitatis habebant, nedum jus capiendi magistratum.

Qvod de Impp. dicitur, designati illi qvidem sunt ab antecessoribus, successores, ob virtutem: qvidam verò ex iis liberrimâ militum electione ad Imp. evecti sunt. Poloni verò fruantur hac consvetudine, qvamdiu illis lubet: an verò per eam reip. salus amplificata fuerit, ipsorum judicium esto.

CAP. VI.

De Electione eorum, qvibus aliqva inhæret macula.

MAgistratum non tantùm à crimine, sed ab omni criminis suspicione liberum esse oportet. Et virtus proprium ipsius esse bonum debet, si diu salubriter regnare velit. Omnes enim oculi in eum fixi: & in vitam ejus velut in speculum intuentes, dicta simul & facta animadvertunt. Inde oritur cupiditas imitandi: inde fit, ut aut virtutes emanent, aut vitia deriventur. Multa contra eos lux est: omnium in istam conversi oculi sunt. Senec. 1. de Clement. cap. 8. Et qvô qvis in majore rerum fastigio collocatus est, eô majorem virtuti operam dare debet: qvo consilio veteres recèns electo magistratui faces ardentes prætulerunt, ut cæteris virtutis & æqvitatis splendore prælucere noverit. Paradinus in Symb. heroic.

heroic. Lux publica principis ignes. p. 201. Accedit qvòd facta Magistratûs habentur pro jussis: ea enim principum conditio est, ut qvicqvid faciunt, præcipere videantur. Qvint. decl. 4. & rectè facere cives suos faciendo doceant. Vellei. lib. 2. Honesta ergo velis, Nemo non eadem volet. Senec. in Thyest. Verissimum enim est illud Theodorici R. ad Senatum, apud Cassiodorum lib 3. var ep. 12. Facilius est, si dicere fas, errare naturam, qvàm dissimilem sui princeps possit formare Rempub. Et Claudian. de 4. Consul. Honorii componitur orbis regis ad arbitrium. Id enim censetur esse genus obseqvii. Lactant. lib. 5. divin. Inst. cap. 6. Si principum suorum mores tanqvam exemplarem qvandam imaginem spectent. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio.

Nam si dediti illi sunt artibus & disciplinis, ecce omnes altum sapere affectant: Si religioni, qvalis Numa, mirum qvantoperè animus eorum flagret studio tuendæ religionis: Si inclinant ad vitia principes: non ipsi tantùm, proh dolor! concipiunt ista, sed in civitatem infundunt. Cic. 3. de ll. plusq; exemplo qvàm peccato nocent. Antiochi cæcam & amentem luxuriam imitatur exercitus. Val. Max. lib. 9. c. 1. ut & Vitellium milites. Tacit. 2. hist. Andronici incestum seqvuntur subditi Nicet. lib. 3. Manuelis: & L. Bestiam Salust. in Jug.

Probè ergo dispiciant Eligentes, qvem rerum gubernationi præficiant, siqvidem ab eo prava pleraq; aut recta, non secus atq; à sole in subjecto hoc orbe lux aut tenebræ.

Exosos autem meritò habeant eos, qvos inqvinat & contemtui obnoxios reddit vel vitæ vilitas, & sordidarum

darum

darum artium professio: vel vitæ turpitudo: vel hæresis: vel onus æris alieni : vel paupertas nimia: vel deniq; ambitionis æstus. Hi omnes à limine dignitatis magistralis arcendi sunt.

Ac ut de illis priore loco dicamus, qvi sordidas exercent artes: Complectimur eâ appellatione omnes, qvi sunt ex ultimis negociatoribus, monetariis, aliisq; deformibus ministeriis. l.6.C.de dign. l. si cohortalis 12. §. fin. C. de cohortal. l. un. C. Negociatores ne militent. Negociationem talem intelligimus, qvæ inter sordidos & abjectos qvæstus reponitur. l. humilem. C. de incest. nupt. Nec enim fieri potest, ut parvis & vilibus rebus occupati sublimes & generosos spiritus concipiant. Demosth. in orat.de rep. ordinandâ. Non excludimus Mercatores illos, qvi diffusam exercent negociationem: Hos videmus in plerisq; Rom. Imperii Civitatibus primas obtinere, & remp. maximis juvare commodis. Reprehensionem hoc loco effugere non potest Heliogabalus: Is teste Herodiano lib.6. p. 166. eò vecordiæ provectus est, ut omnes scenicos artifices ac theatricos ad maximas Imperii dignitates promoveret: qvippe exercitibus Saltatorem qvendam præfecit, qvi olim juvenis publicè in theatro operas dederat. Alium item è Scenâ Juventuti, alium Senatui, alium etiam Eqvestri ordini præposuit. Aurigis item & Comædis, minorumq; histrionibus maxima imperii munia demandavit. Servisq; suis aut libertis, ut qvisq; turpitudine reliqvos anteibat, procurationes tradebat provinciarum.

2. Rejiciuntur illi qvi vitæ turpitudine inqvinati sunt, & sine dedecore, ruboreq; in publicum prodire non audent: ut sunt omnes improbatæ vitæ viri & notati infamiâ. l.2. C. de dignit. l.un. C. de infamibus. l.1.C. de his qvi non impletis stipendiis: qvi cæsi sunt flagellis.

l.12.ff.de decurionibus: qvi rei sunt publici criminis, l.libertus 17. §. in qvæst. ff. ad Municip. l. Lucius 21. §. antepen.ff.eod.l.un.C.de reis postulatis.
3. Amoventur ii, qvi ob hæresin omnium in se concitant indignationem. Illi enim prorsus ab honoribus exclusi. Nov 45. pr. usq; ad §. enimverò. Hujus farinæ sunt Judæi.l. generaliter 3.§.fin.ff.de decurion.l. 17. C. de Judæis.
4. Tollendi ii, qvi ære alieno nimio gravati sunt: variis enim intenti sunt artibus, ut nexu illo sese liberent. Qvòd si pedem inferunt in Remp. expilationibus student & imposturis: præsertim si sunt debitores Rerumpublicarum: Hi penitùs arcentur ab omni muneris administratione.l.6.§.debitores.ff. de mun.& honor.
5. Non admittendi, qvi nimiâ paupertate oppressi victum nocturno diurnoq; labore sibi qværere coguntur: qvod ex Divorum fratrum rescripto l.6. pr.ff. de mun.& hon.intelligimus de iis, qvi ita tenues & exhausti sunt, ut non modò publicis honoribus pares non sint, sed etiam vix de suo victum sustinere possint: adeoq; minus utile, & neqvaqvam honestum talibus mandari magistratum. Paupertas enim multis occasionem delinqvendi obtulit. Sirac. c. 27.pr. Cui consentit Lactant. Firm. in lib. de ira Dei.c.20. Multa sunt, inqvit, qvæ ad peccandũ invitant, ætas, violentia, egestas, occasio. Et Salust.in Jugurth. Egentissimo omnia cum precio honesta videntur. Præterea ut canit Horat.

Magnum pauperies opprobrium, jubet
Qvidvis facere & pati.

6. Ambitiosos deniq; aditu ad Remp. intercludere placet. Multos enim falsos fieri subegit ambitio, magisq; vultum, qvàm ingenium bonum habere. Salust. in Catil, hos libido maxima invadit reip.
capiun-

capiundæ: neq; id qvibus modis asseqvantur, dum sibi regnum parent, qvicqvam pensi habent. Salust. in Catil. Hi ambitûs crimine notati, puniendi, l.un.ff.ad l. Jul.de ambitu.

Hos igitur omnes, qvorum catalogum texuimus, si potestate aliqvâ armaveris, perinde feceris, ac si febricitanti vinum, bilioso mel, cœliacis obsonia porrexeris: qvibus animi morbus, hoc est stultitia incrementa capiat.

CAP. VII.

An in Electione, ætatis sive juvenilis, sive senilis habenda ratio.

JUvenibus ante 25. æt. annum honores publicos non conferri, optimâ ratione nititur, l. ad remp. 8. ff. de mun. & hon. l. 2. §. fin. ff. de jure immunitatis. Juvenile enim vitium est, inqvit Seneca in Troade, regere non posse impetum. Et idem in octav. Juvenilis ardor impetu primo furit: langvescit idem facilè, nec durat diu. Et Juvenibus nec animus rebus gerendis concalluit, nec ætas usum dedit bene svadendi. Cic.

Non tamen desunt exempla, maximis etiam imperiis & regnis fuisse præfectos adolescentulos Salomon duodecennis Regno potitus, dijudicavit controversiam illam inter duas mulieres. 3. Reg. 3. Ignatius Martyr lib. ep. c. 3. Manasses annorum erat 12. Josias & Joachin octo. 4. Reg. 22. Theodosium jun. adhuc in cunis vagientem pater appellavit Augustū. Ladislaus Rex Ungariæ duodecennis administrationem regni sibi usurpavit. Henricus IV. Imp. cùm esset annor. octo. De Alexand. Severo Herodian. lib. 5.

in fin. Milites Alexandrum Imperatorem consalutatum in aulam Palatinam deduxerunt, adolescentulum admodùm, & adhuc aviæ præceptis obtemperantem.

Qvod de juvenibus dictum est, sceptri eos esse incapaces, id multò magis dicendum de senibus: nam

1. In magistratu auctoritatem & dignitatem esse oportet: atqvi illorum ætas irrisui & fastidio est, qvod notat in Galbâ Tacitus. 1. hist. 2.

2. Avaritia exulare debet à moderatore Reip. Jam verò senes attentiores sunt ad rem omnes qvàm sat est. Terent. in Adelph.

3. Nihil ab aliis fieri potest, qvod non illi vellicent, & scommate excipiant. Cornelius Gallus:

Stat dubius, tremulusqve senex, semperqve malorum
Credulus, & stultus, qvæ facit ipse, timet.
Laudat præteritos, præsentes despicit annos,
Hoc tantùm rectum, qvod facit ipse, putat.

Qvod sanè in Magistratu vitium esset intolerandum.

4. Prudentia illorum, qvâ juvant remp. evanuit, & qvasi exaruit: Qvotus qvisq; enim senum est, in qvem Plautinum illud non qvadret: Terræ odium ambulat: Jam nihil sapit, tanti est, qvanti fungus putridus.

Senibus ergo qviete nihil potest contingere optatius. Propert. eleg 26. lib. 2. iis præsertim, qvi climacterem magnum & fatalem ingressi sunt, vel egressi.

Cap. VIII.

De effectu Electionis: qvando is, qvi electus

electus est, administrationem aut recusat, aut suscipit: idq; vel lubens, vel invitus: & qvid de utroq; genere sit sentiendum.

ELectio ut maximè ritè peracta est, tamen effectu suo qvandoq; caret: sive qvòd is, qvi electus est, abhorret à delato munere: sive qvòd vi qvadam majore & casu fortuito impeditur, qvo minus suscipere possit. Illud verò notatu dignum, qvòd sub recusationis specie qvidam delatum imperium flagrantissimè cupiunt. Si verùm affectum eorum inspicias, non oderunt sed litigant: videbis voluntariam esse illis in eo moram, Sen. epist. 23. Artifex in eo Tiberius, qvi tandem qvasi coactus & qverens miseram & onerosam sibi injungi servitutem recepit Imperium, nec tamen aliter, qvàm ut depositurum se qvandoq; spem faceret. Sveton. in Tib. c. 24. & Tacit. Non dissimilis illi Blæsus: Is cùm legeretur procos. Africæ, respondit specie recusantis, sed neq; eâdem asseveratione consensu adulantium auditus est.

De eo videamus, si electus delatam potestatem suscipit: Videas qvi obviis ulnis amplectantur, & lætâ mente eò convolant: atq; eo nomine felices sese prædicant. Videas rursum alios, qvi dubitanter & inviti Magistratum adeunt: atq; hi plerunq; meliùs eum gerunt, qvàm qvi cupidè sese immiscent: qvo fine, nec Galba dedit eqvestria & senatoria officia nisi recusantibus. Sveton. in Galbâ. Vidit princeps sapiens igniculos virtutum in ejusmodi hominibus latitantes; consideravitq; haud dubiè Epaminondam, cui recusanti omnia

imperia ingesta sunt: qviq; honores ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Justin. lib.6.p.52.

T. Qvinctius ruri procul ambitione ac foro vitam agens, invitus coactusq; dux electus est, benè tamen præfuit. Livius. lib.7.decad.1.p.311. Helvius Pertinax Imp. coactus imperavit, repugnansq́, imperium suscipiens tale cognomentum sortitus est. Aurel. Victor. Hisce exemplis haud dubiè motus Severus invitos nec ambientes dixit in Remp. esse collocandos. Lamprid. Et Leoni Anthemioq́; Impp. indignus esse videtur sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus. l. si qvenqvam 31. in fin. C. de Epis. & Cler. Atq; hactenus de Electione, seqvitur de Successione tractatio.

Cap. IX.

Expediátne Reip. Successio.

Multis ita visum, non esse ex usu Reip. successione deferri alicui potestatem. Sæpissimè enim fieri videmus, ut hoc modo evehantur ii, qvi nec parére, nedum imperare didicerunt, qvi animo à virtute præditi sunt aversо. Nam qvis Cambysem degenerem patris boni filium dignum successione judicet? qvis Commodo Imp. spurcissimo, optimi illius M. Antonini Philosophi filio fasces deferat? qvis Caligulam accersat, natricem illam orbis terrarum?

Prætereà in delatione Magistratûs, non fortunæ arbitrio res gerenda est, sed consilio: atqvi fortuitum est nasci ex principibus, nec ultrà æstimatur. Tacit. 1. histor.

In successione etiam multæ adhibentur fraudes: Videas qvosdam ut successionem arriperent, per dolum usurpare nomen & familiam alterius. Testantur hoc suo exemplo PseudoSmerdis. ap. Herod. PseudoWoldemar⁹, PseudoFridericus, PseudoBalduinus: & alii.

Verùm his neglectis prorsus videtur, hunc modum deferendi administrationem optimis niti rationibus: firmum enim hoc est munimentum. Non classes, non legiones perinde firma imperii munimenta, qvàm numerus liberorum, Tacit. 4. hist. Et Eurip. τύραννοι παῖδες ἔρυμα δώμασι. Munimen aulæ regii sunt liberi. Lips. in not. ad Tacit. 1. annal. p. 4. Iiq; contemtui ferè obnoxii, qvi nulla eiusmodi munimenta habent: qvâ de re conqveritur ap. Curt. lib. 6. Alexander: Orbitas mea, qvod sine liberis sum, spernitur.

Et major ferè solet esse Succedentium auctoritas, qvàm Electorum, qvi in ordine qvondam inferiore vixerunt. Parit enim contemtum æqvalitas. Cohibentur etjam pravæ aliorum spes, si Successor non in incerto: & minus insidiarum extimescendum. Læl. Zech. 1. pol. 3. nu. 2.. Hæc dominatum adipiscendi ratio usitata in plurimis regnis & principatibus. Succedunt Galli, Angli, Dani, Scoti, Hispani: & principes Germaniæ omnes: qvibus etjam jure debetur successio. nam qvod per nativitatem alicui qvęsitũ est, id illi non est sine suo facto adimendum.

Nec in contrarium nos abripiat, qvod suprà dictum, deferri solere indignis administrationem: nam etsi hoc interdum fiat, non tamen fit cæco fortunæ arbitrio: Deus præficit regnis gubernatores: hi qvalescunq; sint ferendi tamen. Et qvomodo sterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, sic luxum & avaritiam dominantium tolerare debemus. Tacit. 4. histor. Temporum, qvibus nati sumus, memoriam

repetamus,bonosq; principes voto expetamus,qualescunq; toleremus. Tacit.ibid.

Unde concidit secundum illud, qvo dicitur fortuitum esse generari à principibus: Illud verò simpliciter falsissimum est. Cor regis in manu Domini: ille temperat successiones suo nutu & arbitrio: qvod vel Ethnica docet historia Gargeris apud Justin.lib.44.

Qvod de fraudibus dicitur, prudenti consilio evitari potest. Manet ergo, successionem optimum esse modum deferendi administrationem: iis præsertim locis, qvibus consvetudine & usu hoc receptum est.

Cap. X.

De Liberis, qvibus debetur successio: in qvibus prærogativam habent, qvi legitimè nati sunt, etiam ante adeptum à patre regnum, non spurii.

Liberorum in successione primus est gradus. ar.l.12. de suis & legit.l.7.§.fin. Si tab.test.null.extant. l.nam & si is.in pr.ff.de inoff. test. & ratio naturalis, qvasi lex qvædam tacita liberis parentium hereditatem addicit, veluti ad debitam hereditatem eos vocando. l. cùm ratio. 7.ff. de bon.damn.cùm etiam vivo patre qvodammodo Domini existimentur. l.in suis 11.de lib.& posth.

Hoc loco qværi solet: Uter ex duobus regis filiis, qvorum alter ante, alter post adeptum à patre regnum natus est, in successione præferatur?

Pro eo, qvem naturæ felicitas & privilegium ætatis fecit primum, militat. l.5.ff.de Senat. l.ult.C.de Decur.l.2.

§.1.ff.

§.1.ff.de decur.l.7.ff. Si tab.test.null.Nov.89.l.50.de bon. lib. Forster. tr. de successf.lib.4.c.ult.n.36. Cujac.1.Feud. 11.Menoch.5.præsumt.33.n.38.

Pro secundogenito pugnant Schrad.part.7.cap.5.nu. 37.de feudis. Niell.disp.feud. ult.th.2. Alciat. ad l. bonæ fidei.n.8.ff.depositi.per l.qvicunq; 7.C.de princip.agnat. in reb. lib.11. l.si senator.11.& ibi Bart.C.de dignit.lib.12. Vide Hotom.ill.qvæst.2.

Qværitur secundò in hoc capite. Utrum Spurii in regno succedant?

Videbatur hoc dicendum

1. qvòd sæpe magna virtutis documenta in illis deprehendimus. Eurip.in Andromach.

—— Sæpenumero certè
Arida profundam terram vicit satio.
Spurius multis legitimis melior.

2. Qvòd nullum iis potest imputari dedecus: qvid enim deliqverunt, ut ideò arcendi sint à publicis muneribus?

3. Exempla Spuriorum, qvi passim ad gerendam remp. admissi sunt, patent. Hercules nothus erat, & tamen virtute suâ Diis æqvum honorem assecutus est, Plut. Sic Theseus, sic Teucer, sic Menelaus, sic Themistocles, sic Demosthenes, idem habuerunt nascendi principium. M. Brutus, omnibus virtutum numeris absolutissimus ex adulterio sororis Catonis Servilii & Julii Cæsaris natus. Plut. Legimusq; in historiis, Arnulphum qvi primus ante Ottonem ex Galliâ in Germaniam imperii titulum transtulit, ex Caroli M. pronepotibus spurium fuisse. Alciat.tr.de duello c.17. p.27. Et Constantinum Magnum nonnulli hujus farinæ hominibus addunt, aliosq; complures.

Sed nil proficiunt prædictæ rationes & exempla. Nam princeps magnificus esse debet, ut auctoritatem apud su-

os obtineat: qvàm verò contemtui obnoxii sint, qvi non legitimè sunt nati, palàm est. Apud Svecos, Gothos & Norvegos olim vix spuriis licuit in honestorum virorum versari consortio. Johan. Magnus lib.18. c.6. Eosq; ipsa etiam divina sanctio à civili societate repellit. Deu.23.℣.2. Et Solonis lex erat, ut spurius publicum esset civitatis mancipium. Auctor horol.prin.p.218.

Deinde Spurii cùm patrem non habere intelligantur. l.23. de statu hom. ar.l. 5. de in jus voc.§.12. Inst.de nupt. nullam etiam in bonis patris successionem obtinere possunt: qvòd si hoc in privatorum bonis sanctè custoditur, qvanto magis in publicis?

Accedit qvòd Spuriorum fides valdè lubrica sit: metuuntur enim in iis paterni criminis exempla. ar.l. qvisqvis. C. ad l. Jul. Majest.qvò pertinet qvod Sap. 3.in eos dicitur. Filii adulterorum in consummatione erunt: & ab iniqvo toro semen exterminabitur. &c.

Sic hodie apud Helvetios non admittitur ad gubernationem Spurius. Simlerus de rep. Helvet. p. 148. b. & in plerisq; Germaniæ civitatibus nec ad communicationem tribuum, multo minus ad clavum Reip. &c.

Nec in regno Galliæ, ne legitimatus qvidem. Hotom. tr. de success. in regno Franc. l 3 p.34.

Arcendi ergo à limine tantæ dignitatis Spurii. Nec refert, virtus an innocentia iis inhæreat. Rarum hoc est: & exemplo perniciosum.

Cap. XI.

De jure Primogenituræ.

QUæritur I. Valeátne consvetudo, qvâ primogenitus excludit à regni & principatûs successio-

ceſſione reliqvos? Videbatur dicendum conſvetudinem hanc ſummam redolere iniqvitatem: nihil enim æqvitati magis eſt contrarium, qvàm inæqvaliter tractari eos, qvos æqvales ipſa fecit natura: qvi communes habent parentes & domicilium. l. 1. C. Unde lib. Nov. de nupt. §. ult. Deinde præcidenda omnis via, ex qvâ naſci poſſunt inter germanos diſcordiæ: Nihil enim fraternâ diſcordiâ tetrius: At verò præceps & lubrica eſt iſta contentionum inter fratres occaſio. Accedit, qvòd hi, qvi excluduntur à ſucceſſione bonorum paternorum, nihil curant aliud, qvàm ut paraſiticâ arte ſeſe alant: nam qvando molliter vivis parentibus educati ſunt, iis mortuis animum adplicant ad res nugatorias: atq; ita malis hominibus repletur civitas.

Contraria verò ſententia, his repudiatis, videtur eſſe potior. Mynſ. 3. obſer. 23. num. 1. Primò enim expedit reip. conſervari honorem familiarum. l. 1. §. 13. ff. de vent. inſpic. l. 9. C. de qvæſt. Forſter. lib. 3. de ſucceſ. c. 4. num. 20. qvod fit, ſi ſucceſſio penes unum ſit: opes, & dignitas conjunctæ manent, & ita deprimi non poteſt familiæ auctoritas. Deinde certum eſt, attenuari patrimonia per filiorum diviſiones, qvod ne fiat, publicè utile eſt.

Idq; procedit maximè in illuſtribus perſonis, qvarum poſſeſſiones, ſi varias in partes diſcerpantur, vileſcunt. Subditorum etiam intereſt, ne multos dominos habeant: meliùs reguntur ab uno; difficiliùs à pluribus. Accedit qvòd adminiſtrationem decet reſidere apud prudentiorem: major autem ferè primogeniti ob ætatem & uſum experientia eſt, qvàm cæterorum. Atq; hæc conſvetudo in multis regnis jam uſu recepta eſt. De Hiſpanis extat regia lex Tauri, explicata à Covarru. cap. ult. qq. pract. De Scotis Buchan. lib. 4. De Ungaris Innocentius III. in c. licet de voto & vot. red. Michael Ritius

in hist. Colomanni & Armi. De Anglis Baldus in l.5.de Iust. & jure. De Gallis Petrus Jacobus in tit.de success. reg. Franc. De regno Arragoniæ Oldradus conf.49.& 231. Vid. Tiraq. de jur.prin: in præf. 4. Patricius lib.9.de regno c.22.

Qværitur Secundo: An filius primogeniti præferatur patruo suo in successione ex jure primogenitorum? Patrui causam tuetur Cujac. lib.2. cap.11.p.151. de Feud. & alii qvi rationem proximi sangvinis adspiciunt, à patre rege, & nepotem toto gradu antecedit. Exempla vid. ap.Lips.in lib.monitor.polit.p.95.Hotom.ill.q.3.

Nos verò nepotis successionem propugnandam suscipimus. Certum enim est eum succedere in locum sui patris: Jam is, qvi in locum alterius succedit, eodem jure utitur, qvo auctor illius uti potuit. l. invitus 156. §. plerumq;.ff. de R.J. c. is qvi invitus, & ibi Dd. de R.J. in 6. Et Surrogatum sortitur naturā surrogati. l.si eum. § qvi injuriarum,ff.si qvis cation.participatq; de omnib. illi⁹ privilegiis cui surrogatur.l.decernim⁹.10.C.de aqvæduct.lib.11.l.comperimus 13.C.de proxim. sacr. scrin.lib. 12.l. min.51 §.pen.ff.de procu.Filius ergo iste ut in omnia sui parentis jura succedit.l.hæreditas de V.S.ita & capax est juris primogenituræ. §.si capitanei.lib.1.Feud.tit.14.

Qvod urget eò fortius, qvòd naturâ pater & filius eadem esse persona intelligantur. l. ult.C.de impub.& aliis substit.Exempla pro nepote retulit Lipsius in mon.polit. p.95. Vid. Tiraq.de jur. primog. q.40. Chassan. de glor. mund.p.5. conf.42. P. Gregor.7. de rep.10.Moller 1. Semest.40. Alciat.8. parerg.15.Forster.2. de success.18.n.15. & lib.4.c. 23.n.66. Schurff.conf.1.cent.2. Mynf.3.obs.23.

Cap. XII.
De Gynæcocratiâ.

GYnæcocratiam admitti debere, qvidam autumant: qvòd

qvòd cùm imperandi poteſtas ex virtute dependére debeat, ea tàm fœminis qvàm maribus communiter competat: Nulli enim præcluſa eſt virtus, omnes admittit, nec cenſum, nec ſexum eligit. Senec. Sunt enim plures fœminæ, qvæ virilibus curis fœminarum vitia exuerunt. Fortitudinem ſapiunt, qvæ referam exempla. Sarmatæ gens usq; eo immanis atq; atrox, ut fœminæ etiam cum viris bella ineant, atq; ut habiles ſint, natis ſtatim dextra aduritur mamma, ut inde expedita in ictus manus. Pomp. Mela pag. 81.

Pyrrhus cùm bellum gereret adverſus Spartanos, ibi majore mulierum qvàm virorum virtute exceptus: qvippe oppugnanti urbem ad tutelam patriæ tanta multitudo fœminarum concurrit, ut non fortiùs victus qvàm verecundiùs recederet. Juſtin. lib. 25. q 174. In bello Cymbrorum & Marii non minor pugna cum uxoribus eorum, qvàm cùm ipſis fuit; cùm objectis undiq; plauſtris atq; carpentis altæ deſuper qvaſi è turribus lanceis contisq; pugnarent. Perinde ſpecioſa mors eorum fuit qvàm pugna. Flor. lib. 3. c 3.

Cùm Germani bellum moviſſent in Italiam ſub Antonino Philoſopho Imp. iiq; cœſi eſſent, inter cadavera eorum, mulierum corpora armata reperta ſunt. Dion. lib. 71. p. 808.

Idem Dion. lib. 75. pag. 867. de muliebri certamine refert: In qvo cùm mulieres crudeliſſimè pugnaſſent, esſentq; ob eam cauſam cæteras nobiliſſimas fœminas conviтiis conſectatæ, cautum eſt, ne qva mulier unqvam in reliqvum tempus muneribus gladiatoriis perſugeretur.

De Germanicarum mulierum fortitudine Tacit. de mor. Germ. c.3. Memoriæ traditur, qvasdam acies inclinatas jam & labentes à fœminis reſtitutas, conſtantiâ precum, & objectu pectorum, & monſtrata cominus captivitate, &c.

Iisq; ineſſe ſanctum aliqvod & providum putarunt: Itaq; nec conſilia earum aſpernabantur, nec reſponſa negligebant. Tacit. ibid.

De iisdem Nicetas lib. 1. Manuelis Comneni: In expeditione Alemannorum in Palæſtinam viragines erant, haſtatæ atq; armatæ, ac virili habitu ornatæ, Martio vultu, Amazonibus audaciores.

Apud Britannos ſolitum fœminarum ductu bellare. Tac. in Agric. Et Triballi qvatuor phalanges ſeu ordines in acie inſtruunt: primam phalangem faciunt imbellium: alteram ab eâ fortiſſimorum qvorumcunq;: tertiam eqvitum: ultimam mulierum, qvæ reliqvas in fugam verſas convitiis ſiſtunt. Nicol. Damaſc. de mor. Gentium.

Brigantes fœminâ duce exurere coloniam, expugnare caſtra, ac niſi felicitas in ſocordiam vertiſſet, exuere jugum potuère. Tac. in Agric. c. 10.

Argivæ mulieres egregiè repulerunt Cleomenem R. Spartanorum oppugnaturum urbem: & Demarathum alterum regem, urbemq; à periculo liberarunt. Ob hoc mulierum ſtratagema usq; in hodiernum diem Argivi celebrant Numeniâ cujusq; menſis, mulieres virilibus tunicis & chlamydibus, viros autem peplis muliebribus amicientes. Poliæn. lib. 8. Stratag.

Qvin & exqviſita fœminarum calliditas: & ſæpè neceſſitatibus circumventæ conſilium capiunt ſaluberrimum ex tempore: qvalis Clœlia, de qvâ Florus lib. 1. c. 10. his verbis: Sed ne qvi ſexus à laude ceſſaret,

ecce & Viraginum virtus. Una ex obſidibus regi data elapſa cuſtodiam, Clœlia, per patrium flumen eqvitabat.

De Uxore Numæ, Poëta:

Nympha Numæ conjux conſiliumqve fuit.

De Agrippina Tacit. 1. an. c.13. Sed fœmina ingentis animi munia Ducis per eos dies induit, militibusq; ut qvis inops aut ſaucius, veſtem & fomenta dilargita eſt. Pulcheria, Theodoſii II. Imp. ſoror ſalubria fratri ſæpè ſuggeſſit conſilia.

Germani pleraſq; earum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrabantur Deas. Tac 4. hiſt.

Accedit his omnibus exemplis peculiaris qvarundam gentium conſvetudo, qvâ fœminis patuit gubernatio. Pandæ Indorum gens fœmineo ſceptro parent. Plin. lib. 6. c. 20. Ac receptum ſolitumq; in Aſiâ jam indè à Semiramide, etiam fœminas imperium inire. Arrian. lib. 1. de reb. Alex. Et Claudian. lib. 1. in Evtrop.

——Medis levibusqve Sabæis
Imperat hic ſexus, reginarumqve ſub armis
Barbariæ pars magna jacet.

Qvin imò Jure Can. ſuccedunt in dignitatibus regalibus. c. ſignificavit in pr. de Reſcript. Qvæ omnia muliebre faſtigium ſvadere videntur.

Verumenimverò non adducor ut credam Reip. eſſe proſpectum, ſi fœminis ea committatur. Omnis qvæſtio eſt, aut de regno Succeſſivo, aut de Electivo. In ſucceſſivo ſi conſvetudo eſt ſuccedere fœminas, ferendum eſt mulierem maſculâ virtute præditam gubernationi rerũ præfici, ſuffragante etiam ratione juris civilis, qvo fœmina pari jure ad ſucceſſionem vocatur, ſublato veteri inter maſculos & fœminas qvo ad ſucceſſionem diſcrimine §. 15. Inſt. de hæred, qvæ ab inteſt,

Et mos ille antiqvus instar legis habendus est, nec ab eo recedendum: si consvetudo regionis hoc non ferat, qvaliter in Gallia fieri solet, nullo modo ad successionem regni admittenda est mulier. Multo minus si qvæstio sit de regno Electivo: Nam & Romanis dedecorosa visa est Gynæcocratia, qvod innuit Tacit. 13. annal. 1. cùm de Agrippinâ his verbis disserit: Qvin & legatis Armeniorum causam gentis apud Neronem orantibus, ascendere suggestum Imperatoris & præsidere simul parabat, nisi cæteris pavore defixis Seneca admonuisset, venienti matri occurreret. Ita specie pietatis obviam itum dedecori.

Nec injuriâ summum Romani in muliebri fastigio dedecus reposuerunt. Nam Gynæcocratia intolerabilis est servitus, & signum reipub. mox interituræ:

Scire suos fines matrona & fœmina debet.

Martial. lib. 12. in fin.

Arcentur autem ab imperii tutelâ. 1. judicio ipsius Dei. 2. honestatis intuitu. 3. ob defectum virium, prudentiæ & virtutis.

1. Judicio Dei misera censetur esse resp. cujus habenas moderatur fœmina, Esa. 3. ℣. 11. Maledictus populus, cui infantes & fœminæ imperant.

2. Honestas idipsum hoc exigit: est enim contra pudicitiam sexui congruentem virilibus conventibus & officiis sese immiscere. Et Romani ne privatam qvidem rem agere fœminas sine auctoritate voluerunt: qvemadmodum disserit Cato Censorius apud Livium lib. 4. bell. Mac. multo minus publicam: qvod si fiat, non modo à libertate, sed à virtute degeneratio est.

3. Ar-

3. Arcentur ob defectus qvosdam ſexui infixos; qvi defectus conſiderantur vel in genere, vel in ſpecie. In genere, qvòd omnes ferè mulieres affectibus variis hinc inde fluctuent: Qvod iis objicit Propert.

Vos ubi contemti rupiſtis frena pudoris,
Neſcitis captæ mentis habere modum.

Et Prudentius: —— pectore in arcto
Mens fragilis facili vitiorum fluctuat æſtu.

In ſpecie verò planiùs hoc doceri poteſt, qvàm ineptæ ſint mulieres ad remp. Sunt enim

1. Virium expertes.

—— Deus iis pectus inſtruxit dolis,
Sed vim negavit. Senec. in Octav. Et ideò contemtui obnoxiæ.

2. Sunt prudentiæ expertes & conſilii: nam mollis & incautus eſt hic ſexus. Chryſoſt. par. 2. homil. in Matth. hom. 23. pr. Mollis, qvia facilè deflectitur vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum: Incautus, qvia non omnia qvæ videt aut audit, cum ſapientiâ & ratione conſiderat. Et plerumq; muliebre conſilium in deterius. Tacit. 15. annal. qvod illa apud Evripidem in Medeâ fatetur ingenuè:

Mulieres ſumus ad omnia bona conſilia ineptiſſimæ,
Malorum autem omnium artifices ſapientiſſimæ.

Nec fallit hoc mulieris de ſexu ſuo judicium: nam callidæ ſunt mulieres inveniendis dolis. Quinimò conſilium earum plerumq; adverſus propria commoda laborat. l. ſi pater. in fin. C. de ſponſal. Qvam ob cauſam olim in perpetuâ tutelâ conſtitutæ fuerunt. Cic. in orat. pro Murenâ. Cujac. 7. obſ. 11.

Virtutis expertes sunt, & in omnia ferè vitia, qvæ imperantes velut scopulos evitare debent, inclinant: Sunt enim crudelissimæ plerunq; : qvod docet Menand. ἴση λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης æqvalis leænæ & mulieris crudelitas. Et alibi: Ferarum omnium immitior fœmina. Talis Athalia, Tomyris, Olympias, Irene, Cleopatra, & aliæ.

Deinde plurimum indulgent iræ:

——Qvoties facit ira nocentem
Hunc sexum, & rabie jecur incendente feruntur
Præcipites, ut saxa jugis abrepta qvibus mons
Subtrahitur, clivoqve latus pendente recedit.

Juven. sat. 6. in fin. Et Propert. lib. 3. ad Cynthiam:

Nescit vestra ruens ira referre pedem.

Prætereà impudicæ sunt: qvòd docet Ovid. in Ep. Hel. ad Parid. & suo exemplo Julia Augusti Imperatoris filia, qvæ omnes sui temporis mulieres impudicitiâ antegressa est.

Accedit qvòd mulieris animus veluti vertigine qvadam inconstantiæ circumgyratur. Propert.

——Nulla diu fœmina pondus habet.

qvâ in re Chamæleontem imitantur: Qvemadmodum enim eum ferunt facilè variare, omnesq; assumere colores, præter candidum; ut interim fabulosum illum Protheum Ægyptium omittam: Nazianz. in Julian. Ita illæ appetunt omnia, & fluctuant: qvod sanè malæ mentis certissimum præbet indicium.

Deniq; virtute illâ præclarâ, nempe celeritate in conficiendis negociis, destitutæ sunt, qvin potiùs mulier nata est ex ipsâ morâ:

Nam qvævis alia qvæ mora est, æqvè mora,
Minor ea videtur, qvàm qvæ per mulierem est.

Plaut. in Milite.

Relin-

Relinqvatur ergo solis viris gubernandi provincia: nam qvicqvid masculum, naturâ magis factum ad imperandum fœminæo. Arist. 1. pol. 8. Qvod verò suprà qvarundam virtute præditarum mulierum mentio facta, non est sufficiens ad constituendam Gynæcocratiam: qvandoqvidem rara ista fortitudinis muliebris exempla deprehendimus: Et qvod à communi naturæ lege exorbitat, non trahendum ad conseqventiam.

CAP. XIII.

De agnatis qvi succedunt vigore pactorum familiarium, sive Confraternitatis: & de Ganerbinatu.

DEficientibus liberis legitimis, agnatis debetur successio, secundum gradûs prærogativam. Plerumq; autem in illustribus familiis pacta gentilitia sunt, ut alterius stirpe extinctâ, ad alterum patrimonium eorum & principatus, certâ successionis lege perveniat. Nostris dicuntur illa pacta **Erbverbrüderung oder Erbvereinigung** / suscepta eo fine, ut ex mutuâ & stabili successione, defensione, fide & concordiâ fraternâ, Familiarum senescentium splendor & dignitas conservetur: qvas pactiones reip. utiles esse probat Nic. Reusn. 1. cons. 7. num. 54. Et publica pax innititur ejusmodi confœderationibus. And. Knichen de jur. Sax. verb. Electorum cap. 2. num. 78. & seqq. Privatorum etiam commodis hisce pactionibus prospectum est, ne illi alienis & peregrinis Dominis subjiciantur: nam cùm omnis mutatio mala sit, principum sanè pessima est, qvoniam ex diversarum gentium commxtio-

ne legum mutatio & morum corruptio invehitur. Præterea lugubre satis & deplorandum est non ipsis solùm subditis, sed & Dominis, videre antiqva majorum prædia ac castra devolvi ad exteros. l.38. de rei vind. l. 1 §. 2. de lib. agnosc. l. cùm oportet. C. de bon. qvæ. lib. l. 22. C. de admin. tut. l 35. de pign. act.

Exempla horum pactorum qvædam subjiciam.

I. Pactum tale inierunt Duces Saxoniæ cum Landgraviis Hassiæ: Ansam illi præbuit bellum novenne, qvod Henricus Illustris dictus gessit cum Sophiâ, Ludovici Landgravii Hassiæ & S. Elisabethæ filiâ, desponsatâ Duci Brabantino anno 1268. confirmante Rudolpho I. Imp. Chytræus in Chron. Sax. lib. 18. fol. 534. & Carolo IV. Imp. anno 1370. deinde Sigismundo anno 1431. Choppin. de doman. lib.3.t.5.n.59. Huic accessit domus Brandeburgica. Renovatum est hoc pactum successorium inter Augustum Electorem Sax. Joachimum El. Brand. & filios Johannis Friderici El. & Landgravios Hassiæ, Naumburgi ad Salam. anno 1555. Sleidan. lib. 26.

II. Eodem modo inter se pacti sunt Electores Brandeburgici, & Duces Pomeraniæ, anno 1323. Chytr. in Chron. lib. 5. f. 156.

III. Idipsum factum à Johanne Friderico II. Johanne Wilhelmo, & Johanne Friderico III. cum principibus Hennebergicis, anno 1554. KL. Septemb. ut his deficientibus ad Duces Sax. perveniret Comitatus Hennebergicus: econtrà hi in districtu Coburgensi succederent: Conditio evénit in principibus Hennebergicis anno 1583.

IV. Eodem modo inter se confœderatos esse Reges Boh. cum Archiducibus Austriæ, testatur Chopp. de doman. lib.3.t.1.n.8.

V. Eodem familiari jure utuntur Duces Bavariæ & Palatini Principes, Bodin. 1. de rep. 2.

VI. Inter

VI. Inter Poloniæ, Bohemiæ & Ungariæ reges eadem intercedit confraternitas. Chytr. in chron. Sax. lib. 12. Knichen de jur. Sax. verb. Electorum c. 2.nu.73. & 76. Waremund.ab Erenbeg.tr.de fœderib.c.2.n 35.

Ut autem hæc pacta vigorem habeant, confirmationem Superioris accedere necesse est: Cæsaris enim auctoritate & absolutâ potestate suffulta, malorum morum reprehensione carent, & affectatæ mortis votum tollitur: adeoq; plenitudinis arbitrio effici potest, ut paciscentes fratrum loco habeantur. Geil.2.obs.127.nu.5. Idq; eò magis obtinet, si confirmationi adnexa sit clausula: ex certâ scientiâ & justâ causâ. Chassan. in catal. glor. mund.p. 5.cons.24.n. 107. qvæ causa, qvoties à principe aliqvid contra jus positivum statuitur, semper justa esse præsumitur. Mynf.4. obs. 8.nu.3. Solet & illa plerumq; confirmationibus clausula addi: **Dem heiligen Reich vnd menniglich an seinem Rechten vnnachtheilig.** Clapmar. de arcan. rerump.lib. 2 cap 21. Semper tamen in confirmatione reqviritur confœderatorum principum consensus: qvod ex eo patet, in confirmatione confraternitatis Hennebergicæ & Saxonicæ, reqvisitum esse consensum Landgravii ut fœderati. Reusn.1. cons.3.nu.48. ne illius jus, qvod in spe positum habet, intervertatur eo inscio, qvod fieri non debet. ar. l. si filiof. 11. ff. ex qvib. caus. in possess. eatur. Hæc pacta vim legis obtinere scribit Zaf. 2. cons. 1. nu. 22. cùm status & ordines Imperii habeant omnimodam jurisdictionem, & sic potestatem condendi legem. l. in suis territoriis. Geil. d. obs.n. 8. neqve ex eo aliqvid auctoritatis iis decedit, qvòd votum captandæ mortis inducere dicuntur: In principibus enim cessat ejusmodi sinistra suspicio. Geil. ib.nu.2. præsertim Germanis: qvibus nulli mortalium fide aut armis superiores. Tac. de mor. Germ. neq; inde labefactantur, qvòd voluntatem testandi eripiant, fieri enim ple-

rumq; ſolet reſervatio certæ rei, de qva integrum qvovis modo & tempore disponere. Hotom. conſ.72. nu.34. Sic in pacto Brandeburgicæ & Haſſiacæ familiæ proviſum, ut teſtamenta, qvæ alterutri principes facerent, decedentes ſine maſculâ prole, rata eſſent, dum tamen ultra ſummam decẽ mill. flor. non teſtarentur. Reuſn. 1. conſ.3. n. 28.

Pacta ejusmodi non tantùm eos qvi pepigerunt, ſed etjam ſucceſſores eorum obligant, cùm præſumantur ejusdem eſſe voluntatis & affectûs cum prædeceſſoribus. Et ſibi invicem debent defenſionem, cùm plura corpora & familiæ coëant in unam qvaſi eſſentiam: qvippè confœderatio eſt tantæ potentiæ, ut etiam de duobus corporibus unum faciat, mutuæ defenſionis gratiâ. Gigas tr. de crim. læſ. maje. ſub rubricâ de rebellib. q. 21. Illi enim videntur ſibi mutuò ſalutem propriam & omnia concredere; qvod de commilitonibus dicitur in l. cùm allegas 4. C. de caſtrenſ. pecul. milit. & præfect. 12. c. 37. Qvinimò confratres ad mutua invicem auxilia & copias militares tenentur. Laudenſ. in tr. de confœd. princip. Hippol. à coll. tr. de princip. c. 3.

Qvòd ſi plures confratres inter ſe bellum gerant, qværitur cui confratrum ſuccurrendum ſit? Confraternitas qvæ vetuſtiori jure nititur, potior eſt: & ſecunda ſemper ſine præjudicio primæ cenſetur facta c. un. §. fin. de prohib. feudi alien per Frid. niſi diviſo auxilio utriq; ſatisfacere poſſit. Alberic. 3. de jure belli cap. 18.

Homagium principibus omnibus confœderatis ſubditi præſtant: qvæ tamen præſtatio vivente naturali domino non importat ſubjectionem: nec enim confratrum fœdus jurisdictionem confert. Bal. conſ. 306. vol. 5. Neq; etiam civitates & provinciæ utuntur privilegiis iſtius principatûs, cui per pactum hoc gentilitium adhærent: nec ſtatutis: nec crimen læſæ majeſt. in eos, qvi per fraternitatem conjuncti ſunt, committitur. ar. l. 7. de captiv. & poſtlim. reverſ. c. ad Apoſtolicos. de re jud.

Qværitur, an ad similitudinem horum pactorum privatis concedatur ejusmodi pactorum usurpatio? Non sanè videtur. Warem. de Erenbeg. de fœd. c. 2. n. 36. Forst. de succes. 4. t. 24. n. 24. & 25. Vult. de feud. c. 9. n. 48. Heig. 2. q. 23. n. 41.

Ganerbios alii deducunt ab eundo, ut sint qvasi gang Erben: alii à festinatione q. accelerantes hæredes gehe Erben / ad qvos tanqvam descendentes properet successio: alii à communione heredum, quasi gemeine Erben: qvod probat Rittershus. 1. partit. Feud. 17. p. 257. Idem hujus rei originem ad ea refert tempora, qvibus in armis jus positum erat, zu der Zeit / da das Faustrecht im schwang gegangen: cùm prædones latrocinia hinc inde exercerent, & ex rapto viventes arces munitas sibi extruerent: reperti sunt alii qvi ab istâ deprædandi consvetudine abhorruerunt, & salutis suæ tuendæ causâ contra incursum hostilem sese munierunt: hi confraternitatis jura inter se coluerunt: ὁμόκαπνοι: & cùm suis in arcib. non satis tuti esse viderentur, vicinorum principum clientelam & tutelam expetiverunt. Hæc fraternitas certis sancita fuit legibus, qvas leges seu conventiones appellarunt den Burgfrieden.

Auctâ eorum potentiâ cœperunt alios opprimere: qvorum tamen improbitas publicis Imperii constitutionibus coërcita est. Recipere prætereà solebant eos, qvi in bannum imperiale incidissent. In receptatores gravem sanxit pœnam Maximilianus I. Imperator anno 1500. in Augustanis Comitiis: adeò ut nec conjunctum Ganerbium iis recipere licuerit. In eosdem qvadruplex pœna statuta Wormatiæ anno 1495. I. Daß ihr Leib vnd Gut allermenniglich erlaubt sein sol / vnd niemand daran freveln kan oder mag. 2. Daß alle Pflicht vnnd Recht auch anforderung die sie haben sollen / gegen denen so ihnen verhafft / tod vnd ab seyn. 3. Daß sie alle Lehen verfallen haben. 4. Daß sie vor

vnredlich gehalten werden. Qvod eodem loco repetitum anno 1521. & Augustæ anno 1548. & deniq; insertum Ordinationi Cameræ anno 1555. part. 2. tit. 13.

Fit igitur Ganerbinatus pactis & conventionibus, quibus Superioris accessit confirmatio: pertinetq; etiam ad diversas familias, qvæ jure cõfraternitatis inter se coaluerunt: ita ut uno mortuo succedat alius ex eadem familiâ, aut si non extet, vel nolit, portio deficientis accrescat cæteris condominis: Administratio bonorum plerumq; est apud majorem natu, pro qvo onere habet partem fructuum: reliqvi fructus dividuntur æqvis portionibus inter omnes gentiles. Qvòd si alicui eorum diutiùs in Ganerbinatu commorari non placuerit, renunciatione sese expedire potest. Exempla arcium Ganerbicarum d. loco recenset Rittershusius: qvarum prima est Rotenburgensis prope Noribergam: cujus arcis condomini nobiles plures 70. sunt: qvorum unus Burggravius loco judicis est: altera est prope Friburgum in Weteraviâ, immediatè subjecta Imperatori tanqvam Domino feudi: tertia in arce Saltzburg ad Salam in Franciâ Orientali: Ganerbicam civitatem ibid. dicit Crucinacum, cujus condomini sunt Electores Palatini & Marchiones Badenses: & Gelnhusam civitatem Imperialem huic adnumerat Paurmeist. lib. 2. de jurisdict. cap. 8. n. 68.

Cap. XIV.

De Tutoribus illustrium Personarum.

Illustribus personis, videlicet Electorum, Principum, Comitum, Baronum liberis, vel testamento, vel auctoritate Summi Principis, tutores constitui solent. De Electoralibus tutoribus qvæstio est: Utrum Tutor ab Electore S. Rom. Imperii testamento constitutus præ-

præferendus proximiori agnato? Qvod videbatur 1. qvia certi juris eſt, tutelam legitimam ceſſare, qvoties ſperatur teſtamentaria. l. ſi qvis. 11.ff.de Teſt tut.
2. qvia voluntas Teſtatoris eſt lex. Nov. 22. c. 2. §.1. Ut ergo lex ad obedientiam obligat. l. 1. & 2. ff. de legib. ita & Teſtatoris diſpoſitio excludens tutorem legitimum.

Contrarium tamen eſt verius. 1.qvia Electoratus non eſt in jure & poteſtate morientis, ſed lege defertur, & cum certâ qvalitate, ut futurus Elector ſit in tutelâ proximi agnati ad 18. ætatis annum. De ejus ergo adminiſtratione nulla poteſt in teſtamento fieri diſpoſitio.
2. Idē ſvadet ſalus Reip. Satis enim periculoſum eſt, tantæ celſitudinis adminiſtrationem extraneo commendare:
3. Et niſi hanc admitteremus declarationem aureæ bullæ, ſupervacanea eſſet diſpoſitio. Verba autem in omni diſpoſitione ita accipienda ſunt, ne deſtituantur effectu, l. ſi ſtipulatus ff. de uſuris. l. ſi qvem ff. de leg. 1. 4. Deniq; non convenit æqvitati, jus qvæſitum alicui aufferri ſine ſuo facto. l.11.de R.J. Atqvi agnatus proximus jus illud dignitatis lege qvæſitum habet, qvod ſine ſuo facto amittere non poteſt.

Nec difficilis eſt ad ea, qvæ in contrarium adducta ſunt, reſponſio: Loqvuntur enim de regulâ, hic verſamur in exceptione, qvam aurea bulla ſuppeditat. Et obtinent eo caſu, qvando Teſtator nihil contra jus diſponit: nemo enim efficere poteſt, ne leges in ſuo teſtamento locum habeant. l nemo 55. ff. de legat. 1.

Alia magni momenti qvæſtio huc referenda eſt: An ex aureâ bullâ Caroli IV. in Electoribus anno 18. ætatis, tutela & cura finiantur, ita ut poſt annum 18. non tantùm Electores ſint, ſed & ducatûs & principatûs ſui adminiſtratores? Affirmativa

ſententia potior eſt: Abſurdum enim eſſet, eum carere adminiſtrandi facultate, qvi legis auctoritate ad Electoratûs eminentiam evectus eſt: & individuus eſt nexus dignitatis cum principatu ejusq; juribus. tit. 20. Aur. bull.

Nec reſiſtit declaratoria Sigismundi Imp. bulla: nam & illius obſervatio nunqvam invaluit: aut ſi invaluiſſet, non ad Electores, ſed ad reliqvos principes, qvoad adminiſtrationem, referenda eſſet. And. Knichen ad jus Saxon. cap. 5. Cæterùm ut certa ſit deciſio, ſicubi in hanc ſpeciem fortè emergerent caſus, ſpectanda ſunt nova in Electoratu Palatino & Saxonico hujus rei præjudicia; qvibus meritò inſiſtendum eſt.

Cap. XV.

De Succeſſione in regnis, qvæ jure belli fit.

QUodcunq; captum eſt ex hoſtibus, dominio Victoris ſubjicitur. l. naturalem 5. § fin. l. adeò qvidem 7. in pr. & l. transfugam 51. ff. de acqvir. rer. dom. Habetq; Victor univerſale jus non particulare. Hotom. q. ill. 5. idq; etiam divinâ lege. Deut. 20. Gen. 48. Et Romani, leges pacisq; cõditiones victis proponere ſoliti ſunt ex arbitrio. Mach. lib. 2. disp. c. 6. Sic Spartani & Athenienſes qvoscunq; occuparunt omnes ſibi ſubditos fecêre. Idem lib. 2. c. 4. Hoc jure Aſiam Alexander tenuit: nec ferendus eſt Lucanus, qvi orbis terrarum prædonem vocat Alexandrum lib. 10. nec Seneca lib. 1. de benefic. qvi & alia, & hoc in Alexandro notat, qvòd latro fuerit. Et principes jure belli ſuccedunt victo, ut ſuæ victoriæ fructum capiant, & ſecuri-

tati

tati prospiciant. Indicebatur & jure victoriæ tributum. Tac. 4. hist. qvomodo Justinianus Imp. victis Zanis tributa indici jubet, ut se victos agnoscerent. Agath. 4. Et agri tributo onusti, hominum capita stipendio censa, notæ sunt captivitatis. Tertul. in Apolog. Rigidiùs apud Cæs. lib. 1. Ariovistus pronunciat, jus esse belli, ut qvi vicissent, iis qvos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent, &c. Ratione temperatum necesse est novum illud imperium, alioqvi illi qvi victi sunt, facilimè defectionem moliuntur, & ab imposito jugo resiliunt.

CAP. XVI.

De Successione ex jure Connubiorum.

QUod prudenter Tacit. in Agric. ait: Esse matrimonium ad majora nitenti, decus ac robur: id commodùm eò trahimus, solere multis ex jure connubiorum successionem regni competere: isq; succedendi modus stabilis & freqvens est; qvod non negat Lycus ambiens Megaræ nuptias, apud Senecam in Herc. fur.

—— alieno in loco
Haud stabile regnum est, una sed nostras potest
Fundare vires, juncta regali face
Thalamisqve Megara, ducet è genere inclito
Novitas colorem nostra.

Illustre huic rei exemplum præbet domus Austriaca, qvæ per connubia multas sibi acqvisivit provincias. Maximilianus I. Imp. ductâ in Uxorem Mariâ, Caroli Burgundiæ

gundiæ Ducis bellicofi filiâ, fortitus eft Belgium: Philippus ejus filius, ductâ Johannâ, Regis Ferdinandi filiâ, univerfam Hifpaniam. Albertus Archidux ductâ Ifabellâ, potiores Belgii provincias. Sic Henricus Haffiæ Landgravius, Illuftriff. Mauritii propatruus, cùm duxiffet filiam Philippi Comitis in Catzenellenbogen, qvi fuit ultimus fuæ familiæ, curavit fe unà cum uxore fuâ, vivo adhuc focero, de eo Comitatu inveftiri ab Epifcopo Herbipolenfi, eaq; occafione Comitatus ille Henrico fine liberis mafc. defuncto ad Hafs. Landg. pervenit. Rittershuf. 1. part. feud. c. 16. n. 20. Nec vetera defunt exempla.

De Dario Juftin. lib. 1. Principio regni, Cyri R. filiam, regalibus nuptiis regnum firmaturus, in matrimonium recepit, ut non tam in extraneum translatum, qvàm in familiam Cyri reverfum videretur.

Et Perdiccas, ut viribus auctoritatem regiam acqvireret, ad nuptias Cleopatræ fororis Alex. M. & alterius Alexandri qvondam uxoris intendit. Juftin. lib. 13.

Caveat tamen is, qvi hoc pacto fucceffionem acqvifivit, ne frena gubernationis à Conjuge fibi eripi patiatur: fuo nomine pleraq; agat, atq; ita fibi auctoritatem apud fuos, metum apud hoftes afferat.

Cap. XVII.

De Succeffione, qvæ fit ex titulo Donationis: & de Donatione Conftantini Magni.

Donationibus inter vivos etiam acqviri folet regnum vel provincia.

Ita

Ita legimus, Regi Galliæ donatum esse Delphinatum à principe Umberto anno 1349. eâ lege, ut regis filius natu maximus Delphinus diceretur: & ditionē illam tanqvam Imperii feudū ab Imperio recognosceret, eoq; nomine Imperii Vasallus esset. Theod. Nihemius li.2.hist. c.25.

Sed qvid Constantinianæ tribuendum donationi, qvam tantis extollunt præconiis Pontificii? Egregium, si dicere fas est, colorem adfingunt rei incognitæ & obscuræ; imò prorsus nullæ. Nunqvam enim hanc donationem esse factam, probatissimi auctores liqvidè demonstrant. Valla in lib. de commentitiâ Constant. donat. Alciat. 7. par. 19. Ant. Contius lib. 2. subsec. lect. c. 20. n. 1. nulla ejus apud JCtos fit mentio, nulla apud historicos, qvi res gestas Constantini literis mandarunt. Deinde regnorum divisio facta est aut ab ipso Constantino, aut eo defuncto à filiis: Constantius Orientem & Thraciam sortitus: Constantinus II. regnavit in Galliâ, Germaniâ, Britanniâ & Hispaniâ: Constans in Italiâ. Zonar. in vitâ Constantis in pr. Qvin imò reliqvi Impp. sedem imperii sui Romam habuerunt, qvod utiq; non permisissent Papæ, si jus aliqvod habuissent: & Gothi, qvi post ejectos Imperatores potiti sunt Italiâ; omnimodam Imperii potestatem sibi solis reservarunt: itemq; reges Longobardici. Deniq; certum est, multos Impp. post Constantinum tulisse leges, ad qvarum observantiam tam populus qvàm ipsi Pontifices adstricti fuerunt. Non ergo facta est unqvam hæc donatio: sed totum illud qvod de eâ dicitur, ex fastuosâ Papicolarum arrogantiâ proficiscitur.

Posito qvòd facta fuerit, non tamen illa jure valere potest: tum qvòd Princeps regalia in præjudicium successorum alienare neqvit. Hotom. qvæst. illust. 1. p. 23. Cacheran. decis. 101. n. 13. nec enim diminuere debet imperium, sed augere, §.2. proœm. Inst. jur. tum qvòd à Papali munere discrepat dominandi in Rep. potestas. Gregem ille suum curet: Legem in republicâ tuendam commisit

misit Summus ille Imperiorū fundator principibus, qvibus etiam pro auctoritate sui officii, provinciarum semel ab Imperio avulsarum recuperatio competit.

Cap. XVIII.

De Successione, qvæ ex Testamento competit.

Testamento acqviri regnum, extra controversiam est, si scilicet is, qvi per successionem plenum jus disponendi de suo regno habet, alium heredem regni instituerit. Solus Cranzius lib. 2. Daniæ c. 3. eâ de re dubitat; ita enim scribit: Ungvinus Gothorum Rex erat, qvem Haldanus post se regni moderatorem in Daniâ designavit, Norvegiæ Hasmundum impuberem filium relinqvens. Novum & antehâc incompertum munus testamento datum: Eqvidem ædes, agros, prædia, vineas, & his similia testamento dari audivimus: regnum autem præstare chartæ beneficio, prodigii loco habitum est. Miror doctissimum virum non animadvertisse apud Eutropium lib. 4. & Justinum lib. 36. Attalum regem Pergami ditissimum testamento heredem scripsisse populum Rom. licet eum doli mali in adeundâ hereditate Attali, non obscurè insimulet Mithridates apud Salustium: & Horat. od. 18 carm. 2.

—neq; Attali,
Ignotus heres, regiam occupavi.

Miror non considerasse Cranzium, qvòd Alexander Ægypti Rex Alexandriam & Ægyptum populo Romano

mano legasse dicitur, apud Ciceronem 2. Orat. Agrar. Miror non legisse eum qvod ab Evtropio lib. 6. scriptum: Nicomedem Bithyniæ Regem morientem, populum Romanum fecisse hæredem: regnumq; ipsius in provinciæ formam redactum.

Mathildis qvas in Thusciâ & Longobardiâ possessiones habuit, patrimonio Divi Petri per testamentum adjecisse dicitur. Sigon. lib. 10. de reg. Ital. Qvod verò dicitur testamento solere successionem competere, tum demum locum habet, cùm nullæ sunt in regno leges, qvæ hoc ipsum fieri prohibeant.

CAP. XIX.

De modis illegitimis, qvibus administratio acqviritur, nempè per violentiam, fraudem, & largitiones.

GLoriam ignavus æqvè ac fortis expetit: Sed hic verâ viâ nititur: ille aut leoninâ aut vulpinâ indutus pelle negocium conficit. Ad gerendum magistratum omnibus ardet animus: sive id vi, sive fraude adipiscantur, nihil pensi habent.

Violenter sese ingerunt multi, cùm magno eorum qvi parent fastidio. Abimelech unus Judicum populi Dei auspicatus est imperium cæde 70. suorum fratrum: & qvod scelere obtinuerat, scelere administravit. Judic. 9. Sic Tarqvinius Superbus scelere partam potestatem non meliùs egit, qvàm acqvisiverat. Florus lib. 1. cap. 7. Agathocles, ut sibi tyrannidem assereret, Senatum Syracusanum die qvodam coëgit, tanqvam

aliqva, qvæ è rep. eſſent, deliberaturus: ac ad nutum ad id conſtitutum juſſit, à ſuis militibus omnes Senatores omnesq; è populo ditiores ad unum interfici: qvibus trucidatis principatum illius Civitatis occupavit, ac ſine ullâ civili controverſiâ illum tenuit. Machiavel. de principe c. 8.

Crudeliùs Turcæ hodie auſpicantur ſuum imperium, à jugulatione fratrum, peſſimo Monarchiæ obtinendæ Zelo.

Dixi per violentiam ſæpè acqviri ſolere dominatum: ſæpiùs idipſum contigit per vinolentiam. Piſonem ebrietas præfectum fecit. Plin. lib. 14. Sveton. in Auguſto. c. 42. Sic multi hiſce tyrociniis ad rerumpubl. adminiſtrationem initiati, temporibus Alexandri M. Tiberii & Heliogabali.

Eſt & alius, ſed mitior obtinendi modus, ſed tamen illegitimus. Nam cùm mortalibus nihil ſit carius pecuniâ, atq; inter homines una plurimum valeat: Eurip. in Phœniſs. facilimè illaqveari poſſunt eorum animi muneribus, qvi jus ſuffragiorum habent.

Sic avidis fallax indulget piſcibus hamus,
Callida ſic ſtultas decipit eſca feras.

Semiramis regnum, qvod fraude qvæſierat, largitionibus confirmavit. Juſtinus lib. 1.

Sic Roma unà cum toto ſuo imperio, qvaſi in foro aut mercatu, venalis propoſita eſt: Poſt mortem Pertinacis Imp. emebant Sulpitius & Julianus factis contra ſe mutuis licitationibus; atq; auctione paulatim ab iis factâ, eò ventum eſt, ut ſingulis militibus vicena ſeſtertia daturos ſe promitterent. Dion. lib. 73. p. 843. Sic Juſtinus pecuniâ ſibi emit militum ſuffragia. Melanth. in Chron. p. 536. Sed apage iſtos, qvi ſe hoc pacto ingerunt: virtute ambire oportet, non pecuniâ. Sat favitorum habet, qvem penes eſt virtus.

Cap.

CAP. XX.

De Inauguratione Magistratûs, ejusq; Insignibus.

ADministratione rectè delatâ, Inauguratio seqvitur: qvæ pro variâ locorum consvetudine varia esse consvevit. Tartarorum, Arragonum, Charinthiorum regum initiandi ritum complexus est Bodinus lib.1. de Rep. cap. 8. pag. 130. Antiqvitus in Inauguratione cujusq;, & post eam, ad declarandam Magistratûs personam, varia adjecta sunt Insignia: qvorum aliqva breviter subjiciam.

1. Diadema à διαδέω, qvod est circumligo. Erat enim fascia candida, qvæ capiti regis vel reginæ circumligabatur, Justin. lib. 15. p. 122. inventum à Libero patre. Plin. lib. 7. c. 56. Silius lib. 19. de Jubâ Rege: regniq; insigne vetusti Gestat Jova decus, cinguntur tempora vittâ Albenti. Egesippus lib. 2. de bell. Jud. c. 1. qvid enim sella aurea albatumq; diadema, nisi regni forent insignia? Ita Manuel Comnenus diademate coronatus à Michaële Patriarchâ Nicet. lib. 1. Ita ferunt regem subtilis judicii traditum sibi diadema, priusqvàm capiti imponeret, considerasse ac dixisse: o nobilem magis qvàm felicem pannum! Val. Max. lib. 7. cap. 11. Eodem insigni regio Tyridates vinctus. Brissonius lib. 1. de regno Pers. p. 7. Et Ochi inviti reluctantisq; caput à proceribus regni Persici, eodem diademate vinctum. Ctes. in Pers. Dupliciq; diademate vinxisse caput scribitur Parthorum Rex Artabanus. Herodian. lib 6. Diadema autem primus Romanorum principum usurpavit Aurelianus Aur. Vict.

2. Crux imperii fuit insigne. Regum purpuras (inqvit Hieronymus) & ardentes diadematum gemmas, patibuli Salvatoris pictura condecorat.

3. Annulus aureus signum traditæ potestatis. Sic Alexander Hephestioni porrectione annuli potestatem concessit. Curt. Et Johannes Comnenus Patri Alexio Imperatori morituro annulum detraxit. Nicet.

4. Fasces. Harum origo est à Romulo, qvi sibi 12. adscivit lictores, fasces virgarum cum securi portantes. Regibus exactis, Coss. qvoq; iis utebantur: sed non ap. utrumq; Cos. erat, sed tantùm apud majorem natu, vel apud eum, qvi plures suscepisset liberos, ex l. Juliâ de maritandis ordinibus. Gell. lib. 2. ca. 15. Suspendebantur autẽ Coss. foribus: iisq; inde sumtis lictores, qvi domo egredienti Consuli apparebant, obviam plebem submovebant, & fores, si qvò ingrediendum esset Consuli, pulsabant. Plin. lib. 6. cap. 30. Solin. cap. 5. Secures illi appensi, qvibus innuere voluerunt, iram magistratûs non debere esse in præcipiti, & solutionem fascium qvę paulatim fit, moram aliqvam iræ injicere debere, & cunctationem. Plutar. in Roma. qvæst. 82. Vel qvòd cùm vitiorum alia sint sanabilia, alia insanabilia, virgis corrigebantur, qvæ emendari poterant, securibus secabantur immedicabilia; ut cauteriis ignitis putrida vulnera. Cujac. 20. obs. 37.

5. Hasta. Justinus lib. 43. p. 247. Per ea adhuc tempora, inqvit, reges hastas pro diademate habebant, qvas Græci sceptra dixère. Nam & ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres hastas coluêre, ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur: qvo fine Parthenopæus apud Æschylum per hastam jurat, eamq; colit pro Deo.

6. Purpurea vestis: cujus color rubicundus sangvinis imperium & necis inferendæ potestatem notavit. Lactant. lib. 4. de verâ sap. c. 7. Et Valentiniani Constitutio est

est l. un. C. de vestib. holos. & aur. ne qvis vestes auratas gerat præter principem, ne qvis purpuram gestet. Eiq; soli competebat inscriptio purpurea l. 6. C. de divers. rescrip.
7. Trabeæ, de qvibus, ut aliis imperii insignibus, Florus lib. 1. c. 5. his verbis: Tarqvinius Priscus oriundus Corintho, qvi Græcum ingenium Italicis artibus miscuit, Tusciæ populos freqventibus armis subegit, inde fasces, trabeæ, curules annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta, inde qvod aurato curru qvatuor eqvis triumphatur. Togæ pictæ, tunicæq; palmatæ, omnia deniq; decora & insignia, qvibus imperii dignitas eminet. Virgil.

Et sellam regni trabeamq; insignia nostri.

8. Cidaris, de qva Curt. lib. 3. Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distincta circuibat.
9. Campagus, calceamenti genus principibus solis usitatum. Cujac. 21. obs. 28. Et Imperatorum calceos purpureos describit Nicetas in vitâ Alex. Comn.
10. Sceptrum. Ægyptiorum & Æthiopum reges sceptrum in aratri formam habent: pileos illongos gestant, circa finem habentes umbilicum, serpentib. qvos aspidas vocant, circumvolutum, monumentum insigne, eos qvi contra regem insurgere audeant, mortiferis morsib. subesse. Diodor. lib. 4. c. 1. P. Greg. lib. 35. Syntag. 1. n. 21. In illo summo regum sceptro Ciconiæ figura sculpta erat, in imo verò Hippopotamus: qvo symbolo admonebantur reges, ut essent pietati dediti, & alieni à violentiâ. Garsias de Expens. & melior. p. 75. n. 54.
11. Iisdem Ægyptiis Regibus, nunc Leonis, nunc tauri aut draconis effícti imaginem, aut ignem, arboremve effictam supra caput ferre, principatûs & regii dominatûs insignia fuêre. Diod. Sic. lib. 2.

12. Scutum: Ammian: Marcellin. lib. 20. de Juliano à Gallicanis militibus principe renunciato: Impositus est, inqvit, scuto pedestri, & sublatus eminens populo silente Augustus renunciatus, jubebatur diadema præferre.

13. Tiara Regum Persicorum propria. Brisson lib. 1. de regno Pers. p 30. & Marcellinus lib. 29. refert, Saporem R. Pers. aureum capitis arietini figmentum, interstinctum lapillis, pro diademate gestasse.

14. Virgæ laureatæ. Herodian. de Gordiano: Seqvebatur ipsum Principalis pompa omnis, milites, qvicunq; aderant, juvenesq́, urbani, procerâ staturâ, ad eorum similitudinem, qvi Romæ Imperatorem comitantur: Virgæ item laureatæ, qvo insigni principes à privatis dignoscuntur, &c.

De his similibusq; Imperii insignibus eleganter Seneca 1. de benefic. Qvid habet corona preciosum? qvid prætexta? qvid fasces? qvid tribunal & currus? nihil horum honor est, sed honoris insigne. Et Prudentius: —— Nónne cursim transeunt

Fasces, secures, sella, prætexta, togæ,
Lictor, tribunal, & trecenta insignia
Qvibus tumetis?

15. Prælatio ignis. Herodian. in Commodo: Nihilo secius Commodus honores sorori suæ servavit: nam & in theatris sellâ imperatoriâ sedebat, & ignis eam præcedebat. Idem de Pertinace. Venit in senatum, neq; ignem sibi passus præferri, neq; aliud ullum principatûs insigne attolli. Qvi mos haud dubiè originem traxit à Persis. Illorum enim regi prælatum esse ignem docet Xenophon. lib. 8. παιδίας. καὶ πῦρ ὄπισθεν τοῦ ἅρματος ἐπ' ἐσχάρης μεγάλης ἄνδρες εἵποντο φέροντες. Qvod

ipsum

ipsum de Asiaticis regibus etiam scriptum reliqvit Ammian. Marcell, lib. 23.

Cap. XXI.

De Juramento à Magistratu præstando.

JUramentum præstare debent illi, qvibus committitur administratio, se pro administrationibus sortiendis, neq; dedisse qvidpiam, neq; daturos unquam postmodùm fore, sive per se, sive per interpositam personam, & se nihil penitus tam in administratione, qvàm post depositum officium, pro aliqvo præstito beneficio, tempore administrationis, qvam gratuitò meruerunt, accepturos. l. sancimus 6. C. ad l. Jul. repetund.

Forma juramenti proponitur in Nov. 8. in fin. eaq; ad Deum solum καρδιογνώστην concipienda est. Olim (ut Tertull. loqvitur) majore formidine & callidiore timiditate Cæsarem observabant, qvàm ipsum de Olympo Jovem: citiùs deniq; apud eos per omnes Deos, qvàm per unum genium Cæsaris peierabatur. Nam Claudius inter cæteros, referente Sveton. cap 2 jusjurandum neq; sanctius sibi, neq; crebrius instituit, qvàm per Augustum.

Mira verò veterum in juramentorum formulis superstitio & varietas hoc loco nonnihil attingenda est: ut Christiani hodie detestari discant eorum deliria, & gratâ mente recognoscant, qvantis è tenebris ostensâ veritatis luce, fuerint emersi. Romani jurabant per Jovem lapi-

dem. Gell. lib. 1. c. 21. per Solem. Virg. 12. Æneid. Arcades per aqvã Stigis. Herod. lib. 6. p. 349. Nasamones per viros qvos credebant esse optimos. Herod. in Melp. p. 273. alii per caput eius qvem carissimum habebant. l. 3 §. fin. & l. seq. ff. de jurejur. Forcatulus in Necyomantiâ dial. 12. per ossa & cineres parentum. Propert. lib. 2. eleg. 20. & lib. 4. eleg. ult: per oculos apud Plaut. in Menæchm. per caput apud Homer. Iliad. α. Per Numam Hermogenianus. Item per Hephæstionem Alexander: per anserem Socrates: per canem Diogenes: per porcum Agamemnon Gvil. Stuck. de sacrific. gentil. pag 94. ac per ferrum candens ibid. Nos spretis hisce labruscis uvas habemus: Deus solus actionum nostrarum inspector est & judex; is invocandus, qvotiescunq; sacra jurisjurandi à Magistratu pro fideli muneris administratione, vel ab alio qvolibet, celebratio instituenda est.

Qvid sentiendum sit de juramento, qvod Imp. in Coronatione præstat PP. (cujus formula est in c. 33. Tibi Domino, dist. 63.) vide apud Rittershus. 1. de Feud. cap. 10. num. 11.

Cap. XXII.

Magistratum pietate debere præcellere.

Pietas versatur in agnitione & cultu Dei: Illam non aliter habere debet Magistratus, qvàm qvemadmodum sese in verbo suo Deus patefecit: hic consistit in conceptione piarum precum, & vitæ integritate. Optimus enim animus pulcherrimus Dei cultus est. Sen. & Christianorum omnis religio est, vivere sine scelere

lere & maculâ. Lactant. lib. 5. c. 9. Qvinimò nec in ipſis periculis ſacrorum cultus deſerendus eſt.

Pietati autem cùm ſe dat Magiſtratus, duos iſtos, qvi circa eum ſunt, ſcopulos ſtudiosè evitet, nempè Superſtitionem & Impietatem. Utriusq; peſtis ſatis nobis cognita: Præcipuè verò Superſtitionis, qvam veriſſimè Curtius lib. 7. humanarum mentium ludibrium dixit: qvæ utplurimum rudibus & barbaris animis ineſſe conſvevit. Plutarch. in Sertorio. humilemq́; & depreſſum animum arguit. Lucret. nempè ſi qvis ei nimiùm ſit deditus. Aliàs in adverſo rerũ ſtatu etiam fortiſſimi qviq; percelluntur hoc turbine: qvippe fortes etiam viri ſubitis terrentur. Tacit. 15. annal. 8. Cujus rei exemplum Alexander: Nihil enim tam parvum aut abſurdum, ſi modò inſolitum, qvod in prodigium aut omen non verteret. Itaq; ſacrificantium, luſtrantium, divinantiumq; regia erat plena. Plut. in Alex. Et Auguſtus auſpicia & omina pro certiſſimis obſervare ſolitus eſt. Svetonius.

Alter verò ille ſcopulus, Impietas, diligentiſſimè evitandus eſt. Infelices iſti in omni rerum ſuarum ſucceſſu: qvoniam deſertores ſui Deus deſerit. Nos ad cæteras Magiſtratui decoras virtutes deflectimus.

CAP. XXIII.

Temperantia & Sobrietas Magiſtratui injuncta.

Sobrie-

SObrietatem dicimus cum Augustino, mentis & sensus, membrorum omnium, corporisq; tutelam, castitatis pudicitiæq; munimentum, pudori proximam, honestati semper conjunctam, cunctaq; cum ratione disponentem. Anima enim siccior præ reliqvis sapientior est: ex sententiâ Socratis: & meliùs vocationis suæ muniis insistere potest: qvod suo exemplo docent Rechabitæ abstemii. Jerem. 35. pr. Simson & Nazaréi omnes. Num. 5. Econtrariò qvi luxui & saginæ mancipati emtiq; sunt. Tac. 2. hist. ut ignava animalia si cibum suggeras, jacent torpentq; : & præterita, instantia, futura pari oblivione dimittunt. Tacit. & aliis subjecti miseriis, qvorum meminit Claudianus in laudibus Stiliconis:

> Luxuries prædulce malum, qvæ dedita semper
> Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,
> Membraqve Circéis effœminat acriùs herbis:
> Blanda qvidem vultu, sed qvâ non tetrior ulla
> Interiùs, fucata genas, & amicta dolosis
> Illecebris, torvos auro circumlinit hydros,
> Illa voluptatum multos intexuit hamos.

Qvin etiam illi, qvi se servitio voluptatum corporis adstringunt, in publico subinde versari, & in foro agere non possunt, nisi eorum qvæ noctu fecissent de die testimonia proferre velint. Philissus apud Dionem lib. 38. Et prætereà mentis qvandam alienationem patiuntur: qvod non obscurè innuit ille, qvi Ebrietatem dixit esse voluntariam insaniam: & secundùm eum Seneca lib. 2. nat. qvæst. Fulmen, inqvit, vinum in dolio gelat, ferrum & æs fundit: unde non est mirum: qvod vinum

vinum fulmine gelatum, cùm adpriorem habitum redit, potatum, aut exanimat aut dementes facit. Qvod convenit persvasioni Ægyptiorum, qvi vitem ex fuso in terram Gygantum sangvine pullulasse, ex eoq; amentiam & furorem inesse vino existimarunt. Pierius lib. 13. hierogl.

Et sanè nihil aliud menti vino obrutæ accidit, qvàm curribus aurigâ excusso: siqvidem currus spoliati recto-re, nullo ordine rapiuntur, animus qvoq; ratione orbatus in multos incidit errores. Isocrat. Sic ubi jam mens furore percita est, magno impetu ruit in præcipitia delictorum, in venerem, in rixas, jactantiam, secretorumq; patefactionem.

In Venerem ruere dixi: nam Veneris hortator & armiger est Liber.: vinumq; restingvit pudoris ignaviam, & alacrem vigorem libidinis incutit. Hâc enim sitarchiâ navigium Veneris indiget solâ. Apul. 2. Met. Cui suffragatur Tertul. in lib. advers. Psychicos: Monstrum, inqvit, haberetur libido sine gulâ, cùm hæc duo tam unita atq; concreta sint, ut si disjungi omninò potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhærerent. Nec alienus ab hac sententiâ Augustinus. Distento, inqvit, ventre, distenduntur & ea, qvæ infra ventrem sunt. Quæ causa extitit, qvòd vini usus olim Romanis fœminis fuerit ignotus, ne scilicet in aliqvod dedecus prolaberentur. Val. Max. lib. 2. cap. 1. Proximus enim à Libero Patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consvevit. Suo facto hoc Agrippina comprobat, qvæ ardore retinendæ potentiæ eò usq; provecta, ut medio diei, cùm id temporis Nero per vinum & epulas incalesceret, offerret se sæpiùs temulento

comtam; & incestu paratam. Tacit. 14. annal. pag. 294.

Sic à Venere ad rixas conferunt se Ebrii, qvod docet Tacit. de mor. Germ. cap. 7. Crebræ, ut inter vinolentos rixæ: raro conviciis, sæpiùs cæde & vulneribus transiguntur. Neq; hic finis est: Procedit ultra semel commotus, & è limitibus suis pulsus animus. Vires suas jactat, audacem ferocemq; vultum præ se ferens, nil nisi pugnam victoriamq; de hoste jactitans. Thrasonicâ illâ feritate exultabat Bessus, qvi graves mero suas vires extollere, hostium nunc temeritatem, nunc paucitatem spernere solebat. Curt. lib. 7. c. 4. pr. Ideoq; Horat. 3. od. 21. Liberum patrem Cornutum sic alloqvitur:

Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresq;, & addis cornua pauperi,
Post te nec iratos trementi
Regum apices, neq; militum arma.

Ad extremum cùm nihil aliud superest, qvicqvid altâ mente repostum est, vi vini recluditur. Ut musto dolia rumpuntur, & omne q; in imo jacet, vis caloris ejicit: Ita ebrii omne qvod in secreto pectoris conclusum habent, vini calore ejiciunt. Senec. ep. 84. Multi etiam ad duriorem reservati casum, vel lingvæ suæ temeritate, vel casu inter compotandum jugulati, qvorum vita heu male! cum gemitu fugit indignata sub umbras. Sic Clitus periit; sic Ella R. Israëlis: sic Baltasar R. Babyl: sic Holofernes: & multi alii, qvorum si nomina dicam, Icariæ numerum scribere coner aqvæ. Sunt alii, qvi suâ etiam ingluvie sibiipsis accersunt interitum: similes animali, quod infixo semper sangvini capite vivit: atq; ita intumescit, unum

num animalium, cui sibi non sit exitus, ut dehiscat nimiâ satietate, alimento ipso moriens. Plin. lib.11. c.34. Ita Jovinianus Imp. apud Evtrop. lib. 10. in fin. & Albertus II. Imp. ingluvie suâ seipsos neci dederunt. Peucer. 5. Chron & alii complures.

QVod diximus turpe esse, principem ipsum genio luxuiq; indulgere: leve est respectu ejus, qvòd à qvibusdam certamina potatoria instituta legimus, nempè ab Alexandro M. qvi coronam ei, qvi plurimum meri ebibisset, proposuit: Victor Promachus qvidam statim expiravit: & cum eo qvadraginta. Plut. in Alex. Xerxes etiam opum regiarum ostentatione eximiâ eò usq; luxuriæ gaudebat, ut edicto præmium ei proponeret, qvi novum voluptatis genus reperisset. Val Max. lib.9. cap.11. Hi detestandi simul cum illis, qvi se vino die nocteq; ingurgitant.

CAP. XXIV.

Castitas Principi commendata.

VIrtutibus reliqvis facem præbet Castitas: nec sola est, sed plerunq; cæteris comitata virtutibus. nam pudicitia est virtus (inqvit August. lib.1. de Civ. Dei) qvæ comitem habet fortitudinem. Castitatis est, non pellicum sese immiscere gregi, qvod Sardanapalus facere solitus est: sed matrimonium rectè initum habere. Nullum enim honestius Imperatoriæ mentis levamen, quàm assumere conjugem, prosperis dubiisq; sociam; cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradas. Tac. 12. annal.

Castitatis est, non tantùm corpus ab omni maculâ purum conservare, sed etiam occasiones ad impudicitiam ducen-

ducentes, ſangvine viperino cautiùs evitare: oculorum vagus obtutus cohibendus eſt; ex monito Periclis ad Sophoclem: Prætorem non ſolùm manus à lucro, ſed oculos à libidine habere debere puros: & imitandus Job, qvi fœdus iniſſe ſe cum oculis ſuis profitetur, ne oberrent in venuſtâ conſideratione virginum. Job. 31. ℣. 1. Imitandus Cyrus, qvi abſtinebat à conſpectu Pantheæ: Ob iſthoc ipſum, ajebat, magis eſt, ut abſtineam: Etenim ſi nunc illam adiero cùm vacat, fortaſſe illa efficiet ut adeã etiam cùm non vacat, eiq; aſſideam, neglectis rebus ſeriis. Xenophon. Exemplum capiendum à Liviâ, cui fœminæ formoſi viri nihil à ſtatuis differre videbantur. Dion. in Tib.

Vitanda ſpurca colloqvia: Amatorius enim ſermo vehemens eſt cupiditatis incitatio. Achilles Tatius lib. 1. Clitophont. Ut egregius pictor vultum ſpecioſum effingit, ſic pudicitia celſiùs conſurgentem vitam exornat. Bacchilides. Monitum ſalubre capient à Clitomacho Athlethâ, qvi abscondere ſe ſolitus eſt, ſi qvis ſermones injeciſſet amatorios. Plut. lib. 7. qvæſt. conviv. 7.

Cæterùm qvò fœdior eſt in venerem & libidinem projectorum labes, Senec. de brev. c. 6. eò cautiùs ſibi temperet à libidine Magiſtratus. Nihil enim eſt tam mortiferum ingeniis qvàm libido. Animoq; per libidines corrupto nihil honeſtum ineſt. Tacit. 11. annal. Et qvi huic ſunt obnoxii crimini, illico convolant ad alia; qvod docet ſuo exemplo David, Salomon, Themiſtocles, Pauſanias, Nero, Tiberius: Albertus Thuringiæ Landgravius: Galeatius Maria dux Mediolanenſis, de qvo Paradin. p. 144. Qvodq; omnium maximè movet, contemtu & infamiâ flagrant apud ſuos, qvi pudorem ſusq; deq; habent. Quemadmodum enim apes vehementer oderunt homines à coitu olidos. Pier.

Valer.

Valer. lib. 26. p. 244. ita ſubditi principem libidinoſum execrantur, deteſtantur, & tantùm non diris devovent. Abſtineant ergo à tantâ turpitudine principes, ne pœnitere Demoſthenicum à tergo ſeqvatur. Macrob. lib. 2. cap. 2.

CAP. XXV.

De Magnanimitate & Fortitudine Principum.

AD magnanimum pertinet, neq; perturbationi animi, neq; hominis neq; fortunæ ſuccumbere. Cic. 1. offic. eaq; qvæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil à ſtatu naturæ discedat, nihil à dignitate ſapientis. Cic. ibid.

Non æſtu cytiſus, non frigore, non nive læſus,
Spernere magnanimos omnia dura docet.

Cui conſeqvens eſt, qvod ait Seneca 4. de virtutibus. Si magnanimus fueris, nunqvam judicabis tibi contumeliam fieri: De inimico dices, non nocuit mihi, ſed animum nocendi habuit: & cùm illum in poteſtate tuâ videris, vindictam putabis, non vindicare potuiſſe: Scito enim magnum & honeſtum vindictæ genus eſſe ignoſcere, & magnam fortunam (qvod idem Seneca 1. de Clement. retulit) magnum animum decere: cujus eſt proprium placidum eſſe tranqvillumq;, & injurias atq; offenſiones ſupernè deſpicere. Conſentit Lycus apud Senec. in Hercul. fur. Ars prima regni poſſe te invidiam pati, Calluit hanc artem Tiberius, de qvo Svetonius

nius cap.28. Sed &,inqvit, adversus convitia, malosq; rumores, & famosa de se ac suis carmina firmus ac patiens, subinde jactabat: In civitate liberâ linguam mentemq; liberas esse debere. Neq; tam facilè lubricum lingvæ ad pœnam trahendum est. l.7.ff.ad l.Jul.majest.qvod observavit Augustus, qvi Timagenem historicum qvidvis de se scribentem impunè passus est. Seneca 3.de Ira.c.23. Qvin imò pasqvilli & prurigo scribentium frustrà inhibentur. Tac. 11.annal. At contrà punitis ingeniis gliscit auctoritas: neq; aliud externi reges aut qvi eâdem sævitiâ usi sunt, nisi dedecus sibi, atq; illis gloriam peperère. Ferenda igitur interdum ista lingvæ lubricitas: & spernenda: nam si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insaniâ, miseratione dignissimum est: si ab injuriâ, remittendum. l. un. C. si qvis Imp. maledix. Et verissimum est illud Taciti 4. annal. Convitia, si irascare, agnita videntur, sprera exolescunt.

Magnanimitati proxima virtus est Fortitudo: qvod est munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile: qvod qvi circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat. Seneca ep.113. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. Sen. in lib. Qvare bonis viris mala accid. c.5. Et fortuna fortissimos, sibi pares qværit: qvosdam fastidio transit: Contumacissimum qvemq; & rectissimum aggreditur, adversus qvem suam vim intendat. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio; tormenta in Regulo,

vene-

venenum in Socrate,mortem in Catone.&c. Seneca d. loco. c. 3. Atq; illi omnes perpetuâ laude decori apud omnem posteritatem vigent:nihil nunc dicam de aliis,qvibus sudor,pulvis,& alia talia epulis jucundiora fuerunt. Salust.qvorum in numero M. Curtius, Horatius Cocles,Clœlia. Florus li.1.c.1.Julius Cæsar,qvi signis collatis qvinqvagies & bis dimicavit: M. Marcellus, qvi novies tricies pari modo præliatus est. Solinus: Cynegirus miles, qvi non fatigatus tot cædibus, non amissis duabus manibus,victus truncus ad postremū & veluti rabida fera dentibus dimicavit. Justin. lib.2.p.23. M. Sergius,qvi primùm ter & vicies vulneratus: deinde dextrâ amissâ ferream sibi manum fecit, bis captus ab Hannibale refugit. Solinus c.6. L.Sicinius Dentatus, de qvo id.c.6.Val.Max.lib.3.c.2.

Obdurandum ergo adversus urgentia.Alciat.embl.36. animoq; magno obviam eundum infortuniis:

Prospera non inflēt animū, non aspera frangāt,
Utra cadat, neutrâ mens generosa cadat.

CAP. XXVI.
De Modestiâ & virtutibus reliqvis Principi decoris.

MOdestiæ fama nec à summis mortalium aspernanda est.Tacit. Est enim omnis virtutis promtuariū.Menand.& Deorū donum pulcherrimū.Evrip.in Medeâ. Princeps .n. qvilibet,nisi ob fortunæ indulgentiā,rerū prosperitate ebri9 luxuriat,ex monito Plin.in Paneg.non minùs hominē se qvā hominib. ēsse cogitabit,seq; ab illâ lege & cōditione omnibus

bus indictâ mortalibus, non esse exemtum. Agnovit hoc Cyrus, cùm Cræso captivo ad se ducto, & his verbis utenti, Salve Domine, hunc enim titulum tibi ut tribuam, fortuna concessit, responderet, Salve & Tu: Uterq; enim sumus homines. Justin. Deinde qvid spes jubes esse ratas, in perpetuo felicitatis humanæ culmine te immobilem persiturum? Audi Senecam in Oedipo monentem:

Ut alta ventos semper excipiunt juga,
Rupemqve saxis vasta dirimentem freta,
Qvamvis qvieti verberent fluctus maris:
Imperia sic excelsa fortunæ objacent.

Et eundem epist. 92. Nihil inausum est fortunæ, adversus imperia idem habet juris, qvod adversus imperantes Ut regnorum, ita regum varia & miseranda sors est. Magnæ arbores diu crescunt, unâ horâ exstirpantur. Curt. lib. 7. Stupenda erat Polycratis felicitas: Illi tamen (ut loqvitur Tertull. in lib. de anima) filia crucem prospicit de solis ungvine & lavacro Jovis. vid. Lips. 2. de Cruce c. 15. & Herod. lib. 3. Ingemisco, qvoties Valeriani Imp. Rom. sortem animo concipio meo: Doleo Bajazethis, qvamvis sibi ipsi caveam elegerit, dedecus per universam Asiam sparsum: Joachin & Zedechias Babylonem captivi ducti me movent: Commiserationem deniq; omnium meretur Henricus IV. Imp. à filio detrusus in carcerem.

Possem plures recensere, qvi dignitate suâ exuti in pessimâ & morte graviore consenuerunt servitute.

—— Sic omnia verti
Cernimus, atq; alias assumere pondera gentes.

Ovid.

Audiant ergo Principes monitum Cobaris ad Bessum, apud Curtium lib 7. c. 4. Magnum onus sustines capite regium insigne. Hoc aut moderatè perferendum

rendum est, aut qvod abominor in te ruet. Abstineant à titulis invidiosis, & qvi supra sortem sunt humanam. Tiberium spectent, qvi acerbè increpuit eos, qvi divinas occupationes, ipsumq; dominum dixerant. Tacit. qvod fortè ab Augusto didicerat. Is enim Domini nomen in totum respuit. Osor. lib. 6. cap. 22. Et aliâs Romæ infensum erat Domini nomen. Martial.

Frustrà blanditiæ venitis ad me,
Dicturus Dominum Deumqve, non sum,
Jam non est locus hac in urbe vobis.

Videmus qvosdam nimis sese extulisse, & ultra modestiæ limites processisse, qvæ res illis summam apud suos conflavit invidiam, & apud posteros famæ eorum non parum detraxit. Alexander ille Magnus, Jovis filium se non solùm appellari passus est, sed & jussit: & rerum gestarum famam dum augere vult, tali appellatione corrupit. Curt. lib. 4. Augustus adhuc vivus & hominem fungens, in provinciis esse coliq; voluit pro Deo, non in Italiâ aut Romæ. Lipsius in not. ad Tac. lib. 1. p. 11. De Caligulâ Svetonius ca. 22. Complutibus cognominibus assumtis, & Pius, & Castrorum filius, & pater exercituum, & optimus maximusq; Cæsar vocabatur. Commodus Imp. multa sibi cognomenta adsumsit, hoc ordine: Amazonius, Invictus, Felix, Pius, Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Augustus, Herculeus, Romanus, Superans. Dion in Commodò.

Eâdem jactantiâ intumuerat Attilæ animus, qvi in vexillis coronatam ferebat aqvilam, hac inscriptione: Attila magni Nimrodi nepos, divinâ benignita-

te rex Hunnorum, Medorum, Gothorum & Danorum: Matris urbis Deiq; flagellum. Bonfin. lib.3. decad.1. & Olaus in vitâ Attilæ.

Nec prætereunda est Saporis ad Constantium scribentis insolentia: Rex regum, inqvit, Sapor, princeps siderum, frater Solis & Lunæ, Constantino salutem. Marcellinus lib.17.

Apud Procopium lib. 1. de bello Pers. Alamundarus Cabadem Persarum Regem alloqvens βασιλέα βασιλέων appellat. Qvæ meræ sunt nugæ, profectæ ab iis, qvi ob exiguam acqvisitam potentiam, se omnis humanitatis fastigium excessisse opinati sunt.

Sunt alia dona, qvæ principem virum ornant: Forma & robur corporis.

Forma, qvæ est in qvadam aptâ membrorum figurâ, cum coloris qvadam svavitate. Cic. 4. Tusc. eximium Dei donum est. August. lib. 15. de Civ. Dei c. 22. & principi plurimum decoris & admirationis addit: nam qvod pulchrum est, amicum est. Plato in Lyside: & sine vi, qvicqvid vult, facilimè impetrat: Unde Carneades egregiam principis formam vocat ἀδορυφόρητον βασιλείαν, h. e. regnum absq; satellitio. Theophrastus tacitam deceptionem, aut silentem fraudem, qvòd absq; verbis persvadeat. Diog. Laërt.

Præterea Indicium mentis cujusq; solet esse forma. Cujus facies est deformis, vix potest habere bonos mores. Rasis Medicus lib. ad Almansorem 2. cap. 33. plurimisq; barbaris hominibus in corporum majestate veneratio est, qvi magnorum facinorum, non alios capaces putant, qvàm qvos natura eximiâ donavit specie. Curtius lib. 6. Nec tantùm de animo,

nimo, verùm etiam de nobilitate cujusq; ex formâ conje-cturam rectè capere poſſe videmur, qvod de ſeipſo fate-tur Paris apud Ovid. in ep. ad Helenam:

Forma vigorq; animi, qvamvis de plebe vi-
Indicium tectæ nobilitatis erant. (debar,

Et Milo apud Apulej. lib. 1. de Aſ. aur. de corporis ipſi-us Apulei ſpecioſâ habitudine, deq; virginali ejusdem verecundiâ, generoſâ illum ſtirpe præditum conjecit. Antoninum etiam Imperatorem nobilem fuiſſe vultu ex Julio Capitolino didicimus: Nec non ex Homero de U-lyſſe: Eum enim naufragio ejectum in littore, nudum ve-ſtibus, virtute tamen ornatum, Phæacum multitudo con-ſpiciens, cæteris fortunatis Phæacibus, venerabiliorem admirata eſt. Et qvid moramur in conjecturis? Contem-plemur heroas illos, qvi jure de ſe ſuisq; ſubditis dicere poſſunt, qvod illa apud Terent. in Heavt.

Qvippe formâ impulſi noſtrâ nos amatores
colunt,
Hæc ubi immutata eſt, illi ſuum animum aliò
conferunt.

De Joſepho dici jure potuit: εἶδος ἄξιον τυραννίδος: Facies imperio digna. Itemq; de Priamo Evrip. & de Turno, qvi ante alios pulcherrimus omnes, Virg. 7. Æn. De Xerxe ita memorat Herodotus in Polymn. p. 434. In exercitu Xerxis nemo erat, qvi aut ſpe-cie, aut magnitudine corporis cum Xerxe ipſo poſſet contendere, tanqvam dignior, qvi illud Im-perium obtineret. De Alexandro M. Solinus cap. 14. ait, eum fuiſſe formâ ſupra hominem auguſtiore, cervice celsâ, lætis oculis & illuſtribus malis ad gratiam rubeſcentibus, reliqvis corporis li-neamentis non ſine majeſtate qvadam decorum.

De ejusdem successoribus prodidit Justin. lib. 13. Ejus virtutis erant, ac venerationis, ut singulos reges putares, qvippè ea formæ pulchritudo,& proceritas corporis,& virium ac sapientiæ magnitudo, in omnibus fuit, vt qvi eos ignoraret,non ex unâ gente, sed ex toto terrarum orbe electos esse judicaret.

De Augusto Svetonius cap.79. Formâ fuit eximiâ,& per omnes ætatis gradus venustissimâ,&c. De Antonnio Pio Imp. Aurelius Victor: Ad eũ Indi,Bactri, Hyrcani legatos misère, justitiâ tanti Imp. compertâ, qvam ornabat vultu sereno & pulchro,procerus membra, decenter validus. De Trajano Plinius in Paneg. Jam proceritas corporis, jam honor capitis & dignitas oris, longè lateq; principem ostentant. De Stilicone Claudianus:

Jam tum cõspicuus, jam tum venerabilis ibat,
Spondebatqve Ducem celsi nitor igneus oris,
Membrorumqve modus. De Iphicrate vide Æmil. Prob. p. 699. De Manuele Comneno Imp. Nicetas lib. 1. E vultu adolescentis gratia qvædam elucebat, & arridentes oculi nescio qvid illecebrarum in se habebant.

Et qvò delabimur? Tanta formæ gratia est, ut eam nonnulli in rege peculiariter desiderarint,imitati apes, qvę etiã eligunt regẽ insignis formæ. Plato in lib. de regno. Plin. lib. 11. cap. 16. Columella lib. 9. cap. 10. Apud Æthiopes Macrobios mos est, eum cui potissimùm pareant,specie ac viribus legere. Pomp. Mela

Mela & Arist. 4. pol. 4. qvod imitantur Indi qvi Catheam incolunt. Strabo lib. 16. & Diod. Sicul. lib 17.

Et Spartani regem Archidamum feruntur multasse, qvòd propter divitias uxorem pusillam duxisset, ex qvâ non reges, sed regulos esset procreaturus. Plutarch. de educ. lib.

Qvemadmodum verò formæ decor ad conciliandos hominum animos plurimum momenti habet: ita nihil est, qvod faciliùs contemtui reddat homines obnoxios, qvàm deformitas. Expertus hoc est Stauratius Imp. Orientis, qvi ob corporis deformitatem, ingeniiq; stoliditatem & libidinem regno dejectus est. Et Tiberius, cui in senectute qvoq; corporis habitus pudori fuit: qvippe illi prægracilis & incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies, & plerumq; medicaminibus interstincta. Tacit. 4. annal. 9. Rationem qveris? Eam reddet Ecdorus Poëta Græcus apud Stobæum serm. 88. cujus versus sic redditi:

Faciem aspectu deformem possidens
Mores etiam ejusmodi habes.
Ex malo enim natura malum producit,
Ut ex viperâ rursum vipera nascitur.

Julius Pelignus ignavi animi, & deridiculo corporis juxtà conspiciendus. Tac. 12. annal. Qvod idem de Thersite Homerico dicitur, de qvo Ovid. 4. de Ponto. 13.

Tam mala Thersitem prohibebat forma latére,
Qvàm pulchrâ Nereus conspiciendus erat.

Verum enimverò non utrobiq; hanc conjecturam capere licet. Potest ingenium fortissimum ac bea-

tissimum sub qvalibet cute latére: potest ex deformi humiliq; corpusculo formosus animus ac magnus exire. Non enim deformitate corporis fœdatur animus, sed pulchritudine animi corpus ornatur. Senec. ep. 97. Philopœmen Achæorum Dux Thersiti cuidam qvàm principi similior, multis tamen animi virtutib9 ornatus repentè inclaruit. Econtrà Commodus omnium suæ ætatis erat formosissimus, & tamen scelestissimus. Herodian. lib. 1. in fin. Observanda ergo monitio Evrip.

Animus spectandus est: nihil pulchritudo
Juvat, cùm qvis mentem non bonā habet. &c.

Singulare etiam ornamentum principis est robur corporis, qvod in quibusdam singulari Dei beneficio eximium & singulare extitit. Samsonem heroêm incredibilis roboris vis nobilitavit, hostibusq; terribilem reddidit. Judic. 14. ℣. 14. 15. Davidem etiam fortissimum adversus Philistinos præliatorē eo numero meritò habemus 1. Sam. 16. ℣. 18. & 17. ℣. 34. 35. Qvibus accensendum Samgari facinus heroicum, qvi uno ictu trecentos hostes humi stravisse scribitur. Jud. 3. ℣. ult. Inter profanos Milo Crotoniates teste Plinio lib. 7. c. 20. tam prodigiosi roboris fuisse dicitur, ut vectum à se humeris bovem ictu nudæ manûs victimam fecerit, & à nemine cùm constitisset è vestigio, in qvo erat, abducebatur, & si malum digito teneret, nemo ei eripere poterat. Huc referendi etiam Junius Valens & Aristomenes ex Solino. Nos hinc ad victum vestitumq; Principum transimus.

Cap. XXVII.

De victu & vestitu Principum.

Victum

VIctum principum frugalem esse convenit: non luxuriantem: non aliunde adscitum. Præterqvàm enim qvòd frugalitas sanitatis est conservatrix, auctoritatis etjam plus illa apud subditos conciliat, qvàm comessatio assidua. Augustus cœnam tribus ferculis, aut cùm abundantissimè, senis præbebat, ut non nimio sumtu, ita summâ comitate. Sveton. ca. 74. Et de eod. cap. 75. Cibi minimi erant, atq; vulgares ferè: Secundarium panem & pisciculos minutos, & caseum bubulum, manu pressum, & ficos virides biferas maximè appetebat: vescebaturq; & antè cœnam, qvocunq; tempore & loco, qvo stomachus desiderasset. Et de eod. cap. 77. Vini erat parcissimus, &c. De Tiberio idem Sveton. c. 34. Et ut parcimoniam publicam exemplo qvoq; juvaret, solennibus ipse cœnis pridiana sæpè ac semesa obsonia apposuit, dimidiatumq; aprum, affirmans omnia eadem habere qvę totum. De Tacho Ægyptio Ælian. lib. 5. c. 1. refert, eum tamdiu prosperâ valetudine esse usum, qvamdiu patrio more frugaliter vixerit. Nec valetudini tantùm ista frugalitas inservit, verùm etiam firmitati stabiliendi regni, & amplificandæ benevolentiæ popularium. Pausanias in gubernatione suâ suspectum maximè se fecit, qvòd Persico usus est vivendi more. Plutarch. in Lacon. Scythæ sustulerunt Scylen Regem, qvòd Græca exerceret Bacchanalia. Herodot. lib. 4. Alexander M. qvòd difflueret luxu Persico, favorem suorum imminutum vidit. Curt. lib. 5. & 7.

Detestamur ergo eos, qvi vescendi causâ terrâ mariq; omnia exqvirunt. Salust. in Catil. qviq; dormiunt priùs qvàm somni cupido sit: non famem aut sitim, neque frigus aut lassitudinem

operiuntur, sed ea omnia luxu antecapiunt. Salust. ibid. horum corpora in saginâ, animi in macie & veterno sunt. Senec. epist. 88. Qvalis Heliogabalus, qvi sexcentorum Struthionum capita unâ cœnâ multis exhibuit, ad edenda cerebella. Lamprid: qvalis Caligula, qvi convivis ex auro panes & obsonia apposuit. Cælius lib. 28. c. 3. qvalis Vedius apud Dionem lib. 54. Plin. lib. 9. Tertull. de pallio. Sen. 3. de ira c. 40. qvalis Cleopatra: qvalis Mulasses Rex Tuneti, qvi licet exul esset, nihilominus ad pavonis unius, qvo vescebatur, condimenta impendit aureos nummos centum. Jovius.

—— O prodiga rerum
Luxuries, nunqvam parvo contenta paratu,
Et qvæsitorum terrâ pelagoqve ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ.

Lucan. lib. 4.

Amabiliores etiam sunt Principes, si utantur vestitu modico: non nimio: non peregrino. Modicum dico, non tenuem nimis vel sordidum, nec nimium comtum & splendidum. Nam ob tenuem nimis habitum non possunt dignosci à privatis; qvod accidit Agesilao, legationem obeunti in Ægyptum: de qvo Plutar. in Ages. Philopæmen etiam ad vilissima ministeria amandatus est, non tantùm qvòd esset deformis, sed etiam qvòd veste uteretur parùm suæ dignitati accommodatâ. Tzezes hist. chiliad 6. cap 84.

Nimium autem corporis cultum aversamur ideò, qvòd turpe sit sapienti (verba sunt Juliani Imp. ap. Marcellum. lib. 25.) cùm animum habeat, captare laudes ex corpore. Et Chrysost. in ep. ad Ephes. serm. 13. Mulieri, ait, peculiare ac commodum magis est orna-

ornari,qvàm viro. Cui convenit qvod ait Marius ap. Saluſt. Mundicias mulieribus,viris laborem convenire. Et Qvintil. lib.11. cap. 1.pr. tradit monilibus ac margaritis,qvæ ſunt ornamenta fœminarum, viros deformari. Is enim ut idem Qvintil. ait in prolog. lib. 8. Orat. Inſt. non corpus exornat, ſed mentem detegit. Qvid enim effœminatiùs Heliogobalo Imp. qvi vultum compoſuit elegantius qvàm probam deceret. Herodian. lib.6. Et qvod ait Phædra ad Hippolytum de procis apud Ovidium, idipſum nos commodùm de ornatu principum nimio dicere poſſumus:

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina comti:
Fine coli modico forma virilis amat.

Et id. Ovid. 1. de arte amandi:

Forma viros neglecta decet: Minoida Theſevs
Abstulit, à nullâ tempora comtus acu.
Hippolytum Phædra,nec erat benè comtus,amavit:
Cura Deæ ſilvis aptus Adonis erat.

Qvamobrem multò pulchrius, magisq; regium, graviter cenſente Ariſtot. in præf. ad Alexand. animum præferre cultum & compoſitum, qvàm corporis veſtem. Cui admonitioni Alexandrum obtemperaſſe tradit Ælian. lib.8. var. hiſt. Eidem obſeqventem ſeſe præbuit Auguſtus, de qvo Sveton. cap. 73. Veſte non temerè aliâ qvàm domeſticâ uſus eſt, ab uxore & ſorore & filiâ nepotibusq; confectâ: togis neq; reſtrictis, neq; fuſis: clavo nec lato nec anguſto: calceamentis altiuſculis, ut procerior qvàm erat videretur. Eo etiam nomine Livius Hieronem com-

mendat.lib.24. Nec veftes habitu, inqvit, nec alio ullo infigni differens à cęteris vifus eft. Et de Agricolâ Tacit: Cultu modicus, fermone facilis, adeò ut pleriq; , qvibus magnos viros per ambitionem æftimare mos eft, vifo afpectoq; Agricolâ qværerent famam, pauci interpretarentur. Alphonfus qvoq; cùm veftitu non multum discreparet à popularibus fuis admonitus à qvodam, ut regio ornatu incederet, refpondit, fe malle moribus & auctoritate fuos excellere, qvàm diademate & purpurâ. Panor. lib.1. de reb. geft. Alphonfi: & Æn. Sylv. qvod defumtum videri poteft ex ore laudatiffimi Imperatoris Alexandri Severi, apud Lamprid.

Modeftiæ fpecimen fingulare omnes ifti ediderunt: Cæteri, qvi in veftitu nimii, luxuriæ & fuperbiæ: eft enim veftitus infignis & mollis fuperbiæ vexillum, nidusq; luxuriæ: ideoq; illaudati. Qvod notat in Dario Curtius lib.3. Cultus, inqvit, regis, inter omnia luxuriâ notabatur: purpureæ tunicæ, medium album intextum erat, pallam auro diftinctam aurei accipitres, velut roftris inter fe corruerent, adornabant: & Zonâ aureâ muliebritèr cinctus acinacem fufpenderat, cui ex gemmâ erat vagina, &c. Eandem reprehenfionem effugere neqvit Maximinus Junior, qvi in veftibus tam accuratus erat, ut nulla mulier nitidior effet in mundo. Capitolin.

Dixi, non nimis infolentem effe debere cultum corporis: dico ampliùs, non debere effe aliunde adfcitum. Namq; dici non poteft, qvantoperè popularium animos abalienet priftini habitûs mutatio. Macedones certè exuebant amorem erga Alexandrum, qvòd uteretur vefte Medicâ, relictâ Macedonicâ. Curt. lib. 5. & 7. Diodor. Sic. lib. 17. Et Venones apud Tacit. 2. annal. 1. diverfus à

majo-

majorum inſtitutis idipſum expertus eſt. Sic peregrinum veſtitum aſſumit Heliogabalus, qvod cernens Mœſa, ac iniqvo ferens animo ſupplex illi perſvadere conatur, ut Romanum aſſumeret cultum, ne urbem mox curiamq; ingrediens, peregrino illo barbaricoq; habitu ſpectantiũ oculos perſtringeret inſolentes ejuſcemodi mundiciarum, ac reputantes mulierculis qvàm viris congruentiores. Herodian. lib. 5.

Heliogabalo hac in re impudentior Nero, qvi Circenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo inſiſtens. Tac. 15. annal. c. 6.

Qværitur hoc loco, an deceat principem mutato habitu apud ſubditos inqvirere, qvid vulgò ſentiant de vitâ & moribus ſuis? Qvod interdum, ſi illis ita libeat, admitti poteſt. Fecerunt hoc, Antiochus Parthorum oppugnator: Mithridates ap. Juſtin. lib. 37. Leo Imp. Or. Matthias R. Hung. Auguſtus El. Sax. & alii complures. P. Camer. 1. med. 90. Seqvitur de recreationibus & receſſu Principum.

CAP. XXVIII.
De Receſſu Principum, & recreationibus animi.

EXpedita eſt auctoritatis obtinendæ ratio, ſi paulatim ex hominum aſſiduo conſpectu ſeſe receperint principes: nam continuus aſpectus minus verendos magnos homines ipsâ ſatietate facit. Livius lib. 35. Parit converſatio contemtum, raritas conciliat ipſa rebus admirationem. Apulejus de Deo Socratis. & majeſtati major eſt ex longinqvo reverentia. Tac. 1. annal. omneq; ignotum hominibus pro magnifico eſt. Idem in Agric.

Hoc

Hoc modò afferuerunt auctoritatem fuam reges Perfici: qvorum perfona fub majeftatis fpecie occultabatur. Juftin. lib. 1. p. 10. ne nimiâ fatietate tædium fui facerent. Qvâ de re infrà ca 36. Ita feceffit interdum Tiberius, & fe è medio qvàm longiffimè amovit: ut vitato affiduitatis faftidio auctoritatem abfentiâ tueretur, atq; etiam augeret, fi qvando indiguiffet fui Resp. Sveto. in Tib. c. 10. Sic Chabrias qvoad ei licebat, plurimùm aberat. Verumenimverò ita fe fubducere debent principes, ne feditionibus & tumultibus abfentia eorum occafionem præbeat: Sicut Titus ad Judæos dicebat: Infolentiores vos noftra abfentia facit, qvia nos occupatos putaftis. Egefipp. lib. 5. cap. 46.

Relaxatio animi neceffe eft viro principi.

Nam ut lyram & arcum remittimus, qvo meliùs posfint tendi: ita recreandus ocio animus, ut ad labores reddatur vegetior. Recreatio etiam five delectatio prout cuiq; vifum arripienda eft. Auguftus pifcabatur hamo, modò talis aut ocellatis nucibusq; ludebat cum pueris minutis, qvos facie & garrulitate amabiles undiq; conqvirebat, præcipuè Mauros & Syros. Sveton. in Octav cap. 83. Noverat enim ex Platone lib. 8. de rep. c. 5. Ludum relaxationis causâ comparatum effe, & relaxationem voluptate afficere; qvippe qvæ moleftiis iis, qvæ ex laboribus capiuntur, medicinam adferat.

Diverfa autem ludorum genera, prout qvisq; hunc vel illum magis amplectitur, recreationi inferviunt. Eft qvibusdam in delitiis Pictura: eft aliis alea delectationi: alios pilæ lufus afficit; alios inftrumentalis Mufica, qvosdam Venatio. Picturæ magnus Romæ

honos

honos habitus: siqvidem cognomina ex eâ traxerunt Fabii clarissimæ gentis: & ipse ejus cognominis princeps ædem Salutis pinxit. Plin. lib. 35. c. 4. pr. Cic. 1. Tusc. Eâdem sese oblectarunt Hadrianus Imp. Spartian. M. Antoninus Philosophus Imp. Capitol. Alexander Severus apud Lamprid.

Aliorum delectationem alit alea: qvæ & ipsa si modicus ejus sit usus, ingenuo homine digna est. Reperias tamen qvosdam, qvi in aleæ lusu versantur ut in re seriâ, bis stulti, qvòd fortunas suas fortunæ committunt arbitrio: qvodq; eâ in re sunt occupati, in qvâ vela suorum affectuum possunt expandere: nunc iræ indulgent, nunc invidiæ. Ovid. 3. de arte amandi:

Ora tument irâ, nigrescunt sangvine venæ,
Lumina Gorgoneo sæviùs angve micant.

Prætereà tantâ sunt vecordiâ, ut malis gaudeant, atq; ex incommodis alterius sua comparent commoda. Tertul. in Adelph. Insuper Ennianum illud 8. an. tenent.

Haud doctis dictis certantes, sed maledictis,
Miscent inter se inimicitias agitantes.

Qvosdam pilæ recreat lusus: in qvo non animi tantùm; est recreatio, sed etiam corporis omniumq; ejus membrorum salutaris exercitatio. Alexander post lectionem operam palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus dabat. Lamprid. August. post finem civilium bellorum ab exercitiis campestribus ad pilam transiit. Patric. dial. 25. Vespasianus valetudine prosperrimâ usus est: qvamvis ad tuendam eam, nihil amplius qvàm fauces cæteraq; membra sibimet ad numerum in sphæristerio defricaret. Hotom. in com. verb. 1. verb. Sphærist.

Musica

Musica Instrumentalis altiùs penetrare solet animos hominum, eosq; torpore & curis obsitos jucundâ harmoniâ excitare. Nero oblectabatur fidibus ad insaniam usq;, & in theatris Musicâ decertavit: non sine majestatis Imperatoriæ dedecore: Unde & numos lyræ notâ percussit, & statuas sibi cytharedico habitu posuit. Sveton. Pier. lib. 47. Hieroglyph. Titus Imp. cantare, psallere jucundè & scienter noverat. Sveton. c.3. Item Adrianus Imp. de qvo Aurel.vict.& Alex.Severus apud Lamprid.

Venatio regium est oblectationis genus,
Romanis solenne viris, opus utile famæ,
Vitæq; & membris. Horat. 1. ep.18. Immanes & feras beluas nanciscimur venãdo, ut & vescamur iis, & exerceamur in venando ad similitudinem bellicæ disciplinæ, & utamur domitis & condocefactis, &c. Cic. 2. de nat. Deor. In venando enim exercentur omnia bellica. Geil. 2. obs.67. n.1. Tiraq. tr. de Nobil. cap.57. n. 139. Præterea mirum est, ut animus hac cogitatione motuq; corporis excitetur, nam undiq; silvæ & solitudo, ipsumq; illud silentiũ, qvod venationi datur, magnę cogitationis incitamẽta sunt. Plin. lib.1. ad C. Tac. His exercitiis apprimè dediti fuêre potentissimi qviq; reges & principes: Ulysses, Pelopidas, Philopœmen, Pompeius, Alexander M. Trajanus, Antoninus Pius, Hadrianus, Henricus Auceps, Maximilianus I. &c. De Germanis Cæsar lib.6. bell. Gall. p.25. Germanorum, inqvit, vita omnis in venationibus, atq; in studiis rei militaris consistit. Atq; hodie etiamnum

Scit benè Germanus, cervis ubi retia tendat,
Scit bene qvâ frendens valle moretur aper.

Ovid.

Ovid.1.de arte amandi. Vitamq; sub dio & trepidis agit in rebus. Horat. 3.od.2.ut jucunda captet præmia. Horat. epod. od.2. Atq; hæc de recreationibus attigisse sufficiat.

Cap. XXIX.

Qvalem se gerere debeat Princeps erga eos, cum qvibus versatur qvotidiè nempe Conjugem, Liberos, Consiliarios & ministros.

PRinceps personas secum habet, vel necessarias, vel officiarias. Necessariæ sunt Conjunx: soboles: fratres: sorores: agnati: cognati. Officiarii sunt Consiliarii & ministri aulici.

De Conjuge sit solicitus. 1. ut eam rectè regat, nec adhibeat facilè ad secretiora consilia, aut ullam regiminis partem: qvod Lacedemonios olim fecisse Plutarchus memorat. 2. non permittat Conjugem esse nimis sumtuosam & delicatam. 3. Gynecæum sic gubernari curet, ne ulla in eo extent inhonestatis & insolentiæ exempla: néve negotiis publicis sese admisceat: Summum qvippe mulierum decus in modestiâ positum est: vitæq; perturbatio est munerum confusio.

Sobolis masculæ curam exactam princeps gerat, & idoneos morum studiorumq; gubernatores illi præficiat. Hodie ferè locum habet illa Cominei qverela lib. 1. pag. 342. Sic hodie, inqvit, instituuntur complures, qvasi ad ludum essent facti & jocum: In vestitu & omni sermone nihil moderatè faci-

faciunt aut prudenter: literarum nullam cognitionem habent: viris bonis atq; peritis non patet ullus ad eos aditus: de negociis aut suis aut populi non cognoscunt ipsi, verùm in familiares omnia rejiciunt, qvi per hanc illorum ignaviam atq; socordiam suas facultates insigniter amplificant.

De fratribus & sororibus princeps prospiciat, ut honestam & familiâ suâ dignam sustentationem habeant: & si ita sint comparati, ut iis tutò fidere possit, certa officia ac præfecturas iis committat.

Sororibus etiam consulere principem decet, ut elocentur honorificè.

Agnatis cognatisq; suis princeps eum exhibeat honorem, qvem reqvirit jus sangvinis: non tamen iis permittat ociosè in aulâ versari, sed certa iis assignet domi vel foris officia.

Consiliarios suos intus & in cute noverit princeps, ut sciat distinguere sanabilia ingenia à deploratis. Nam ubi discrimen inter malos bonosq; sublatum est, confusio seqvitur. Seneca. 1. de Clement. c. 2. Et sanè magna est ingeniorum diversitas: qvemadmodum inter tot hominum millia nullæ facies per omnia similes, nec ullæ voces: ita suum cuiq; ingenium est, suus cuiq; mos. Sed qvæ sunt illa indicia? Docet hoc Seneca ep. 52. Argumentum morum ex minimis qvoq; licet capere: Impudicum & incessus ostendit, & manus mota, & unum interdum responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. Improbum risus, insanum vultus habitusq; demonstrant: Illa enim in apertum per notas exeunt, &c. Et Seneca in Thyeste:

Multa

——Multa sed trepidus solet
Detegere vultus: magna volentem qvoq;
Consilia produnt.

Ministri in rectis disciplinæ limitibus retinendi sunt: si deviant à virtute, promta sit in eos animadversio: Non enim placet ista multorum consvetudo, qui conceptam adversus ministrum, indignationem secum retinent, atq; interim torvo sunt vultu: asperisq; verbis, sæpiùs etiam verberibus eos excipiunt. Delinqventem à tergo comitetur ultio congrua: illâ sumtâ redibit ad officium minister, & dominum probè monentem audiet, &c.

CAP. XXX.

De Justitiâ Subditis æqvabiliter administrandâ.

JUstitiâ stabilitur principatûs, si nempè Magistratus in se inq; aliis firmiter jus & æqvitatem servet. Lipsius 2. pol. 10. ut nec opulenti injustum aliqvid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat. Arist. 5. pol. 10. Hæc virtus est, sine qvâ nihil in Imperii administratione laudabile efficitur. Cic. 3. Off. qvâ remotâ regna nil aliud sunt qvàm magna latrocinia Augustin. 4. de civ. Dei. Hæc virtus est, qvæ Trajanum justitiæ ac juris humani diviniq; tam repertorem novi, qvàm inveterati custodem, Aurel. Vict. perpetuâ nominis celebritate mactavit: hæc Aristidem evexit: hæc Romani Imperii vim ad summum transtulit apicem. Verè enim Saturninum est seculum, sicubi ad amussim justiciæ probè vivitur. Nec fallit illud Boëtii 1. de cons. philos. Annum bonum non tam de magnis fructibus,

qvàm de justè regnantibus existimandum. Audiat ergo Princeps Agapetum ad J. J. benè monentem: Qvantum potestate cæteris antecellis, tantum etjam factis justis emicare, & ante alios enitére debes. Sit enim tibi persvasissimum, eam abs te postulari honestorum operationem, qvæ magnitudini Imperii ac potestati præstatione sanctarum virtutum respondeat.

Cap. XXXI.

De Clementiâ Principum.

CLementia propria eorum virtus est, qvi ad gubernacula rerum sedent: hæc firmum & stabile reddit regnum: hæc in qvamcunq; domum pervenerit, eam felicem tranqvillamq; præstabit. Sen. 1. de Clem. c. 5. Nam qvi benignitate ac clementiâ imperium temperavére, his candida & læta omnia fuerunt: etiam hostes æqviores, qvàm aliis cives. Salust. ad Cæs. Errat si qvis existimat tutum esse ibi regem, ubi nihil à rege tutum est. Securitas securitate mutuâ paciscenda est. Non opus est instruere in altum editas arces, nec in ascensum arduos colles emunire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris turribusq; sæpire. Salvum regem in aperto Clementia præstabit. Sen. 1. de clem. c. 19. Majore etiam in eos propendemus affectu, qvi langvidâ regnant manu. Sen. Trag. & remissiùs imperanti meliùs paretur. Naturâ contumax est humanus animus, & in contrarium atq; arduum

nitens,

nitens, seqviturq; facilius, qvàm ducitur. Sen.1. de Clement.24. &

——peragit tranqvilla potestas
Qvod violenta neqvit, mandataqve fortius
Imperiosa qvies. (urget

Neq; ullâ aliâ in re homines ad Deum accedunt propius, qvàm salutem hominibus dando. Cic. pro Lig.

Pulchrum est eminere inter illustres viros:
Consulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi qvietem, seculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hâc cœlum viâ.

Sen. in Octav. Nullumq, ornamentum principis fastigio dignius, pulchriusq; est, qvàm illa corona ob cives servatos. Non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sangvine cruenti, non parta bello spolia. Sen. 1. de Clem. c. ult.

Illustris præ cæteris Philippi R. Macedonum clementia. Is cùm urbem Methonem expugnaret, jactu sagittæ dextrum amisit oculum: nihilominùs tamen pacem deprecantibus dedit, mitisq; etiam adversum victos fuit. Justinus. Idem Atheniensibus per insidias victis, metu gravioris belli cùm interficere posset, omnes incolumes sine precio dimisit. Justin. p. 272. De Romanorum erga Syphacem & Perseum clementiâ vide Val. Max. lib. 5. c. 1. De Augusto Imp. Caracotâ latronem humanissimè tractante, Dion. lib. 56. p. 595. Vespasian. Imp. neq; cæde cujusqvam unqvam lætatus est, justis suppliciis illacrimavit etiam & ingemuit, Sveton. qvem imitatus est Titus filius: qvi nec

auctor cujusqvam necis, vel conscius, qvamvis interdum ulciscendi causa non deesset, sed periturum se potius qvàm perditurum adjurabat. Sveton.

Princeps ergo qværat amorem apud populares, metum apud hostes. Tac. 11. an. Et qvemadmodum divinâ vindictâ delicta nocentium non statim expiantur fulminibus: ita homo hominibus propositus miti animo exercere imperium debet, & cogitare, utrum mundi status gratior oculis, pulchriorq; sit sereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia qvatiuntur, & ignes hinc atq; illinc micant, Nec alia facies est qvieti moderatiq; imperii, qvàm sereni cœli & nitentis: Crudele regnum turbidum, &c. Sen. 1. de Clem. cap. 7.

Cap. XXXII.
De Prudentiâ & doctrinâ Principum.

POst Clementiam, Prudentia principi injungitur: qvæ non aliud est, qvàm noticia rerum eventuumq; & judicium in iis rectum: ut videlicet intelligere & deligere norit res qvæ publicè privatimq; fugiendæ, aut appetendæ, atq; ea, qvæ sibi qvæq; aliis conducunt, dispicere possit. Arist. 4. Eth. 5. nec non præterita recordetur, futura provideat, præsentia ordinet. Hæc sola præit, & ducit ad rectè faciendum. Plato in Menone, estq; perfectum bonum mentis humanæ. Sen. ep. 89. Hinc est, ut famuletur omne qvicqvid est, prudentiæ. Menand.

Jam de doctrinâ Principi perqvàm necessariâ nonnihil disserendum est. Nihil homini antiqvius esse debet, qvàm ut animum, qvi rex atq; Imperator mortalium est, Salust. in hac mortali vitâ excolat, & qvod natura imperfectum reliqvit, industriâ & labore ad summæ perfectionis apicem contendat. Vides aspectum à circumfuso aere lumen accipere: sic mens à doctrinâ. Diog. Laërt. in Aristotele. Et nihil magis ex Musarum placido commercio homines capiunt, qvàm qvòd naturam mitigant, & mansve-eam-faciant ratione & doctrinâ, amplectentem ex iis Modestiam, & qvod nimis est, fugientem. Plut. in C. Marcio Coriol. &c. Vidit hoc Cominéus, qvi lib. 10. suæ hist. ita disserit: Doctrina vel meliores reddit homines vel deteriores, pro cujusq; naturâ vel inclinatione, sed tamen verisimilius est, aliqvem eâ fieri meliorem. Nam qvò qvisq; magis qvid se deceat intelligit, eò vehementiùs ipsum neglecti pudet officii, & etiamsi non omninò sibi temperet à maleficio, tamen ne planè modum excedat, cavet.

Deteriores per doctrinam ut plurimùm fiunt homines ad malitiam proclives. Qvemadmodum enim vina vasis infusa è taxo factis mortifera sunt: ita salutaris alioqvin eruditio, si inciderit in hominem pestilentem, moribus illius redditur noxia. Ideoq; per Doctrinam.

eradenda cupidinis
prava sunt elementa. Horat.

& radicitùs evellenda vitia, qvæ unà cum lacte materno imbibimus. Videmus verum esse qvod jactatur vulgo:

—— didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Dico mores reduci in melius: dico ampliùs ornatum nullum viro principi excogitari posse splendidiorem:

non aulæa, non purpuratas veftes, non gemmas ac auro circumdatos preciofos lapides tantum ad ornandam perfonam principis habere momẽti, qvàm folam Doctrinam. τιμὴ πέφυκε πᾶσι παιδεία βροτοῖς. Mortalibus doctrina honori eft omnibus. Hæc eft illa laurus virefcens, de qvâ Plin.lib.6.c.30.& li.13.c.7. Ut enim illa tota viret perpetuò: ita hujus fama non fenefcit, neq; marcefcit: hæc amaranthus, hæc omni amœnitate florum amœnior eft.

Qvid Auguftum inter cæteras animi dotes magis ornat, qvàm qvòd eloqventiam ftudiaq́; liberalia ab ætate primâ & cupidè & laborioſiſſimè exercuit? Sveton. cap. 84. Qvid cæteros ipfius fucceffores, licet non admodùm benè fummæ rerum præfuerint, commendabiles fecit, qvàm Doctrinæ ftudium? Inter eos primus Nero, qvi puerilibus ftatim annis vividum animum in alia detorfit, alienâ indiguit facundiâ; Interdum tamen carminibus pangendis ineffe fibi elementa doctrinę oftendebat. Tacit. 13. annal. 1. Tiberius autem, qvi callebat, qvâ verba expenderet: tum validus fenfibus, aut confultò ambiguus. Etiam C. Cæfaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, qvoties meditata differeret, elegantiã reqvireres. Tacit. ibid. In his omnibus nihil ornamenti deprehendes, qvàm præditos eos fuiffe doctrinâ eximiâ: qvam tamen fœdis fuis factis confpurcarunt. Et qvid doctrina absq; moribus? Bene Plaut. in Pœn. Pulcrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt. Et qvid ornatus absq; doctrinâ? Similes mihi videntur eqvo phaleris ornato: aut ovicum aureo vellere, qvalem appellabat Cæfar Junium Syllanum hebetis ingenii virum, cùm diceret eum effe pecudem auream, &c.

Hunc itaq; ornatum principes ambiant, hoc fefe confpiciendos præbeant; in eo fuperbiant. Sic onus gubernan-

di sibi impositum minore cum tædio ferent. Doctrina sola est officina, in qvâ cuduntur arma bene gerendæ rei: Hic ambi mortuos istos Consiliarios, qvos tantoperè dilexit Alphonsus ille Arragonum Rex, qvi ab his, sine metu, sine gratiâ, de iis qvæ nosse cupiebat, certior reddebatur. Panor. lib. 3. de reb. gestis Alphonsi. Eosdem diligentissimè perscrutatus est Epaminondas, ut mirabile videretur, vnde tam insignis militiæ scientia homini inter literas nato. Justin. lib. 5.

Audi monitorem egregium, Basilium Imp. ad Leonem fil. cap. 56. Per historias veteres ire ne recusa: Ibi enim reperies sine labore, qvæ alii cum labore collegerunt: atq; illinc hauries & bonorũ virtutes, & improborũ vitia: vitæ humanæ varias mutationes: & rerum in eâ conversiones: mundi hujus instabilitatem, & impiorum præcipites casus: & ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia: qvorum illa fugies, ne in justitiæ divinæ manus incidas: hæc amplecteris, ut præmiis, qvæ ea comitantur, potiaris.

Contemplare Augustum, qvi teste Svetonio c. 89. in evolvendis utriusq; lingvæ auctoribus nihil æqvè sectabatur, qvàm præcepta & exempla publicè vel privatim salubria, &c. Admirare Cosroëm R. Persarũ, qvi ipsum Aristotelẽ, Platonemq; percalluisse dicitur: qui & ipsa græcorum opera in suam lingvã multa transtulit. Vide Fridericum illum II. Imperatorem πολύγλωττον, & lectioni deditissimum. Is rectè judicabat, non posse regi populum absq; doctrinæ & virtutis adjumentis: qvæ ex libris doctorum hominum possunt haberi certissima.

Pensitatis hujúsce rei utilitatibus continuò jucunditatem delectationemq; animi persentisces. Tenebunt te γλυκεία σειρῆνι τ̃ λόγων boni auctores: Præferes cum

Carolo IV. Imp. hasce literarias lautitias conviviis etjam delicatissimis: cum Alphonso illo Magno omnibus regni ditissimi gazis. Neq; enim semel edixit: Malle se omnium regnorum (septem ea numerabat) jacturam facere, qvàm minimam doctrinæ. Adeoq; licet oculi fessi sint legendo, auresve audiendo, mens tamen nunqvam defatigabitur cognoscendo.

Famam etiam tuam latè transfundes, & ab extremis Gadibus appropinqvabunt exteri, contemplaturi limpidum hunc doctrinæ fontem: veniet Sabæa regina, admirabunda, plausuq; edito, Deorum te inseret choro. Vides eos, qvi nullo vel parvo doctrinæ succo fuêre imbuti, detestabiles esse omni seculorum memoriâ. Licinius Imp. tam rudis erat literarum, ut nec nomen scribere posset. Evsebius lib. 8. c. 13. Mario melius videbatur imbui arte feriendi hostem, qvàm literis. Sabel. 2. En. 6. Michaël Balbus Imp. eadem laboravit pigritiâ. Sigon. lib. 4. regni Ital. Justinianus etiam à qvibusdam dicitur fuisse ἀναλφάβητος. Suid. & Cuspin. qvod an verosimile sit, aliis dijudicandum relinqvo. De Carolo VIII. R. Galliæ prodidit Æmylius lib. 10. eum hæc tantum verba ex monito patris latina scivisse: Qvi nescit simulare, regnare nescit, &c.

Verùm qvemadmodum famæ suæ non consulunt ii qvi prorsus à literis abstinent: ita rei suæ regendæ malè prospiciunt, qui totos sese dedunt literis, & ideò res gerendas omittunt. Vitiosum semper, qvod nimium est. Peccavit hac in re Michaël Ducæ filius, Byzantii Imperator, qvi ducente Michaële Psello ita totum literis se dedit, ut gubernatio rerum penes alios esset, & turpiter imperium dehonestaretur. Zonar. in annal. tom. 3. Adrianus Græcis literis impensiùs eruditus, à plerisq; Græculus appellatus est. Aur. Vict. Qvod idem objectum est Juliano Imp. qvòd Philosophiæ totum sese mancipasset.

Ammi-

Ammian. lib. 17. Doctrina ergo eorum, ut Philopœmen loqvi solitus est, ad facta tendat, non ocii aut inutilis loqvacitatis causâ usurpetur. Plutarch.

Qvod dictum suprà est, principem excolere debere animum bonis literis, id etiam extendimus, ut studiorum, & virorum eruditorum accuratam rationem habeat: Sublatis enim studiorum preciis, etiam studia pereunt. Tac. 11. an. Et scimus bonas artes honore nutriri, atq; hoc specimen esse florentis reip. ut disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur. Simmach. lib. 1. epist. 73. Archelaus R. Maced. in tantum literarum amator fuit, ut Euripidi Tragico consiliorum suorum summam crederet: Cujus suprema non contentus proseqvi sumtu funeris, crinem tonsus est, & mœrorem, qvem animo conceperat, vultu publicavit. Solinus, cap. 14.

CAP. XXXIII.

De Liberalitate Principum.

Digna hæc virtus est fastigio principali, qvam Diocletianus propriam Principum dotem appellare solitus est. Pompon. Lœtus in Dioclet. Siqvidem hanc sibi nobilitas legem imponit, ut debere se qvod sponte tribuit, existimet, & nisi in beneficiis suis creverit, nihil se præstitisse putet. tex. in c. 2. de donat. Hominemq; frugi esse, non multum laudis habet in rege: fortem, justum & gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ laudes. Cic. pro Dejotaro. Alexander M. patrimonium omne suum qvod in Macedonia Euro-

paq; habebat, amicis divìdit, ſibi Aſiam ſufficere præfatus. Juſtin. lib. 11. Hiero Syrac. R. auditâ clade qvâ Romani apud Thraſimenum lacum erant affecti, trecenta millia modiorum tritici, & ducenta millia hordei, auriq; ducenta & 40. pondo, urbi munera miſit. Val. Max. lib. 4. c. 8. Titus diem ſe perdidiſſe exiſtimavit, qvo nihil cuiqvam præſtitiſſet. Aurel. Vict. & ex eo Gvevara lib. 3. hor. princ. c. 31. Et Severus Imp. ad qværendum diligens, ad largiendum liberalis. Aur. Vict.

Cum autem liberalitatis fontes duo ſint, verum judicium, & honeſta benevolentia. Val. Maxim. lib. 4. c. 8. probè illud à principe obſervari debet: nam judicium reqvirit, ne præcipitanter illa fiat, ſed re conſilioqve deliberato. Subitæ enim largitionis comes pœnitentia. Plin lib. 7. ep. Et deinde ne nimis ſit effuſa largitio: ne ſi ærarium ambitione exhauſtum ſit, per ſcelera ſupplendum ſit. Tacit. 2. annal.

Cap. XXXIV.

De felicitate Principum.

MAgna felicitatis ad aſſerendam Magiſtratûs auctoritatem vis eſt, magna potentia:

Centum doctûm hominum conſilia hæc devincit Dea
Fortuna, atq; hoc verum eſt: proinde ut qvisq; fortunâ utitur
Ita præcellit, atq; exinde ſapere eum omnes dicimus:

Benè

Benè ubi qvod consilium discimus accidisse,
hominem cautum
Eum esse declaramus: stultum autem illum,
cui vertit malè, Plaut. in Pseud.

Multos tamen pessundare solet felicitas nimia: Sic segetem nimia sternit ubertas: sic rami onere franguntur: sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas, Idem animis qvoq; evenit, qvos immoderata felicitas rumpit: qvâ non tantum in aliorum injuriam, sed etiam in suam utantur. Seneca epist. 39. Et secundæ res acrioribus stimulis animum explorant, qvia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur, Tac. 1. hist. cap. 5. Mæcenas ingeniosus vir fuit, magnum exemplum Romanæ eloqventiæ daturus, nisi illum enervasset felicitas, imò castrasset. Senec. ep. 19. Usq; adeò magnæ est felicitatis, à felicitate non vinci. Augustin.

Inqvieta ergò res est felicitas: ipsa se exagitat: movet cerebrum, non uno genere, alios in aliud irritat, hos in potentiam, alios in luxuriam, hos inflat, hos mollit & in totos resolvit: Sen. ep. 17. Et lubrica res est Imperantis felicitas. Qvò tendit Scytharum ad Alexandrum monitum apud Curt. lib. 7. p. 168. Fortunam tuam pressis manibus tene, lubrica est, nec invita teneri potest. Impone felicitati tuæ frenos, facilius eam reges. Sine pedibus dicunt esse fortunam, qvæ manus & pinnas tantùm habet: cùm manus porrigit, pinnas qvoq; comprehendere non sinit. Ejus farinæ est & Minutii

moni-

monitio ad M. Coriolanum apud Dionys. Halic. lib. 8. Qvâ in re, inqvit, maximè potes, & in qvâ numen divinum tibi favet, in ea moderatè te geras, & fortunæ beneficia prudenter dispenses, hisq; sapienter utaris, cogitans res omnes esse mutabiles, & nihil unqvam in eodem statu permanere solere. Qvicqvid enim excellit, qvando ad summum claritatis fastigium evasit, indignationem Deorum effugere neqvit, & rursus ad nihilum redigitur.

> Fortuna sævo læta negocio, &
> Ludum insolentem ludere pertinax,
> Transmutat incertos honores,
> Nunc mihi, nunc aliis benigna.
> Laudo manentem: si celereis qvatit
> Pennas: resigno qvæ dedit: & meâ
> Virtute me involvo, probamqve
> Pauperiem sine dote qværo,

Horat. 3. od. 29.

Cap. XXXV.

Qvantum viro Principi solatium Bona Conscientia.

Conscientiam bonam appellamus integrum animi judicium ex religione & innocentia sui ortum, bona approbans, mala abhorrens. Nihil opinionis causâ, omnia conscientiæ, faciat Magistratus: & in omni vitâ transversum ungvem à rectâ conscientiâ non discedat. Cic. ad Attic. lib. 13. Populo spectante fieri

credat,

credat, qvicqvid se conscio facit. Unde illi plus animi, plus consilii suggeritur. Estq; metu vacuus. Bias apud Stobæum. Qvemadmodum enim laurus non timet fulmen, ita bona conscientia nullâ culpâ pallescit. Camer. in Embl. Intacta virtus:

Sic illæsa malis constat pulcherrima virtus,
Laurus ut est diris integra fulminibus.

Econtrà ii qvi aliqvid commiserunt, pœnam sibi ante oculos semper versari putant. Cic. pro Mil. eorumq; animus nec vigiliis nec qvietibus sedari potest. Salust. in Catil.

Hi sunt qvi trepidant & ad omnia fulgura pallent. Juven. & solem ipsum absq; metu & suspicione non hauriunt. Chrysost. homil. 12. ad Timoth. 1. namq; animus impurus Diis hominibusq; infestus. Ita conscientia mentem excitam vastat. Salust. in Catil. Planum hoc faciunt Tiberius ap. Sveton. c. 67. Caligula. Id. cap. 50. Nero ap. Tacit. 14. an. 2. p. Otto ap. Sveton. cap. 7. Domitianus ap. Xiphil. Bessus ap. Plutarch. Dionys. Tyr. Syrac. ap. Cic. 2. Off. p. 84. Philotas ap. Curt. lib. 6. Theodoricus rex Gothicus ap. Procop. lib. 1. bell. Goth. hi ob commissa scelera tortorem & carnificem habuerunt in animo: alii, qvibus mens à crimine vacua est, plenâ conscientiæ fruuntur læticiâ & libertate, &c.

CAP. XXXVI.

De auctoritate Magistratuum, & benevolentia populi in eum.

Præclarum Dei donum est, cùm subditi, & exteri simul honorificam de Principe ejusq; statu concepêre opinionem

nionem: qvod fecit ex inclinatione animorum ob admirationem ſapientiæ, virtutis & felicitatis in principe.

Auctoritatem præ cæteris apud ſuos obtinuêre reges Perſici: Nam ſubditi humi proſtratis corporibus ſalutabant regem. Curt. lib. 8. Val. Max. lib 7. cap. 3. qvem morem ad ſua usq; tempora permanſiſſe teſtatur Socrat. lib. 7. hiſt. Eccl. c. 8.

Nec permiſſum erat cuiqvam ſalutare regem, niſi oblato munere, qvalecunq; illud eſſet. Ælian. 1. var. hiſt.

Apud Conſtantinopolitanos Impp. morem fuiſſe refert Zonar. in vita I. I. ut qvi accedere vellent Imperatorem, ii in terram honoris causâ procidérent.

Benevolentia populi in principem, arx illi munitiſſima eſt: & nihil aliud laborare principes bonos decet, qvàm ut ſubditis amabiles ſint: non enim ullos poſſunt habere firmiores muros, qvàm benevolos ſubditorum animos. Gvevara in Hor. prin. lib. 3. c. 36. Et nihil tam utile qvam diligi, nihil tam inutile qvâm non amari. Ambroſ. lib. 2. off. c. 7. Qvod confirmat Marcus Imp. in orat. ſuâ, quam moriens ad ſuos habuit, apud Herodian. lib. 1. p. 15. Neq, aut pecuniæ vis tyrannidis luxuriam explére, aut ſtipantia ſatellitum agmina tueri principem poſſunt: niſi illi ipſi, qvos regas, animum imperanti benevolentiamq; accommodent: qvippè ii demum diu tutoq; imperant, qvi non metum ex crudelitate, ſed amorem ex bonitate, civium ſuorum animis inſtillât. Amor inermis qvidem incedit, dormit tamen loricatus: neq; ulli majores ſunt copiæ, qvàm ei qvi plurimùm amatur. Pontanus in lib. de principe. Quamobrem culpandus eſt Mithridates, qvi, qvamvis in omnibus regiis rebus ſapientiſſimus fuit, hoc tamen non obſervavit, nihil neq; arma, neq; multitudinem ſubditorum ſine eorundem

dem benevolentiâ conducere: qvin imò hæc ipsa, si fides absit, tanto minùs tuta esse, qvanto sunt plura. Dion. lib. 37. Probè autem suorum civium favorem ambivit, & consecutus est Romulus: Is multitudini gratior fuit qvàm patribus: longè ante alios acceptissimus militum animis. Liv. lib. 1. p. 20.

Brutus favori civium etiam domus suæ clade & parricidio velificatus est, Flor. lib. 1. cap. 9. De Augusto vid. Sveton. cap. 57. Illi reges exteri regnis relictis non Romæ modò, sed provincias peragranti qvotidiana officia togati, ac sine regio insigni, more clientum præstiterunt. Svet. c. 60. In Germanico conciliandæ hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum & efficax studium. Sveton. c. 2.

Is vulgo sic favorabilis, ut plurimi tradant, qvoties aliqvò adveniret, vel alicũdè discederet, præ turbâ occurrentium, proseqventiumve, nonnunqvam eum discrimen vitæ adiisse, &c. Svet. cap. 4. De caligulâ idem c. 14. Accessit ad immensum civium amorem, notabilis etiam exterorum favor, &c. De Antonino Pio Imp. Aurel. Victor: Orbem terræ nullo bello per annos 23. auctoritate suâ rexit, adeò trementibus eum atq; amantibus cunctis Regibus Nationibusq; & populis, ut parentem seu patronum magis, qvàm Dominum Imperatorem verè putarent, omnesq; uno ore, cœlestium morem propitium optantes, de controversiis inter se judicem poscerent.

De M. Antonino Philosopho Imp. Herodian. lib. 1. p. 11. De Eberhardo Wirtembergico. Naucler. De Timoleonte Plutar. & Æmyl. Probus.

Hi omnes civibus apprimè cari fuerunt, qvibus procedentibus, non tanqvam malum aliquod aut noxium animal è cubili prosiliret, diffugerunt, sed tanqvam ad clarum ac beneficum sidus certatim advolârunt: objicere se pro illis mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem struendum esset. Seneca 1. de Clement. cap. 3. Horum vestigiis parum princeps insistat.

Cap. XXXVII.

De Tyrannidis acqvisitione, & moribus.

HActenus de Magistratu probo, ejusq; muniis dictum est: Succedit Tractatio de Magistratu Improbo, nempe Tyranno: qvâ ratione ille Tyrannidem soleat acqvirere, conservare & amittere.

Tyranni olim dicebantur, qvi potestate erant perpetuâ in eâ civitate, qvæ libertati assvêrat. Æmil. Prob. in Miltiad: Cùm verò sæpiùs abuterentur suâ potestate, nomen unà cum re abiit in odium.

Est autem Tyrannis violentum unius imperium præter mores & leges. Lips. 6. pol. 5. id est, in qvo unus homo divinis ac naturæ legibus sublatis, rebus alienis ut suis, & liberis hominibus qvasi mancipiis ad libidinem abutitur. Bodin. lib. 2. pol. 4. pr.

Estq; tyrannus in duplici differentiâ: alius est absq; titulo,

titulo,alius exercitio : ille remp. ſine ullo legitimo titulo vel electionis vel ſucceſſionis, ſed vi aut malis artibus invaſit: hic qvidem legitimè conſtitutus eſt princeps, ſed tamen tyrannicè adminiſtrat.

Acqviritur ergo Tyrannis technis, dolo, violentiâ & impoſturis, ab iis qvi cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrant. Tac. 13.an.1.eâq; adeptâ,omnia ſibi licere exiſtimant: in qvâ ſententiâ Caligula eſt ap. Sveton.cap. 29.

Mores Tyrannorum hi ferè ſunt.

1. Res regni in privatum uſum conferunt:nam in eo rex à tyranno diſcrepat, qvòd rex ſubditorum: at tyrannus ſuum ipſius commodum ſpectat. Ariſt.8.pol.10.

2. Bella nutriunt ut ſubditorum vires enerventur,

3. Exiſtimant ſibi omnia licére. Ita enim Caligula monenti Antoniæ aviæ tanqvam parum eſſet non obedire: Memento, ait, omnia mihi in omnes licere. Sveton. in vitâ ejus c.29.

4. Sunt ſuſpicaces, & ad omnes ſuſpiciones pavidi, Tac. 2. hiſt. —— taciti q; ſepultos

Suſpirant gemitus,indignaviqve verentur.

Claudianus. Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit, & numerus annorum tyrannidis ejus incertus eſt : Sonitus terroris ſemper in auribus ejus. Job. 15.

Sunt in aſſiduo metu. Omnium manus obſervant, & qvoqvo tempore qvo non captantur peti ſe judicant, nullumq; momentum immune à metu habent. Si Tyranni qværis imaginem, leonem, urſum, lupum aut aqvilam cogita, qvæ laniatu vivunt ac prædâ, ut qvoniam intelligunt ſeſe omnium odiis obnoxia, omnium inſidiis peti, præruptis locis ſe continent, aut ſpecubus & ſolitudinibus abdunt ſeſe. Niſi qvòd horum qvoq; ſævitiam ſuperat Ty-

rannus: Dracones, Pardi, Leones, cæteraq; immanitatis damnata crimine animantia, à suo genere temperant, & tuta est inter feras similitudo morum: At tyrannus homo in homines, civis in cives potissimùm feritatem suam exercet.

Dionysius major Tyr. Syr. veritus, ne filius Dionysius cordatorum hominum usus consvetudine sibi insidiaretur, inclusum adservavit in conclavi. In cubiculum ejus admittebatur nemo, nisi positâ suâ stolâ sumeret aliam, & nudus à satellibus excuteretur. Valer. lib. 9. c. 14. Cic. 2. off. & 5. Tusc.

Nero magis magisq; pavidus, qvanqvam multiplicatis excubiis semet sepisset. Tacit.

Caligula & Caracalla arcas venenis plenas secum circumferebant, tum ut alios, tum ut seipsos tollerent, si fortè esset opus, ne in manus hostium vivi inciderent.

Heliogabalus funes serico & cocco intortos sibi paraverat, qvibus si necesse esset, fauces eliderct: paravit & gladios aureos, qvibus vim sibi inferret, necessitate urgente. Sveton. Dion. Herodian. & Spartian.

Domitianus pavidus semper atq; anxius, nu minis etiam suspicionibus præter modum commovebatur. Sveton. in Domit. c. 14.

Dionysius cultros metuens tonsorios, cadente carbone sibi adurebat capillum. Cic. 2 off.

Masinissa R. Numid. salutem suam custodiâ canum vallabat Val. Max. lib. 9. c. 14.

Alexander Phereorum Tyr. à Conjuge accuratè se muniebat. Val. ibid.

Hanc Tyrannorum formidinem non malè comparat, Ælian. lib. 10. sui. Sus enim, si qvis eam comprehendat, vociferatur, nec temerè: cum enim neq; lanam portet, neq;

neq; qvicqvam aliud ejus generis, ſtatim mortem augu- ratur, ſciens ſuas tantùm carnes uſui eſſe capientibus: Similes autem ſuibus Tyranni, qvi ſemper in ſuſpicione & metu verſantur, cùm ſciant, ſicut ſues, ita ſuam vi- tam ſolam omnibus deberi, &c. Qvinimo contem- tiſſima illis formidini ſunt: nec eſt mirum: cùm maximos ferarum greges linea pennis diſtincta contineat, & in inſidias agat: Vanis enim vana terrori ſunt. Curriculi motus rotarumq; ver- ſata facies leones redigit in caveam: Elephan- tes porcina vox terret. Sen. 2. de ira c. 12. pr.

Ex hac Tyrannorum formidine colligimus, torqveri eos infinitis conſcientiæ tormentis: Nam ſi Tyranno- rum mentes recluderentur, poſſent aſpici la- niatus & ictus, qvando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus di- laceretur. Tacit. 6. annal. adeoq; facinora atq; fla- gitia ſua ipſis qvoq; in ſupplicium vertunt. Ta- cit. ibid.

CAP. XXXVIII.

Qvibus adminiculis conſervetur Ty- rannis.

HOs primum ſolent Tyranni, ut emittatur

I. Turba gravis paci placidoq; inimica qvi- eti. Martial. lib. 1. Epigr. hoc eſt, delatores, explorato- res & emiſſarii, qvibus exqvirunt omnia ſollicitè, qvid qvisq; ſubditorum & ſentiat & faciat. Ariſtot. 5. pol. 11.

Atq; ut qvis diſtrictior eſt accuſator, apud eos velut ſacroſanctus eſt. Tacit. 4. annal. hoc maximè exitiabile tulere Tiberii tempora, cùm primores Senatûs infimas etiam delationes exercerent, alii propalàm, multi per occultum: neq; diſcernentes alienos à conjunctis, amicos ab ignotis. Tacit. 6. annal princ.

2. Conventûs omnes civium prohibent, qvo efficiunt, ut cives ipſi inter ſe ſic ignoti ſint, ut alii aliis peregrini & hoſpites eſſe videantur. Ariſt. 5. pol. 11.

3. Inſtigant ſubditos ad mutuas criminationes & calumnias, ut amici amicis, plebeii patriciis, divites ſibiipſis inſidientur.

4. Literas abolent, vel ne ſapere incipiant homines, vel ne ipſorum ſcelera mandentur memoriæ. Sic ſcholas Ariſtotelicas paſſim abolevit Caracalla, & ipſius Ariſtotelis libros combuſſit. Phil. Mel. in chron. p. 404. Pellunt ſapientiæ profeſſores, & omnes bonas artes in exilium agunt. Tac. in Agric. Sæviunt in libros. Lipſ. 2. de Conſt. c. 25. in fin.

5. Inſignes viros è medio tollunt, ne qvis eorum adverſus tyrannidem inſurgat: illis enim boni, qvàm mali, ſuſpectiores ſunt: ſemperq; his aliena virtus formidoloſa eſt. Saluſt in Catil. p. 8. Et certisſimum ob virtutes exitium. Tac. 1. hiſt. pr. Factum hoc à Periandro ex monito Thraſibuli decutientis ſumma papaverum capita. Herod. lib. 5. Et à S. Tarqvinio de conſilio patris, apud Liv. lib. 1. Flor. lib. 1. c. 7. Factum etiam à Cambyſe, qvi 12. Perſas miſerè jugulari juſſit. Herod. li. 3. p. 172. Nec tantùm è medio tolli eos ſufficit, progrediuntur longiùs: interdicunt ne capite damnatos propinqvi lugeant. Sveton. in Tib. c. 51. De primariis qvibusdam nobilibus cæſis vid. Amm. Marcel. li. 19. p. 183.

6. Mu-

6. Muniunt se peregrinorum militum custodiâ & satellitio. Sic Maria regina Scotiæ, repudiatis Scotis custodiam sui corporis commisit Italis. Georg. Buchan. lib.18. hist. Scot.

7. Asturè simulant, se regnare salubriter, omnesq; suas sollicitudines ad civium commodum directas profitentur.

8. Si qvem potestate spoliare velint, non totam simul aufferunt, sed paulatim minuunt.

9. Curant ut cives redigantur ad inopiam, qvod fit, stipendium militibus non solvendo gratuitas operas imperando, immane vectigal exigendo. Qvin imò novos excogitant prætextus, qvorum obtentu à subditis extorqveant pecuniam. Nero incenderat urbem prætextu istius incendii magnam vim pecuniæ à privatis & populis exegit. Dion.lib.62.p.708.

10. Jocosè dicta sinistrè intelligunt, atq; ideò eos à qvibus ista profecta sunt, solent subjugare supplicio.

—— Sed tu rabidi nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi. Martial.

CAP. XXXIX.

De abditione tyrannidis in genere.

NOn diuturna solet esse tyrannica gubernatio: Nihil enim rarius Tyranno sene. Plut. in Sympos. Laërt in vitâ Thalet. Et Reges consenescunt, liberisq; ac nepotibus tradunt regna: Tyrannorum execrabilis brevisq; potestas est. Sen. 1. de clem. qvæ nec ad hæredem tertium, qvandoq; sese extendit: Qvemadmodum legimus pulsum esse à Dione Dionysium juniorem, Dionysii majoris filium R. Syrac: & Pisistrati

filios partim interfectos, partim in exilium pulsos deprehendimus: Phæreum, qvi, cùm apud Thessalos menses 10. dominatum obtinuisset, mox fuit trucidatus, Dionysii vicissitudinis pernicitatem ridens, tragicum tyrannum appellat. Plutarch. in Galb. p. 590.

Exitus eorum sunt tragici: usq; adeò.

Ad generum Cereris, sine cæde & sangvine pauci
Descendunt reges, & siccâ morte Tyranni.

Juven. Sat. 10.

Suo facto docent idipsum Achab: Herodes Infanticida: Nero Imp: Phocas Imp: Theodoricus Veronensis Rex Gothicus: Hatto Episcopus, & Pompilius II. Rex Polon. arrosi & discerpti à gliribus & muribus: Cambyses: Polycrates Samius: Commodus Imp. Phalaris: Pharao R. Ægypti, &c.

Post mortem etiam execrationibus omnium sunt obnoxii. Heliogabali & Scæmidis cadavera milites trahenda per contumeliam plebi tradiderunt, qvæ diu per totam urbem reparata ac dilaniata, postremo in cloacas abjecta sunt, ut inde scilicet in Tyberim deferrentur. Herodian. in fin. lib. 6.

Eorumq; memoria damnatur. Nam nemini in rep. Rom. licuit Tyranni imaginem habere. Ambros. 1. Off. Tyranni aliqvis imaginem habeat, nónne obnoxius damnationi.

Multos etiam Tyrannos voluptas pessundat incautos. Sardanapalus inter ipsos pellicum greges abreptus ad supplicium: Nulla capitalior pestis homini à naturâ data est, qvàm voluptas; Insaniam auffert medicus; voluptas cum æqvè mentem eripiat homini, vix sanabile malum est. Boissard. Embl. 37. Nam voluptates in hoc amplectuntur homines ut strangulent. Sen. ep. 51. in fin.

ſin: etiam ferociſſimos qvosq; : qvemadmodum taurus ferociſs. fico alligatus, miteſcit, tangi ac ſubigi, & manu palpari tolerat: ita ferociſſimi qviq; voluptatibus alligati adomantur.

Cap. XL.

De Tyrannicidis, ſintne excuſandi.

VAriis ex cauſis impelli poſſunt homines, ut inſurgant adverſum Tyrannos, eosq; tollant è medio. Qvibusdam hoc propoſitum eſt, ut tyrannide liberet patriam: ut Harmodio & Ariſtogitoni: ut & illis qvi Domitianum & Caligulam ſuſtulerunt. Qvidam illatas ſibi ſuisq; injurias ulciſcuntur: ut is qvi legiones Arabum ac Mahometanorum ab oris Africæ in Hiſpaniam acceſſivit, ut contumeliam ſibi à Roderico Hiſp. R. qvi uxori ſuæ ſtuprum intulerant, vindicaret. Qvidam verò præmii loco propoſitam ſibi imperii adipiſcendi ſpem habent, qvemadmodum Arbaces necato Sardanapalo : & uterq; Brutus.

Qvæcunq; ſit cauſa, qvæ illos exſtimulat, difficilimum eſt, eum, qvi magno ac forti animo Tyrannum occidere, ac mori ſimul propoſuit, à ſusceptâ ſententiâ dimovere, ſi propoſiti conſcium, qvem metuere poſſit, habeat neminem.

Num verò excuſandi illi, ut juſtè cœſi dicantur Tyranni?

Multis hoc ita videtur:

1. Qvòd favendum illi ſit, qvi pro libertate introducendâ pugnat, & ſervile Tyranni jugum excutere laborat.

2. Qvòd nulla pingvior Deo poſſit mactari victima, qvàm rex iniqvus. Seneca in Herc. fur.

3. Quòd Græci homines honorem Tyrannicidis velut libertatis assertoribus habuerint. Cic. pro Mil. & statuas iis erexerint.

4. Qvòd justus sit metus, cui resistere omnia jura permittunt. Geil. 2. obs. 93. n. 4. & emori per virtutem præstat, qvàm vitam miseram atq; inhonestam, ut alienæ superbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere. Salust. in Catil. p. 19.

5. Qvòd dignissimum sit eum tali perire supplicio, qvod optat cæteris. Atq; Tyranni se viventibus omnia verti funditus concupiscunt. Dion. lib. 62. de Nerone p. 707. His confectis rebus cupivit, qvod antea semper optaverat, urbem atq; imperium vivus funditus perdere. Non alienus etiam ab hac insolentiâ Caligula, qvi optare solitus est, unam tantùm populo Romano esse cervicem ut uno ictu tolli posset.

Non esse excusandos Tyrannicidas, speciosiùs nonnulli disputant:

1. Qvòd nulli privatorum liceat adversum Magistratum, utpotè à Deo ordinatum, arma sumere. Ep. Judæ ℣. 9. 2. Pet. 2. ℣. 11.

2. Qvin potiùs pro Magistratu qvovis concipiendæ preces. 1. Tim. 2.

3. Et insistendum Sanctorum vestigiis: Michaëlis Archangeli: Davidis, qvi Sauli Tyranno violentas manus inferre noluit, ut maximè potuerit. 1. Sam. 24. & 26. Pauli, qvi nec verbis Sacerdotem lædi debere innuit Act. 23. ℣. 5 utpotè cùm omnem Magistratum à Deo esse ordinatum, idem sciebat Rom. 13. ℣. 1. qvod Petrus comprobat. 1. ep. 2. ℣. 13.

4. Qvòd satis illi post mortem puniti.

5. Deniq; qvòd ipse Christus honorem Cæsari Tiberio exhibendum mandavit: qvi tamen impotentiùs in gubernatione se gerere solitus est.

Qvod dicendum in hac opinionum discrepantiâ? Distinctio nodum solvet: Is qvi Tyrannus est absq; titulo, tolli potest: alius qvi legitimâ successione regnum sibi acqvisivit, aut recognoscit superiorem, & tum potest ei resisti mediis ordinariis: aut non recognoscit, & si is sit interemtus, Tyrannicidæ nullam excusationem tribuimus.



Finis Libri II. Politicorum.





GEORGII Schönborner / Silef. Phil. & J. U. D. Confil. & Cancellarii ZOLLERINI.

Liber III. Politicorum.

CAP. I.

De Legibus, earumq; neceſſitate, definitione & distributione.

LEx anima & ſpiritus eſt Civitatis: & unà cum ipſius Civitatis primordiis ſcribi cœpit. §. 11. Inſt. de rer. diviſ. Ut enim corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine lege ſuis partibus ut nervis ac ſangvine & membris uti non poteſt. Cic. pro Cluentio. Qvintil. lib. 5. Inſt. Orat. c. 11. Et multitudo coaleſcere in unius populi corpus, nullâ re qvàm legibus poteſt. Livius lib. 1. Hæc civilium controverſiarum norma eſt, & regina omnium divinarum & humanarum rerum. l. 2. ff. de legib. Hæc judicis cohibet affectus, ut non ex arbitrio ſibi fingat æqvitatem, ſed omnem controverſiarum nodum hoc velut enſe recidat

recidat. A. Faber in Jurisp. Pap. ad tit. de Juſt.& jure. princ.2. illat. 6. Et qvemadmodum aut architecti ſine libellâ & lineâ nil proficiunt, aut nautæ curſum navis tenere non poſſunt ſine ferro qvod affricuit Siderites, ita nec imperantes ſine hac normâ. Actum ergo cum illâ civitate, in qvâ mores perduxère leges in poteſtatem ſuam, ac eæ miſerè ad parietem fixæ clavis fereis. Plaut. in Trinum. Atq; illi populi meritò agreſtes cenſendi ſunt, qvi ſine legibus vixerunt: qvales Aborigenes, genus hominum agreſte, ut loqvitur Saluſt.in Catil. ſine legibus, ſine imperio liberum atq; ſolutum: qvales etiam in Africâ Caſeres Mauri & Abyſſini.

Definitur lex à Papin. l. 1. ff. de legib. qvod ſit commune præceptum, virorum prudentium conſultum, delictorum qvæ ſponte vel ignorantiâ contrahuntur, coërcitio, communis Reip. ſponſio.

Demoſthenis & Chryſippi definitiones vide ibid. apud Marcian. lib. 1. Inſt. in l. 2. ff. de legib.

Diſtribuitur lex in divinam & humanam. Illa ab ipſo Deo, hæc ab hominibus lata eſt. Circa illas qværitur, an forenſes Moſaicæ leges, neceſſariò obſervandæ, in Chriſtianâ Rep.? Multis hoc ita videtur: cùm tanto dignior ſit lex, qvanto dignior eſt legislator: jam verò Deus illarum eſt auctor: cujus ſanctiones non poſſunt non eſſe optimæ. Sed contraria potior eſt ſententia. Nam qvod Reip. Iſraëliticæ in proceſſu judiciorum congruum eſſe viſum eſt, id non ſtatim aliis etiam expedit Rebusp. Et peculiariter huic populo leges iſtæ latæ ſunt, qvo extincto, conſeqvens eſt, alios hiſce non teneri. Aret. 1. probl. 54. Zepperus in tr. de legib. Moſ.

Cæterùm lex politica eſt de regno vel ineundo vel regendo: Illa vocatur lex regni fundamentalis, nempè de modo & reqviſitis vel ſucceſſionis, vel electionis: his

enim velut fundamentis regnum innititur: Hæc est norma, per qvam princeps administrat principatum.

Cap. II.
De Legislatoribus.

VArios variorum populorum legislatores legimus, Moses Hebræorum. Zoroastres Bactrianorum; Menas, Sesostris, Amasis Ægyptiorum: Draco, & Solon Atheniensium; Lycurgus Spartanorum: Zalevcus Locrensium. Et Zalevci leges, Charondæq; laudantur. Sen. epist. 90.

Hodie idem qvi princeps est, idem etiam legislator: Dum tamen in ferendis legib. peritiorum utatur consilio. l. humanum 8. C. de legib. Solus autem Imperator condendæ legis potestatem habet. l. ult. C. de legib. Et hodie Status Imperii in suis territoriis, vigore concessionis Imperatoriæ idipsum possunt.

In Legislatoribus præcipuè reqvirimus;

1. Pietatem qvid enim boni proficisci potest ab eo, qvi religionem susq; deq; habet. Vituperandus hoc loco est Catades R. Persicus, qvi legem tulit, ut omnes fœminæ essent communes. Procop. de bello Pers. lib. 1. p. 121. vel ut Mol. in Chron. p. 534. ait, ne adulteria sine violentiâ facta punirentur.

2. Auctoritatem legibus addant, suæ vitæ integritate. Apud antiqvos, ut legibus sua constaret auctoritas, Legislatores professi sunt, leges istas latas sibi inspiratas esse divinitus. Fingebat Minos se ab ipso Jove didicisse, qvod per annos novem ad montem qvendam commearet, ubi antrum Jovis sacrum erat, à qvo reversus semper leges aliqvas Cretensibus attulit. Nic. Damasc. de mor. Gent. Jac. Typotius lib. 1. de fortunâ. n. 79. Lycurgus consilio

consilio Apollinis Lacedæmoniis leges compositas ferre se persvasit. Plut. & Val. Max. lib. 1. c. 3. Numa nocturnos cum Deâ Ægeriâ conventus simulavit. Liv. lib. 1. p. 22. Zalevcus sub nomine Minervæ apud Locrenses prudentissimus est habitus. Ælian. 2. var. hist. De Minoë Val. d. loco.

Caveant ergo Legislatores, ne suis damnentur legibus: qvemadmodum Zalevcus filius in ipsam à patre latam legem primus deliqvit: utq; suo constaret legi vigor, oculum filio unum, sibiq; alterum erui curavit. Ælian. lib. 13. hist. Charondas Tyrius in freqventem senatum gladium inferre prohibuerat: ipse verò eamdem legem violat: eoq; gladio seipsum transfigit. In hanc classem referendi Licinius Stolo apud Plutarch. in Camill. Tennes apud Heraclidem de politiis: Pericles: Clisthenes Duces Attici, apud Ælian. lib. 13. Lycurgus apud eund. & Solon apud Plaut. Evtropius Evnuchus, de qvo Melanth. 3. Chron. pag. 485. ex Socrate lib. 6. hist. Eccles. cap. 5.

Cap. III.

De ratione Legis.

ELeganter JCti dicunt, rationem esse animam legis. l. 17. ff. de legib. c. sedulò 38. dist. nam sicut anima dominatur corpori, ita ratio legis vel canonis dominatur verbis. Eberh. à Middelb. in loco à rat. leg n. 2. Lex enim ex ratione semper æstimanda est: ut ibi ratio non est, ibi nec lex sit: cùm justicia sit animi habitus, & qvidem bonus, qvalis esse non potest, nisi qvatenus ratione perficitur. Et qvemadmodum justicia sine ratione non est, ita nec lex. ar. c. consvetudo dist. 1. Unde est, ut id qvod errore primùm introductum est, legis vicem non sustineat. l. 39. ff. de legib. Verùm non superstitiosè inqvirenda est legis

legis ratio. l. 20. cum seq. ff. eod. l. si ita 51. §. fin. ff. ad l. Aqvil. l. item 2. C. de crim. sacrilegii.

Cap. IV.

De fine & formâ ferendarum legum.

Finis legum est, ut per eas homines retineantur in officio: nam improbitas hominum causam legumlationi dedit. Sicut antè morbos necesse est cognitos esse, qvàm remedia eorum: sic cupiditates priùs natæ sunt, qvàm leges, qvæ iis modum facerent. Liv. dec. 4. lib. 4. p. 85.

Forma ferendarum legum est:

1. Ut generaliter concipiantur, non in singulas personas. l. 8. de legib.

2. Leges in scripturam redigantur, ut cives meliorem possint earum habere noticiam. Eo consilio Romæ in æs incidi solitæ sunt leges. Ovid. 1. Metam. —— nec verba minantia fixo Ære ligabantur. Liv. lib. 3. (per verba minantia intelligit leges minantes supplicia) Plin. lib. 34. c. 9. Usus, inqvit, æris ad perpetuitatem monumentorum jam pridem translatus est, tabulis æreis, in qvibus publicæ constitutiones inciduntur.

3. Legem brevem esse oportet, qvò faciliùs ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit: jubeat, non disputet, Sen. ep. 95.

Cap. V.

De Effectu Legum.

Omnis

OMnis lex obligat ad obedientiam aut pœnam. l. Divus.7.de jur. patron. l 2.ff.de legib.

Atq; ut ad patriarum legum observantiam assvefiant cives, non permittendum in Rep. ut aliarum civitatum leges commendentur aut recitentur: Ita apud Lacedæmonios interdictum, ne qvis Atheniensium jura, aut aliorum qvorumcunq; laudet. Demosth.advers. Leptinem. Suas enim leges civitas pertinacissimè tueri debet, qvemadmodum legimus Græcos & Indos morum legumq; suarum fuisse observantissimos, apud Herod. lib.3. p.173. Darius accitos Græcos suæ ditionis percontatus est, qvantâ pecuniâ vellent defunctis parentibus vesci: illis negantibus ullâ se pecuniâ hoc esse facturos: Darius dehinc interrogavit Indos, qvi vescuntur parentibus, qvantum accipere vellent, ut patres defunctos igne comburerent: Indi vehementer reclamantes, meliora illum ominari jubebant.

A superiori regulâ excipitur Princeps, qvi cùm ferendi &.abrogandi leges potestatem habeat, legibus est solutus, l.31. ff. de legib. nempè supra leges civiles est, non etiam supra eas, qvæ sunt juris naturæ, aut gentium. Neq; enim populus lege regiâ potuit transferre in principem plus juris, qvàm ipse populus haberet. l.54.de R. J. Nunqvam autem licuit populo naturale jus aut gentium violare, §. ult. Inst. de jur. nat.gent. & civ. Positivis itaq; legibus solutus est, si ejus potestatem spectes: si mores & animum, princeps ita comparatùs est, ut re verâ majus imperio esse putet legibus submittere principatum: qvo sensu legibus se alligatum profitetur, l. 4. C. de legib. l. ex imperfecto 23. de leg. 3. Est igitur inspecto jure principis solutus: sed multò decentius fecerit, si de hoc jure suo remiserit, & secundùm leges vixerit.

CAP.

Cap. VI.

Qvibus de rebus ferendæ leges.

I. DE his qvæ freqventer fieri solent, non qvæ raro leges fieri debent. l. 3. & seqq. ff. de legib. l. 3. ff. si pars heredit. petatur, l. 28. ff. de judiciis. l. ea qvæ. 54. de R. J.

II. Futuris negociis leges formam dant, non præteritis. l. 9. C. de legib. l. jubemus. 29. §. qvæsitum C. de testamentis. l. sancimus 18. in fin. C. de SS. Eccles. l. un. §. fin. C. de caduc. tollend. c. cognoscentes. c. fin. de constit.

Unde legis novæ pœna gravior ad commissa priùs delicta porrigi non debet. l. factum 155. § in pœnalibus. l. in omnibus. de R. J. l. hodie 13. l. respiciendum de pœn. l. pen. si ex noxali causâ agatur.

Cap. VII.

De Legum multitudine.

PAucas eosq; bonas expedit esse in Repub. leges: nam fieri non potest, ut omnes articuli sigillatim, aut legibus aut SCtis comprehendatur. l. 12. ff. de legib. id est, omnes casus, qvi qvandoq; inciderint, qvia multo plura sunt negocia, qvàm vocabula. l. 4. ff. de præs. verb. Et naturâ ipsâ qvotidie varias & novas formas edere properante necesse est, multa emergere negocia, qvæ legum laqveis adhuc non sit innodata, ut loqvitur Justin. in const. de confirm. ff. ad Senatum. §. sed qvia divinæ. Ex his autem

qvæ

qvæ primò constituta sunt: si sententia legislatoris manifesta sit, id juris ad similia produci debet, aut interpretatione, aut suppletione, aut supremi principis constitutione. l. & ideò. 11. l. 12. ff. de legib. Et si velis novis qvotidiè emergentibus casibus novas ponere leges, perinde feceris, ac si tentes resecare hydræ capita, qvibus rese[illegible]is nova semper pullulant: & ex novarum legum non [illegible]antùm verbis, sed & disputatiunculis novæ oriuntur controversiæ: nam ut Plato ait, ubi plurimæ leges, ibi & lites, itemq; mores improbi.

Eleganter Strabo lib. 6. refert, Zalevcum illum Thuriis olim paucas & simplices leges dedisse: sed secutos, alias per subtilitatem & nimiam curam addidisse: ex qvo factum sit, ut celebres magis qvàm boni redderentur. Lips. in lib. mon. pol. cap. 10.

Et sanè corruptissima est Resp. in qvâ plurimæ leges. Tacit. 4. annal. Ex legibus varia interpretatio oritur: qvæ veris an falsis nitatur principiis, nihil pensi habent qvidam audaculi. Atq; utinam hodie fata aliqvem animarent Julium, qvi jus civile ad certum modum redigeret, atq; ex immensâ diffusâq; legum copiâ optima qvæq; & necessaria in paucissimos conferret libros. Hoc Julio Cæsari propositum fuisse refert Svetonius: Sed ferenda sunt, qvæ mutari non possunt.

CAP. VIII.

De interpretatione Legum.

RAtio interpretandi leges proponitur in l. 10. cum trib. ll. seq. ff. de legib. l. 2. § his legib ff. de orig. jur.

Si ambigua vox legis est, ea potiùs accipienda significatio, qvæ vitio caret, l. 19. ff. de legib. l. qvoties 67. de

R. J. l. 3. de reb. dubiis. Et benignior semper præferenda sententia. l. 18. l. 25. ff. de legib. l. semper 55. l. ea qvæ 152. in fin. de R. J. l. non sine ratione. 5. §. qvamvis. C. de bon. qvæ lib. l. per fundum 11. ff. de servit. rust. præd.

In posteriorum legum explicatione priores adhiberi possunt. l. 26. & 27. ff. de legib. Et in prioribus explicandis adhibendæ posteriores. l. 28. ff. de legib. Eoq; qvæ in fraudem alicujus constituta sunt, adversus eum non sunt interpretanda. l. 6. C. de legib. l. 25. ff. eod. l. plures 18. C. de fide instrum.

Cap. IX.

De mutatione & abrogatione legum.

Qværitur, an positas semel leges, qvæ suâ qvidem nituntur vetustate, sed aliqvid iniqvi continent, mutare liceat? Ajunt hoc qvidam: 1. qvòd variæ recurrant circumstantiæ personarum, locorum & temporum, qvæ novam constitutionem postulant. 2. qvòd mala lex non possit ex solo temporis tractu confirmari. 3. qvòd leges inservire debeant hominum usibus & moribus: Ut verò illi varii sunt: ita & legem variam esse conveniens sit.

Contraria verò sententia probabilior est:

1. Confusionem introducit legum mutatio: & homines leges vilipendere incipiunt, cùm vitæ suæ regulam, qvæ constans & perpetua esse debebat, subinde vident immutari.

2. Ipsa etiam legislatoris auctoritas vilescit: qvem non tam esse discretum præsumunt homines, ut futuri etiam temporis circumstantias perpendere potuerit. Rectè ergo svadet Cleon ap. Thucyd. Melius agitur cum civitate, qvæ malis legibus constanter utitur, qvàm

qvàm cum eâ, qvæ bonis utitur: qvia nempè non tantum proderit, qvi corrigere perget, qvantum nocebit assvefactio superiorib. non parendi. Et apud Locrenses collum in funem mittere cogebatur, qvi novam vellet introducere legem, ut si non acceptaretur à populo, contracto laqveo strangularetur. Stob. serm. 42. qvod de Thuriis etiam refert Diod. Sic. lib. 12. Vid. Cas. 3. pol. 6. Dan. 3. pol. 4. Lips. 4. pol. 9. Arist. 2. pol. 8. Tolos. 10. pol. 5. Bodin. 4. de rep. 4. Vasq. 1. ill. controv. c. 8. n. 50. & c. 29. n. 23. c. 43. n. 4. c. 46. n. 14.

Abrogatur lex non solùm suffragio populi, sed etiam tacito consensu omnium per desvetudinem l. de qvib. 32. in fin. ff. de legib.

CAP. X.

De Censoribus.

CUm uniuscujusq; Reip. fundamenta sint mores & leges: Polyb. lib. 6. optimum in eâ fuerit, si qvid in moribus labat, non deesse corrigendi auctorem. Tac. 2. an. Si qvid in legibus, opem postulare à judice. Censores igitur magistri sunt veteris disciplinæ & præfecti moribus. Cic. pro Cluent. pacis magistri & custodes. Val. Max. lib. 2. c. 9. nec non pudoris & modestiæ. Cic. in Pison. Unde Romæ regendis moribus diligens & severa censura. Liv. dec. 5. lib. 1. in fin. Sine hâc nil arma valent militum, nil legatorum merent consilia: nam qvid prodest foris esse strenuum, si domi malè vivitur. Valer. lib. 2. cap. 9. Sine hac nullæ unqvam divitiæ augustiorem facient rempublicam, nisi enim singulis officium ac verecundia

sua constiterit, partarum rerum æqvatus cœlo cumulus sedem stabilem non habebit. Val. Max. ibid. Hinc est, ut sacratissimus hic Magistratus dici meruerit. Plut. in Cat. Majore. & honoratissimus: is enim cumulus qvasi reliqvarum dignitatum. Lipsius in not. ad lib. 4. an. Tac. n. 34. & morum judex ap. Juvenal. & jurator ap. Plaut. in prol. Pœnuli. Scip. Gentil. lib. sing. Orig. pag 284.

Dicti sunt Censores à censendo sive constituendo. l. 111. de V. S. Apud Athenienses ζητηταὶ vocati sunt. Suid. ab inqvirendo. Id enim eorum proprium in ea, qvæ ab receptis moribus degenerare viderentur, securè inqvirere: & deprehensa notare: nam si præsentes, aut id rescifcentes delinqventem non increpent, eidem pœnæ sunt obnoxii, cui is qvi deliqvit. Plut. in Inst. Lac.

Est autem duplex eorum officium: in habendo censu, & præfecturâ morum. De illo dicetur infrà commodiùs lib. 4. cap. 28. De hoc qvædam nunc subjungemus.

In morum curâ hæc erant: Senatum legebant, indignos amovebant: si qvis plebejus oscitanter vel malè viveret, agrum passus sordescere, eumq; segniter curaret, impunè hoc non ferebat: Si qvis eqvum haberet strigosum: Gell. lib. 4. c. ult. si ebrietatem, si jurgia, si perjuria civitatem invadere deprehenderent, acriter animadvertebant: Et in universum providebant, ut qvisq; civium haberet negotia sua, qvibus à malo publico detineretur. Salust ad Cæs. & abstineret à pravis artibus malisq; libidinibus. Ibid. studeretq; probitati atq; industriæ, non sumtibus aut divitiis. Sal. ibid.

Eaq; cura summis etiam viris demandata: Cæsar cum

cum esset magister morum, privatas ædes ambiit, qvomodo qvisque viveret, percontans. Plut. in Cæs. Dion. lib. 43. Tiberius etiam, si qva in publicis moribus desidiâ aut malâ consvetudine labarent, corrigenda suscepit. Svetonius in Tib. cap. 33.

Censores autem ipsos, qvandoqvidem aliorum moribus regendis præpositi sunt, summâ vitæ integritate esse oportet: qvod profitetur apud Salust. in Catil. p. 49. Cato: qvi mihi atq; animo meo nulliꝰ unqvam delicti gratiam fecissem, haud facilè alteriꝰ libidini malefacta condonabam. Atq; adeò turpe est Censori, cùm culpa redarguit ipsum.

Effectus notæ censoriæ olim erat, qvòd damnato ruborem incuteret. Cic. 4. de repub. non infamiam. D. Dionys. Gothofr. præceptor meus observan. in explic. l. 2. C. de reb. credit.

CAP. XI.

De Religione.

SVmmum illud & æternum Numen neq; mutabile neq; interiturum, qvod interest animis nostris & cogitationibus mediis intervenit, ex qvo omnia, per qvod omnia, in qvo omnia rectè agnoscere, & sincerè colere, fundamẽtum est & columna totius Reip. Hac solâ virtute universa hominum constat societas: hic murus aheneus: hoc propugnaculum, hoc tutamen est: hac solâ Romana gens orbem terrarum subegit: hanc si tollis, vita hominum stulticiâ, scelere, immanitate complebitur. Utriq; autem tam qvi imperant qvàm qvi parent, arctâ qvadam catenâ in-

ter se devincti, magnum Imperio robur & fulcrum addunt, si non fictè, non perfunctoriè, non superstitiosis animis Religionem tueantur & propagent: magnam econtrà eidem ruinam & stragem accersunt, si susceptæ fuerint, contrà qvàm fas est, impiæ religiones.

Di multa neglecti dedère
Hesperiæ mala luctuosæ

canit Horatius: & Seneca in Thyeste.

——ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Verùm an diversas in Rep. Religiones esse expediat, sæpiùs lacertis qvàm chartis, armamentis qvàm argumentis agitata qvæstio est. Qvæ inde dissidiorum civilium faces accensæ sint, qvi bellorum strepitus, animus meminisse horret, luctuq; refugit! Liligerum illud regnum istis bellorum civilium turbinibus, qvib. ultra 40. millia hominum absumta, sanguine humano ferè inundatum, non sine gemitu intuemur! Florentissimum Belgium eodem infortunio implicatum: Germania etiam haud rarò disceptationis hujus aculeos heu indignè perpessa est. Sed revoco me ad thema propositum.

Diversas in Rep. religiones admitti posse multorum scriptis, rationibusq; defensa est opinio. Hi cum Theodorico Rege Gothico religionem liberam esse volunt: cùm nihil tam voluntarium sit, qvàm religio, in qvâ si animus aversus est, jam sublata, jam nulla est: Neminem perinde animis imperare posse, ac lingvis: cùm mentium Rex Deus sit: corpora obnoxia esse & adscripta dominis: mentem qvidem sui juris, qvæ adeò libera & vaga est, ut nec ab hoc qvidem carcere, cui inclusa est, teneri qveat, qvo minus impetu suo utatur, & in infinitum comes cœlestibus exeat. Senec. 3. de benefic. c. 20. adeoq; nemini imponi posse

necess.

necessitatem, vel credendi qvod nolit, vel qvod velit non credendi. Lactant. nec qvenqvam efficere posse, vt qvicqvam agamus præter animi sententiam. Id laudatissimo Heroi Stephano R. Poloniæ visum, qvi crebris sermonibus usurpare solitus est: Deum tria sibi reservasse, in qvibus nec velit, nec possit habere parem: dominari conscientiis, scire futura, & ex nihilo aliqvid facere. Et Maximiliano II. Cæsari invictissimo placuit, nullam intolerabiliorem esse tyrannidem, qvàm dominari velle conscientiis. Progrediuntur ulteriùs sententiæ hujus assertores, coacta servitia ipsum Deum aversari: perversum illum atq; inversum esse docendi ordinem, ut à vi & coactione initium fiat: ipsum Christum prohibuisse discipulis, ne qvos ad credendum civilis potestatis auctoritate compellerent, fidem svadendam, non imponendam, vulpesq; & lupos vineam Domini devastantes non armis sed argumentis esse capiendos. Extollunt sese altiùs, & qvasi è speculâ circumspiciunt florentissima Evropæ Asiæq; regna: Intuentur pacatissimam Germaniam, in qvâ vigore pacis religionis, interdum conjuges in religione qvidem dissentire, parentes & liberos diversa sacra seqvi, fratres & sorores in unâ interdum domo in plurimis cœlestis doctrinæ capitibus discrepantes fovere sententias, in politicis tamen & domesticis rebus concordes vivere deprehendunt. Contemplantur fortissimam Galliam: eam tranqvilliorem & pacatiorem factam esse, qvamprimùm liberum Religionis exercitium permissum: idemq; in aliis regnis & provinciis obtigisse. Latissimum & firmissimum esse Turcarum imperium, qvi tamen varias sectas tolerant: neq; adduci potuisse Solimannum Sultanum magnis suorum precibus, ut Christianos ad Alcorani leges adstringeret: Atq; ut in horto varietas herbarum atq; florum non solùm nihil obest, sed mirificè oculos & sensus recreat: Sic in Imperio diversam fidem & religionem potiùs usui esse

Stephanus Rex

Germania

Gallia

qvàm oneri. Ajunt præterea, Judæis etiam olim varios fuiſſe admixtos: principesq; Chriſtianos, cœtus ac Synagogas Judæorum, qvas olim Tiberius, Claudianus, ac Domitianus vetuerant, permiſiſſe: eosq; hodiè in multis Imperii liberis civitatibus & provinciis ſecurè vivere: Ægyptios etiam variam & miſcellam religionem induxiſſe, ſtabiliendo ſceptro, & ne unqvam conſpirationi locus inter eos eſſe poſſet. Sed qvid in hujus opinionis relatione immoror longiùs?

Qvicqvid illud ſit, non adducor ut credam, expedire reip. religionum diverſitatem: Immò non coaleſcunt in civilibus ſubditorum animi, niſi in ipsâ actionum ſummâ, in Religione ſcilicet, priùs conveniant. Magiſtratui ergo hoc unicum ante oculos verſetur, religionem & venerationem nullam aliam, niſi unius Dei tenére, & proſpicere, qvantum fieri poteſt, ut multitudinis credentium ſit cor unum, & anima una. Unum Imperii corpus unâ religione regi neceſſe eſt: Iſtud eſt vinculum, per qvod Reſp. cohæret: ille ſpiritus vitalis, qvem hæc tot millia trahunt: nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperii ſubtrahatur. Qvòd ſi is, qvi anathematis nomine inviſus eſt, fugiendus, qvid ſtatuendum de eo, qvi neglectâ verâ religione, alienam amplectitur? Conſortium ejus evitandum: præcidendum putridum aliqvod membrum, ne pars ſincera trahatur. Qvin ipsâ divinâ voce religionum improbatur diverſitas, Deut. 13. & falſos prophetas ſuſtulerunt è medio Elias, Jehu, Joſias, & alii: qvam divini juris ſanctionem Imperatores ſapienti conſilio repetiverunt l. 4. & 5. C. de hæreticis. Qvin imò hac religionis diverſitate ad extremum Numinis contemtum feneſtram aperiri latiſſimam, in confeſſo eſt: In neutram enim credit, qvi leges contrarias admittit. Taceo, qvòd ſeditiones ex eadem pullulant, & lanienæ: qvod videre licet ex hiſtoria Moiſis Cretenſis, Müntzeri, & Eorum Pariſienſium.

Qvid

Qvid qvòd Romanis etiam Ethnicis diſplicuit iſta diverſitas; Ædilibus enim id negotii datum, ut animadverterent, ne qvi niſi Romani Dii, ne qvò niſi patrio more colerentur. Salvam ergo tamdiu futuram crediderim Remp. qvamdiu vera atq; una in eâ viguerit religio. Optare iſtud qvidem, ſperare fortaſſis vix licet; Sapientiſſimi ergo Rerump. Moderatores in eo genere nauclerum imitantur, qvi cùm eò, qvò cupiat, pergere non poſſit, eò qvò poteſt curſum dirigit, ac ſæpè velificatione mutatâ procellis & tempeſtatibus obtemperat, ne ſi curſum tenere velit, naufragium patiatur. Hoc qvoq; prudentis eſt gubernatoris, diſpicere, an diverſæ religionis cives hæreſin amplectantur tantùm, an etiam ſpargant. Illi ſi pacatè vivant, ſpe converſionis, & pacis publicæ gratiâ tolerandi videntur. Hi ſi in fraternâ admonitione non acqviêverint, ex Rep. exterminandi ſunt. Sed qvo tandem me loco ſiſto? Fertiliſſimum hîc dicendi campum ingreſſus ſum; ſpicilegiis iſtis collectis abeo. Cætera

——ſpaciis excluſus iniqvis
Prætereo, atq; aliis poſt me memoranda relinqvo.

Romani

CAP. XII.

De compeſcendis fœnerationibus.

Tollendum ex civitate eſt illud urbibus vetus, fœnebre malum. Tac. 5. ann. p. 105. qvod fidem probitatemq;, cæterasq; artes bonas ſubvertit: & pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deum negligere, omnia venalia habere edocet. Sal. in Catil. p. 10. qvod omnium ſacietate parat famem, ut qvo plura haberent, acriùs, qvæ non haberent, cupe-

rent homines. Scythæ ad Alex. ap. Curt. lib. 7. p. 167. Bellua eſt, fera, immanis, intoleranda. Saluſt. ad Cæſ. & ſeditionum discordiarumq; creberrima cauſa. Tac. 6. annal. qvinimò furto qvovis deterius hoc crimen. Ambroſ. in lib. de Tobiâ cap. 15. & homicidio gravius: fœnus enim animæ funus eſt: ut loqvitur Alphonſus Rex apud Panor. lib. 3. de dict. & fact. Alph. cap. 34. Utq; naturæ adverſatur is qvi hominem è medio tollit violenter, ita eand. vehementer lædit, qvi hominem expilat, deplumat, & ad miſeriam paupertatemq; adigit: qvo ſenſu Ariſtoteles fœnerationem contra naturam eſſe dixit. 1. pol. 7. Hi dando ſpoliant, erogando colligunt: Nunqvam ſerunt, & metere nunqvam deſinunt: cocta cruda devorant, nunqvam ſaturi: qvibus ſive ſterile ſive fertile ſit ſolum, menſtruos fert cenſus luna, ſol annuos. Hos è ſuâ Rep. ejiciebat Lycurgus. Plut. in Lyc. manûs amputatione plectebat Gallia. Cujac. 7. obſ. 13. Horum tabulas comburebat Agis Athenienſ. dux. Alex. ab Alex. 1. gen. dier. 7. Hi ignoti apud Germanos veteres, de qvib. Tac. de mor. Germ. c. 8. Fœnus agitare & in uſuras extendere, ignotum, ideoq; magis ſervatur qvàm ſi vetitum eſſet. O utinam & de noſtris hodie civibus probè hoc dici poſſet! ſed pervaſit furiale hoc malum omnium animos: Levabit aut tollet hoc ſevera & conſtans diſciplina, atq; in unum alterúmve gravis inſixa animadverſio, qvæ cæteros deterreat.

Cap. XIII.

De Lupanaribus.

Lupanaria deſpicabilem, ſordidam, & ad omnem vitiorum clivum præcipitanter inſilientem faciunt civitatem: nam 1. occaſione illorum mens hominis è ſuâ ſe-

de

de dimovetur : qvod fatetur ille apud Plautum in Truc.

—— nam mihi hæc meretrix,
Qvæ hic habet Phronesium suum nomen, omnem,
Ex pectore evomit meo phrenesim.

2. Censum facultatesq; exhauriunt : qvod itidem apud eund. Plaut. d. loco conqveritur qvedam:

——Meretrix meum herum
Miserum suâ blanditiâ intulit in
Pauperiem, privavit bonis, luce, honore atq; amicis.

Et Apulejus lib. 10. de As. aur. Meretricum illa in Lupanari jactata basiola vocat poscinummia: Qvid verò aliud in istâ palæstrâ, ubi damnis desudascitur, expectandum?

Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære,
Et miseras jusso corpore qværit opes.

Ovid. 1. amor. 10. Nec fundum habet hoc hominum genus : qvicqvid in eas contuleris: nunqvam enim satiabile plura concupiscendi lenitur desiderium. Meretricem ego esse reor mare, ut est, qvod des devorat, nec unqvam abundat. Plaut. in Truc.

3. Turpitudo in his omnium est turpissima corruptela juventutis: morum civitatis depravatio: corporis tormentum: animæ perditio : Qvid enim aliud ista servulorum sordidulorum scorta diobolaria (Plaut. in Stich.) in Remp. invehunt, qvàm morbos, publicè & hæreditariò grassantes? qvid aliud scorta ista scortea, & instar pelliculæ ac corii rugosa (Apulejus 1. Miles.) faciunt, qvàm ut ex sano insanum, ex robusto invalidum, ex solido erectoq; corpore, lecto affixum, perpetuisq; doloribus arctatum efficiant? Interim tamen in splendidissi-

didiſſimis qvibusdam Rebusp. non vilis lupanarium au-ctoritas: & major plerunq; ex illis, qvàm ex conceſſis re-bus qvæſtus & exactio. Nam cùm meretrix fortuna-ti ſit oppidi ſimilima, & non poſſit ſuam rem obtinere ſine multis viris: Plaut. in Ciſtell. præſum-tio eſt, eam haud ſegniter ſuam exercere negotiationem: atq; ideò tributum ab eâ exigitur annuum, qvemadmo-dum ab iis qvi qvæſitum faciunt de rebus in commercio poſitis.

Hac ex officinâ congeſti lucri gratus eſt odor Pontifi-ci: cujus permiſſu aliqvot millia meretricum qvæſtum corpore faciunt. Lupa Romuli & Reni fratrum nutrix e-rat: hodie Lupanar Romano præſuli, non tantùm nutrix, ſed & delicatiſſima eſt filia: qvinimò lupæ memori-am colit reverentiùs, qvàm Petri Apoſtoli. Henr. Steph. in Apol. pro Herod. pag. 64. Exoſculetur illam qvamdiu velit: & meretricem ex hoc grege educere ad conjugium, meritorium exiſtimet opus. c. 20. ext. de Sponſal. Nobis, qvibus publica honeſtas propugnanda eſt, conſvetudo iſta abominabilis, abſurda, & deteſtanda videtur. Nec patrocinatur illi qvòd olim etiam permiſſu magiſtratuum iſta pellicum conciliabula habere licuerit: qvemadmodum ſcribit Tac. 2. an. p. 89. olim apud æ-diles profeſſas eſſe licentiam ſtupri mulieres. & Curt. lib. 5. p. 82. qvòd apud Babylonios comitas ha-bita ſit, vulgati corporis vilitas: nam qvod iniqvum eſt, robur ex vetuſtate capere neqvit. Averſamur hanc charybdin & voraginem: & peſſimæ reip. τεκμήριον eſſe lupanaria perſvaſum nobis habemus.

Cap. XIV.

De otioſis è Rep. pellendis.

Vita

VIta humana ut ferrum est, qvod si exerceas usu conteritur, & cum splendore qvidem, sin minus, rubigine exeditur: Sic homines honestè se exercendo conteruntur, si non exercentur, inertia atq; torpedo plus illis detrimēti adfert, qvàm industria. Gell. lib. 10. c. 1. Necesse ergo est, omnes in rep. habere negotia sua, qvibus à malo publico detineantur. Salust. ad Cæs. & ne nihil agendo malè agere discant. Mentem enervant, & ad stuporem redigunt otia. Lucan. 1. de bell. civ. variam semper dant otia mentem. Corpus attenuant & exsugunt, Ovid. 1. de ponto:

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur aqvæ!

Aves qvæ conviviis comparantur, ut immotæ facilè pingvescant, in obscuro continentur: ita sine ullâ exercitatione jacentibus tumor exiguum corpus invadit, & super membra iners sagina succrescit. Ita istorum corpora, qvi se tenebris dicaverunt, fœda visuntur. Sen. ep. 122. Accedit, qvòd blandiente inertiâ otiosi occæcantur, ruuntq; in fœdum libidinis propudium: Vivunt non qvomodo volunt, sed qvomodo cœperunt. Sen. de tranqvil. cap. 2. & cùm satis superq; ipso otio se corruperunt, in imum calamitatis barathrum dejiciuntur. Ægysthus non polluit se adulterio, nisi per otium: David, Wenceslaus Imp. eodem jure censendi.

Levia hæc sunt, qvæ de animi corporisq; enervatione dixi: gravius est, qvod confusio per otiosos in civitatem inducitur: nam iniqvum est paribus frui privilegiis in Civitatibus otiosos, cum iis qvi probè suo officio defunguntur; Otiosi, velut fuci in alveariis deprædandis, oc-

cupati

cupati ſunt, in eradicandis commoditatibus civium. Qvin imò ex otio ſeditiones non raró ortæ! qvod ſubolevit fortiſſimus ille Curbulo ap. Tac. 2. an. & ne otio deſides militum animi luxuriarentur, prohibuit. Qvæ omnia noſtram confirmant ſententiam, nullum otioſis in rep. locum dandum eſſe: veſtigiis etiam optimorum legislatorum & principum inſiſtendum eſt, qvi otioſos prorſus exterminarunt. Apud Spartanos ſummum erat dedecus, hominem ignavum in idem admittere conſortium, vel in luctâ cum eo ſeſe exercere. Xenoph. de rep. Lac. Apud Maſſilienſes ejiciebantur ſacrificuli, ne religionis prætextu otium & luxum ſectarentur. Val. Max. lib. 2. c. 1. Romanis nihil fuit antiqvius, qvàm uti caverent, ne adoleſcentes & ſenes viverent otioſi; & tamdiu civitatis duravit gloria, qvamdiu adoleſcentibus Romæ vagari otioſis non licuit. Cic. de legib. & ex eo Gvevara lib. 1. Hor. princ. c. 2. Gymnoſophiſtæ vehementiſſimè torporem animi & otium oderunt. Igitur ibi mensâ poſitâ, prius, qvàm edulia apponantur, omnes adoleſcentes ex diverſis locis & officiis ad dapem conveniunt, magiſtri perrogant, qvid factum à lucis ortu ad illud diei bonum fecerit: qvi nihil habet adferre cur prandeat, impranſus ad opus foràs extruditur. Apulejus 1. Floridor. Severiùs apud Athenienſes Draco ſtylum in otioſos ſtrinxit: τοὺς τῆς ἀργίας ἁλόντας ἀποκτεῖναι Et poſt eum Solon: ἀργίας τῷ παντὶ κατηγορεῖν ἐθέλοντι ὑπόδικος. Aret. part. 2. probl. 138.

Tollenda ergo iſta civitatis catharmata: ſecundùm Amaſis R. Ægypti ſanctionem: qvi legem tulit, ut ſinguli qvotannis apud Nomarchen, id eſt cujusq; præfecturæ præſidem profiterentur, unde viverent: Qvi autem hoc

non

non faceret, aut genus vitæ præsidi approbare non posset, huic pœna extremum supplicium esset. Herod. in Evterp.

CAP. XV.
De Mendicantium importunitate cohibendâ.

MEndicantes isti validi, qvi laborem velut exqvisitum supplicium fugiunt, civitati sunt dedecori, nam isti cives honestos, qvi suum labore pepererũt patrimonium, exsugunt & exhauriunt, ideoq; eleminandi è rep. Exploretur in singulis integritas corporum & robur annorum. l.un. C. de mendicantib. valid. 11. C. 25. Et Caroli M. constitutio est apud P. Camer. 2. med. hist. 74. Mendici per regiones vagari non permittuntor: suos pauperes qvæq; civitas alito: illis, nisi manibus operentur, nullus qvicqvam dato: Mangones, vagabundi & cotiones qvi imposturis homines ludunt, coërcentor: facinorosus oculũ prô primâ culpâ perdito: culpam iterans naso truncator: tertio deprehensus capitalem pœnam luito: nemo militiæ socium suum aut qvemlibet alium ad potandum invitato: qvòd si qvis ebrius repertus fuerit, ejectus, qvoad culpam cognoscat, aqvam bibito.

Nec in Israëlitico populo ullus mendicantibus fuit locus. Devt. 15. ℣. 4. qvod adhuc hodie in suis cœtibus observant Judæi. Lex qvidem Judæis erat lata, ne mendicos in suâ Rep. tolerarent; sed Christi tempore mendicantium magna fuit copia. Luc. 16. ℣. 20. & 18. ℣. 35. Johan. 9. ℣. 8. Act. 3. ℣. 2. Unde colligimus depravatum illius reip. statum & degenerantem à pristinis legibus isto tempore fuisse.

Qvòd

Qvòd si qvis patrocinari velit Mendicis, qvòd pauperes cum divitibus Deus simul esse voluerit; qvòd homines meminisse debeant, se ad liberalitatem præstandam cogi omni jure: Is responsi loco capiet, nos non excludere è Civitate eos, qvi misericordiam omnium commerentur: Eos tamen à foribus honestorum civium arcere, & ad Xenodochia relegare consultius est. Qvi verò validis sunt lacertis, eos omnimodò repudiamus. De illis dici potest illud Comici:

De Mendico malè meretur, qvi ei dat qvod edat aut bibat:
Nam & illud qvod dat perdit, & illi producit vitam ad miseriam.

Qvanqvam excusatio Aristotelis qvodammodò spectanda sit: Is objurgatus à qvodam, qvòd dedisset eleemosynas improbo: Non mores, inqvit, sed hominis miseriam respexi. Laërt. lib. 5. c. 1. ut non tam homini, qvàm humanæ sorti dedisse videatur. Laer. ibid.

Cap. XVI.
De Cingaris.

VAgatur passim in Germaniâ hæc hominum colluvies, qvos Cingaros: dicunt Itali: Galli Ægyptios Hispani Gittanos: nos Zigeuner. Hos primùm in Germaniam venisse refert Albertus Crantzius lib. 11. Saxon. c. 2. anno Christi 1417. Aventinus verò 7. annal. Bojor. in fin. refert ad annum 1439. Hi mentiuntur se Ægyptios: Sentina est hominum variis ex nationibus collectorum: qvi furtis, rapinis, mendicationibus, chiromanticâ divinatione vitam suam tolerant: omnium ferè periti lingvarum, de loco ad locum se conferunt: mares pedibus iter conficientes,

cientes, fœminæ cum stratis & pueris jumentis insidentes: tentoria figunt in silvis, viis & itineribus publicis: corpus de industriâ nigrum & deforme efficiunt: caninoque ritu degunt. Hoc hominum genus publico exitio repertum, publicâ Imperii lege removetur: **Zigeuner** qvos compertum est proditores esse, & exploratores hostium, nusqvàm in Imperio locum inveniunto: in deprehensos vis & injuria sine fraude esto: fides publica **den Zigeunern** ne dator: neu data servator. P. Dennaisius in 1. Cam. v. P. Camer. 1. med. hist. 17. & 2. med. 75.

CAP. XVII.

De Conviviorum & vestium luxu in Civitate frenando.

CUm conviviorum luxuriam & vestium, ægræ Civitatis indicia esse scribat Seneca epist. 115. Videndum est, qvantoperè illa in Rep. obesse soleant: Nos proh dolor hodie superare nitimur luxu conviviorum Heliogabalum: Apicium cœnis: Lautè cibum capimus, qvod de Germ. priscis refert Tac. de mor. Ger. c. 7. Ubi nunc victûs simplicitas, sumtuúmve restrictio? Qvotus qvisq; est cui parabilis facilisq; placeat cibus, nihil habens accersiti precii? Senec. de tranq. cap. 1. O miseros nos & deplorandos? qvi jam pridem virtutis speciosa vocabula trahimus ad vitia: Liberalem dicimus, qvi conviviis exhibendis nimius esse solet: magnificum, qvi ultra sortem suam sese ostentat: civilem, qvi strenuus est salutipotator. Priores isti animum inducere debebant, mutationes in rep. fieri graves, cùm homines sua consumunt, prodigè viventes: nam tum publicæ rei optimè erit consultum, si qvisq; civium intra suæ con-

ditionis septa se continuerit. Considerarent utiq; si saperent, qvæ sit in naturâ excellentia & dignitas: neminemqve liberum esse, qvi corpori servit. Sen. ep. 92. intelligerentq; , qvàm sit turpe diffluere luxuriâ, & delicatè ac molliter vivere: qvot inde morbi pullulent. Sen. ep. 95. qvamq; honestum parcè, continenter, securè, sobrieq;. Qvin etiam supervacanea omnia præcidenda esse intelligerent, si qvid in iis mentis. Infelicis luxuriæ ista tormenta sunt: Qværit qvemadmodum post saturitatem qvoq; esuriat; qvemadmodum non impleat ventrem sed farciat, qvemadmodum sitim primâ potione sedatam revocet. Seneca, ep. 119. Deniq; prudentioribus semper displicuisse istam luxuriem facilè perspicerent, nisi præterita, instantia & futura pari oblivione dimitterent. Fabricius & Æmilius Censores, ipsum Cornelium Ruffum, qvi bis Consul & Dictator fuerat, senatu moverunt, qvòd argenti facti cœnæ gratiâ decem pondo haberet. Gellius lib. 16. c. 1. Val. Max. lib. 2. c. 4. Cic. pro Cluent. Et prætereà — Festo die si qvid prodegeris

Profesto egere liceat, nisi peperceris:

ut loqvitur Euclio apud Plautum in Aulul. act. 2.

Qvid verò de Salutipotatoribus sentiendum? Audi Ambrosium in lib. de Eliâ & Jejunio cap. 17. Qvid obtestationes (inqvit) potantium loqvar? qvid memorem sacramenta, qvæ violare nefas arbitrantur? Bibunt, inqviunt, pro salute Impp. & qvi non biberit, sit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qvi pro ejus salute non biberit. O piæ devotionis obseqvium! Bibamus pro salute exercituum, pro Comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire judicant: sicut illi qui calices ad sepulcra Mar-

tyrum deferunt, atq; illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non credunt. O stulticiam hominum, qvi ebrietatem sacrificium putant, qvi æstimant illos ebrietate placari, qvi jejunio passiones sustinere didicerunt! Sed his valere jussis, salubri Senecæ monito mos gerendus est. c. 1. de tranq. an. Placeat, inqvit, mensa, non varietate macularum conspicua, nec per multas elegantium dominorum successiones civitati nota, sed in usum posita, qvæ nullius convivæ oculos, nec voluptate moretur, nec accendat invidiâ. Qvid enim est (ut alio loco Seneca epist. 95.) cœnâ sumtuosâ flagitiosius, & eqvestrem censum consumente? Qvid tam dignũ Censoriâ notâ, si qvis, ut isti Ganeones loqvuntur, sibi hæc & genio suo præstet?

Maximè verò improbandus est hominum in vestitu excessus, qvo profunduntur dona Dei, & vexillum superbiæ, otii & levitatis ducitur. Eâ in re Lacedæmonii curiosi: qvanqvam arrogantiæ eos arguat Aristoteles Phil. Cam. cent. 2. med. hist. c. 39. Nam curam gerebant Ephori, ut qvotidiè multùm diligenterq; considerarent, qvæ ad vestitum pertinerent, num aliqvid circa vestes à decenti & debito ornatu deficeret. Ælian. lib. 10. c. 7. Iidem solis meretricibus floridas vestes aurumq; mundum gestare permiserunt: probis mulieribus ornatûs studium interdicentes, eò qvòd solis meretricibus concederent ornatum. Clem. Alexand. lib. 2. pædag. c. 10.

Cæterùm de vestitu seqventia monita capienda sunt.

1. Non sit peregrinus, & aliunde adscitus. Nam Afræ illæ aves, qvæ cujusq; nationis subinde imitantur vestitum, inconstantiam & levitatem suam produnt.

2. Habitus genti cuiqve peculiaris constanter retinendus est. Imitandus eâ in re Viria-

thus: cujus ea virtus continentiaq; fuit, ut cùm Coss. exercitus freqventer vinceret, tantis rebus gestis, non armorum, non vestis cultum, non deniq; victum mutaverit. Justin. lib. 44. p. 252. Reprehendendi Galli, qvi vestitum indies atq; adeo in horas mutant: & quas manè gestare cœperunt vestes, vesperi pro obsoletis habent, id demum circa cultum corporis magnificum & splendidum ducentes, qvod diu magnificum splendidumq; esse non potest, ne videlicet novæ semper sumtuum occasiones desint Henr. Steph. in Apol. pro Herod. p. 44.

3. Certi & distincti sint cultus eorum, qui locis, ordinibus & dignatione antistant, Tac. 2. an. Naturâ homo mundum & elegans animal est. Sen. ep. 92. Nec placet consvetudo Laconum, apud qvos ex instituto Lycurgi nemo altero cultior incessit. Justinus. Nec enim preciosâ veste, sed corporis egregiâ constitutione sese ornarunt. Xenoph. de rep. Lac. Certas vestium distinctiones, ac velut ordines pro fortunâ & honorum gradu cujusq; fieri necesse est: Idq; novum non est. Nam & Julium Cæsarem conchyliatæ vestis ac margaritarum usum, nisi certis personis, ætatibusq;, idq; per certos dies ademisse, auctor est Svetonius: & Carolum V. Cæs. idem fecisse memorat Jac. Curtius tom. 2. conject. lib. 2. cap. 11.

4. Fœminarum habitus decorus sit, non decurtatus. Reprehensionem hoc loco evitare non possunt Lacedemoniæ mulieres, qvæ vestes supra genua decurtatas gesserunt. Unde φαινομηρίδες dictæ sunt, tanqvam qvæ fœmora nuda ostenderent, Clem. Alex. lib. 2. pædag. c. 10.

c. 10. Nullam enim partem nudam fœminas ostendere decet. Idipsum reprehendit Eurip. in Andromach.

——— neq; si velit qvæpiam
Casta esse qveat, Spartana puella,
Qvæ cum juvenibus: relinqventes domos,
Nudis fœmoribus & tunicis dissolutis,
Cursus palæstrasq; non tolerabiles mihi
Communes habent, & tamen admirabile videtur,
Si non castas mulieres educatis.

Eandem ob rationem graviter culpandæ mulieres Babylonicæ, qvæ licet in conviviis in principio se modestè gerãt, tamen deinde summa qvæq; amicula exuunt, & ima corporum velamenta projiciunt. Curt. lib. 5. De luxu fœminarum in gemmis vid. Lips. in not. ad 3. an. Tac. num. 102.

At verò qvâ in re fœminarum ornatus est positus? Docet hoc Tertullian. in lib. de cultu fœm. Prodite, inqvit, vos jam medicamentis & ornamentis extructæ Apostolorum: sumentes de simplicitate candorem, de pudicitiâ ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & Spiritûs taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi: caput maritis subjicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus qvàm in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.

&c.

Cap. XVIII.

De curâ miſerabilium perſonarum, Xenodochiis & Noſocomiis.

Miſerabilium perſonarum curam in Rep. eſſe expedit: Sunt enim & ipſæ membra Civitatis. Prudenti autem conſilio in benè conſtitutis rebusp. earum receptacula & collegia fundata ſunt: Ptochotrophia, in qvibus aluntur mendici & pauperes. l. illud 16. l. ſancimus 18. C. de SS. Eccl. Orphanotrophia alumnos habent minores, parentibus atq; ſubſtantiis deſtitutos. l. Orphanotrophos. C. de Epiſ. & Cler. l. omnia privilegia C. de SS. Eccl. Brephotrophia continent infantes, præſertim expoſititios. l. illud. l. ſancimus. C. de SS. Eccl. In Noſocomiis, valetudinariorum: In Xenodochiis, advenarum, ægrotorum, inopum, debilium, qviq; ſibi ipſis per laborem de alimentis proſpicere non poſſunt, cura geritur In Gerontocomiis, tenues homines, qvi affectâ ætate victum ſibi ſuis operis parare amplius non poſſunt, aluntur. l. illud 16. l. ſancimus 18. C. de SS. Eccl.

Illi verò, qvi ad curanda debilium ægra corpora deputantur, Parabolani dici ſolent. l. 18. C. de Epiſc. qvod fortè inde confictum, qvòd ſeſe audacter periculis omnibus objicerent, neq; ullius qvamvis peſtiferi morbi contagionem timerent. Nam παράβολα dicuntur à Græcis, qvæ ſummis periculis objecta ſunt.

Collegia iſta iisdem fruuntur privilegiis qvib. Eccleſia. Nov. 131. §. penult. l. omnia 333. in fin. C. de Epiſ. & Cler.

Donatio illis facta non eget inſinuatione l. illud qvod 16. C.

6. C. de SS. Eccleſ. Et qvæcunq; res. ab his collegiis ex cauſâ lucrativâ fuerint acqviſitæ, à lucrativorum inſcriptionibus ſunt immunes. l. ſancimus 18. C. de SS. Eccleſ.

Cap. XIX.

De Jurisdictione in genere, qvomodo ea exercenda.

HAbitâ curâ diſciplinæ publicæ, jurisdictionis ſeqvitur exercitium. Eſtq; jurisdictio poteſtas politica ſtatuendi aliqvid de negotio civili vel criminali. Vult. 1. J R. 12. num. 1. Magiſtratus autem per ſe ita ſtatuere debet, ut ſolus arbiter rerum ſit, jure & nomine regio. Tac. 2. annal. Nec permittet Princeps, ut uni ſuorum conſiliariorum liberum ſit moderari habenas imperii pro arbitrio: qvod Xerxes Artabano, Alexander Magnus Hephæſtioni, Auguſtus Agrippæ, Tiberius Sejano, Severus Plautiano, Conſtantinus Cæſ. Evſebio, Arcadius Evtropio, Commodus Clearcho, conceſſerunt. Nam periculum eſt, privati hominis nomen ſupra Principis attolli. Tac. in Agric. Principes nil niſi nudum retinent nomen: Iſti tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.

In exercendâ autem Jurisdictione ſpecto Conſtantiam, Severitatem & Lenitatem.

Conſtantia reqviritur, nempe ut uno & veteri tenore fluat gubernatio, neq; innovetur aliqvid: nam ii hominum tutiſſimè agunt, qvi præſentibus

moribus legibusq;, etiamsi deteriores sint, minimum variantes, rempubl. administrant. Thucyd lib. 6.

Peccarunt contra hoc principium multi, non enim qvo cœperunt modo in administratione regiminis progredi soliti sunt. Initia magistratuum nostrorum meliora fermè, & finis inclinat. Tac. 15. annal. Hs Dejaniræ convenit convitium: Cœpisti meliùs qvàm desinis: ultima primis cedunt.

Eorum ubiq; exempla satis obvia. De Tryphone Josephus 13. antiq. 2. De Caligulâ Philo in legat. ad Cajum. De Valentiniano Ammianus lib. 27. & Zosim. lib. 4. De Nicetâ Zonaras tom. 3. De Isacio Cheniates. De Manuele Nicetas lib. 4. Man. De Heliogabalo Lampridius. De Aristocrate Rhodiorum Duce Suidas. De Nerone & Galbâ Tacitus 1. hist. De Philippo postremo Rege Maced. Plutar. in Arato. De Domitiano Aurel. Vict. De Alexandro fratre Aristobuli Josephus lib. 1. de bel. Jud. cap. 3. De Othone Dion. De Saule R. Israël Josephus lib. 6.

Severitas, qvæ non in rigorem abeat, adhibenda est: ne princeps aciem auctoritatis suæ patiatur hebescere. Cic 1. Catil. Contemtibiles isti, qvi remissè nimis imperant: qvi, sicubi serpunt & grassantur in civitate vitia, raró aut ferè nunqvam animadvertunt.

Dixi Severitatem ita debere esse compositam, ne in rigorem degeneret: Nam ob nimiam sævitiam Dominus amittit jurisdictionem in subditos. Geil. 1. obs. 17. n. 2.

Qvod diximus de Severitate adhibendâ, locum non habet in novo & precario imperio: nam illius jugum rigidâ cervice subeuntibus barbaris, tempore opus est: dùm mitioribus ingeniis imbuuntur, &

effera-

ratos mollior consvetudo permulcet. Alex. M. apud Curt. lib. 5.

Deniq; pro re natâ Lenitas maximè assumenda. Nam Legum præsidem, Civitatisq; rectorem decet, qvamdiu potest, verbis, & his mollioribus, ingenia curare, ut facienda svadeat, cupiditatemq; honesti & æqvi conciliet animis, faciatq; vitiorum odium, precium virtutum: transeat deinde ad tristiorem orationem: qvâ moneat adhuc & exprobret: novissimè ad pœnas, & has adhuc leves & revocabiles decurrat. Ultima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi qvem perire etjam pereuntis intersit. Senec. lib. 1. de Irâ. c. 5. in fin. Consilio, non impetu opus esse ait Cobares apud Bessum, Curt. lib. 7. c. 4.

—— peragit tranqvilla potestas,
Qvod violenta neqvit. Claudian.

Docet hoc exemplum Q. Metelli apud Val. Max. lib. 5. cap. 1. Narsetis apud Agath. lib. 1. Philippi Macedonis R. apud Polyb. lib. 2. Juliani apud Ruffinum lib. 5. hist. Eccles. c. 32. Trasamundi apud Procopium lib. 1. Vand. Alexandri M. apud Curt. lib. 9. Alcibiadis apud Æmyl. Probum. Fabricii & Pyrrhi apud Frontin. li. 4. stratag. c. 4. De Lucullo ap. Dion. lib. 34. Et qvid plura cumulamus? Ipsa hoc docet natura, lenius exercendum imperium in hominem, qvo nullum aliud animal morosius. Senec. 1. de clem. c. 7. Qvi eqvos domant, prius blandiuntur iis ac mollissimè tractant, ut assvescant freno: sic populus lenitate subigendus. Plutarch. in Moral. Nihilq; est tam deforme, qvàm ad summum imperium acerbitatem naturæ adjungere.

Cic. ad Q. Fr. ep. 1. Enimverò benignitate atq; clementiâ hostem vincere, qvâm armis, præstat. Polyb. lib. 5.

Cap. XX.
De Jurisdictione Criminali.

PRæmiorum & pœnarum jure universam contineri Remp. Solonis est assertio: qvibus ceu alimentis qvibusdam virtus omnis provehitur. Nam & præmii spes ad optima qvæq; studia promtiores, & pœnæ metus ad pravas & improbas actiones efficit tardiores. Utq; illi suo discant defungi officio, summum jus Magistratus habet vitæ necisq; : aliasq; pœnas etiam non capitales, pro delictorum qvalitate, irrogandi. In utrisq; qvalem se gerere debeat, hoc capite delineabimus..

1. In plectendis facinorosis hominibus mos motusq; vetus tenendus est: nec nova excogitanda supplicia. Nam more patriò supplicia sumi oportet. Arist. 5. pol. 11. Et execrandi illi, qvi puniendi causam habent, modum non habent. Sen. 2. de Clem. inter qvos primicerius Caligula: qvi multos honesti ordinis deformatos priùs stigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more ut qvadrupedes caveâ coercuit, aut medios serrâ dissecuit. Svet. c. 27. Cui ob immanem truculentiam secundocerius subjicitur Joannes Basilides Moscoviæ princeps, cujus exqvisita supplicia & tyrannidem literis mandavit Paulus Oderbornius. Ejusmodi insolitorum suppliciorum nomine memoriæ suæ maculam non levem inussit Alexander: Is Callisthenem Philosophum, qvem suspectum habebat ob structas insidias, naso, auribus, lingvâ privavit, eumq; cum cane in caveâ clausum ad metum cæterorum circumtulit, Justin. lib. 15. p. 121.

Idem jussit Lysimachum objici leonibus. Justin.ib. Sunt alii, qvos fœdat in inusitatis suppliciis infligendis truculentia: Artaxerxes Rex Persicus, cùm de Mithridate supplicium sumeret: Cambyses de Sysamne: Otto III. Imp. de Crescentio; &c. Et Selymus Imp. Turcicus Mustapham Bassam, cujus ope ad imperium ascenderat, strangulatum priùs, deinceps canibus dilaniandũ objecit. Peucer. 5. Chron. p. 664. His accedunt alii: Aurelianus & Mauritius Impp. Phalaris: & Nero, cujus ferina rabies lippis tonsoribus nota est. Et nos illius specimen de Christianis miserè laniatis, ex Tacito 15. an. 6. subjicimus: *& pereuntibus, inqvit, addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atq; ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Omnium verò sævissimum supplicium sustinuit Andronicus apud Nicetam lib. 2. cap. 12.

2. In exigendis pœnis observetur æqvalitas, nempe proportione Geometricâ: *Vides & à medicis, qvanqvam in adversâ valetudine nihil servi à liberis differant, molliùs tamen liberos clemẽtiusq; tractari?* Plin. 8. epist. 6. Qvidni & nobiles præ cæteris tractandi mitiùs? Lips. 4. pol. 4. qvorum virtus reip. fructuosa esse potest. Et mulieres delinqventes mitiùs puniri debent: *cùm ob imbecillitatem sexûs non ita possint resistere affectibus, ut mares.* c. qvod proposuisti 32. q. 7. c. indignanter 22. q. 6. l. sacrilegii in pr. ff. ad l. Jul. Pecul. Geil. 1. de PP. n. 37. Prægnantium pœna differtur post partum l. 18. ff. de statu hom. qvod tamen Claudius neglexit: Is ne qvidem prægnantium mulierum supplicio abstinuit. Dio lib 57. Brisson. 2. antiq. 20.

3. Neminem princeps ex suspicione condemnet ad mortem. Nam istam præcipitantiam è vestigio seqvitur pedisseqva pœnitentia. Peccabat hac in re Cæsar

Gallus

Gallus, à qvo multi per ſuſpicionum nebulas æſtimati noxii damnabantur, qvorum pars necati, alii puniti bonorum multatione, ac laribus ſuis extorres, nullo ſibi relicto, præter qverelas & lacrymas, ſtipe collatitiâ victitabant, &c. A. Marcel. lib. 14. p. 3. Peccabat Theodoſius II. qvòd Paulinum virum opt. ex meris ſuſpicionibus morti deſtinabat.

4. Non ſit freqvens ſuppliciorum irrogatio. Sed tum demum fiat, ſi publica id ſvaſerit utilitas. Sen. 1. de clem. Principi non minùs turpia multa ſupplicia, qvàm Medico funera. Sen. ibi. Et prætereà videmus ea ſæpiùs committi, qvæ ſæpè vindicantur: nam ſeveritas amittit aſſiduitate auctoritatem. Temperatus timor eſt qvi cohibet: aſſiduus & acer in vindictam excitat. Igitur civitatis mores magis corrigit parcitas animadverſionum. Sen. 1. de clem. Vidit hoc Artaxerxes Longimanus Rex Perſicus, qvi tiáras, ad vicem capitum, qvibusdam noxiis amputabat, & ne ſecaret aures, more regio, pro delictis, ex galeris fila pendentia præcidebat. Am. Marcellin. lib. 30. Briſſon. lib. 2. de Reg. Perſ. p. 269. Et Julius Cæſar animadverſionis tempus ſollicitè obſervare ſolitus eſt. Cæſ. lib. 3. de bell. civil. Vitia erunt donec homines: ſed nec hæc continua, & interventu meliorum penſantur. Tac. 4. hiſt. Freqvens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat. Et qvemadmodum præciſæ arbores plurimis ramis repullulant, & multa ſatorum genera, ut denſiora ſurgant, reciduntur: Ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Vide Senec. 1. de clem. c. 7. in fin. & ſeq.

5. Non præcipitanda sententia condemnatoria. Propè est, ut libenter damnet, qvi citò. Senec.1. de clem. Id prudenter svasit Augusto Athenodorus his verbis: Cæsar, cùm fueris iratus, ne qvid dixeris fecerisve, priusqvàm græcarum literarum 24. nomina apud te recensueris. P. Cam.1.Med.hist.49. Ea demum velocitas placet, qvæ ubi jussa est vestigium sistit: nec ultra destinata procurrit, & qvæ flecti, & à cursu ad gradum reduci potest. Sen.2.de irâ.c.35.Semper ira procul absit, cum qvâ nihil rectè, nihil consideratè fieri potest. Cic.1. off. Nunqvam enim iratus, qvi accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit,qvæ est inter nimium & parum: Cavendum est igitur, ne major sit pœna qvàm culpa. Cic.ib.

6. Diebus festis non exigenda supplicia. Philo Jud.contra Flaccum.Hoc probè observatum à Romanis.Sen. pat. lib. 5. controv. 4. Accusatus est à fratre parricidii & damnatus: diebus festis intercedentibus pœna ex lege dilata est. Plut. in Mario.

7. Magistratus non sit suppliciorum spectator: néve ullam lætitiæ significationem edat: nam ferina ista rabies est,sangvine ac vulneribus gaudere. Senec.1. de clem.

Qui fruitur pœnâ,ferus est,legumqve videtur
Vindictam præstare sibi.Claud.in Cons.Hon.

Sanè Princeps, ubi pœnarum aut coërcitionis res est, aliis id delegare,ubi præmiorum aut munerum, ipse obire debet. Xenoph. in Hieron. De supplicio Metii ait Livius lib.1. p.30. avertisse omnes à tantâ fœditate spectaculi oculos: Et Nero subtraxit oculos,jussitq; scelera,non spectavit. Tac, in Agric. Vitupe-

randus

mandus ergo Antonius, qvi proscriptorum civium interemtorum capita inspexit etiam inter cœnandum, ac se ditissimè nefario isto ac miserrimo spectaculo exsatiavit. Dion lib. 47. p. 333. Hunc imitatus est Caligula, qvi animadversionibus pœnisq; ad supplicium datorum cupidissimè intererat. Svet. c. 11. pr.

Pœnæ autem sunt capitales, vel non capitales. Capitales, vel cùm vita naturalis adimitur, qvod variis fit suppliciorum generibus, cruce, furcâ, crematione, strangulatione, decollatione, submersione, dissectione membrorum, & fractione per rotam. Vel vita civilis aufertur, privatione libertatis & civitatis, vel alterutrius tantùm: qvod contingit damnatione in metallum, ad bestias, carceres perpetuos, in exilium & perpetuum opus publicum. Non capitales sunt: Membri alicujus amputatio: Relegatio: Conjectio in carceres: fustigatio: stigmatis inustio: & mulctatio. De singulis nonnulla sujiciemus.

Cruciatum & interitum nocentium in ligno præmittimus, flosculis qvibusdam decerptis ex elegantissimis tribus Lipsii de cruce libris. Lignum istud Crux dicitur: nonnunqvam Gabalus: sæpiùs infelix arbor, stipes: ap. Liv. lib. 1. Cic. pro Rabir. Senec. ep. 101. Minuc. Felic. in Octav. Græcis σταυρὸς & σκόλοψ. Lips. lib. 1. c. 4. Species illius variæ: namq; aut ad arborem alligabantur homines: Ita enim Tertullianus de Tiberio in Apol. cap. 8. Saturni Sacerdotes, inqvit, in eisdem arboribus templi sui, obumbraticibus scelerum, votivis crucibus exposuit: aut erecto acutoq; stipiti nocentes infigebantur. Senec. consf. ad Mart. c. 20. Video istic, inqvit, cruces nec unius generis, sed aliter ab aliis fabricatas: alii capite converso in terram suspendére; alii per obscœna stipitem egerunt; aut deniq; compactatæ

pactatæ

pactatæ è duplici ligno cruci reos affigebant. Hujus compactatæ crucis species tres adducit Lipſ. lib. 1. cap. 7. decuſſatam: commiſſam: immiſſam. Decuſſatam deſcribit Hieronymus in Hierem c. 31. Decuſſare eſt per medium ſecare, veluti ſi duæ regulæ concurrant ad ſpeciem literæ X. qvæ figura eſt crucis. Et Iſidorus lib. 1. orig. c. 3. X. litera & in figurâ crucem, & in numero decem demonſtrat. Commiſſam crucem Lipſius lib. 1. c. 8. æqviparat literæ T. Tertul. 3. adverſus Marcion: Ipſa litera Græcorum Tav, noſtra autem T. ſpecies crucis. Immiſſa crux eſt cùm ligno erecto transverſum alterum injungitur atq; immittitur, ſed ſic ut ipſum ſecet: atq; in hac Chriſtus mortuus, qvi morte ſuâ nobis vitam peperit. Uſus crucifixionis olim apud varios populos: Sanè in ſacris literis freqvens ejus mentio. Joſuæ c. 8. Num. 25. Eſth. 7. Ita in crucem actus Polycrates. Herod. in Thaliâ. Inarus. Thucyd. lib. 1. Carthagine etiam Duces bella pravo conſilio gerentes, etſi proſpera fortuna ſubſecuta eſſet, cruci ſuffigebantur. Val. Max. lib. 2. c. 7. Apud Germanos olim proditores & transfugæ arboribus ſuſpenſi. Tac. de mor. Germ. Apud Romanos ſervile erat ſupplicium. Plaut in milite:

> Noli minitari, ſcio crucem futuram mihi ſepulcrum, (abavus.
> Ibi majores mei ſiti ſunt, pater, avus, proavus,

Indignum enim homine libero qvamvis nocente ſupplicium eſt viſum. Lactant. lib. 3. Inſt. cap. 26. Interdum tamen crux liberè & laxè vagata in hoſtes: nam Alexander M. duo millia Tyriorum crucifixit. Joſeph. lib. 13. antiq. cap. 22. Titus in obſidi-

obsidione Hierosolymitanâ qvingenos & plures in singulos dies crucibus affixit. Id. lib. 5 excid. c. 28. Itemq; in seditiosos: Augustus sex millia servorum in crucem egit. Orosius lib. 6. c. 18. Crucifixonem præcessit flagellatio: Alexander M. eos qvi Petram obstinatè defenderant, omnes verberibus affectos, sub ipsis radicibus Petræ crucibus jussit affigi, Curtius lib. 8. De Judæis ante crucifixionem flagellatis vid. Joseph. lib. 5. excid. c. 32. Qvi destinatus jam erat cruci candidatus, ut loqvitur Apulejus lib. 1 Met. corpore suam efferebat crucem. Plut. de tardâ num. vend. deductus cum vexatione, & stimulis actus. Lips. lib 2. c. 6. Nudabatur reus. Id. c. 7. & clavis figebatur. Sen. de vitâ beatâ c. 19. Plaut. in Mostell. qvæ propria atrocitas crucis. Tertul. advers. Jud. c. 10. Addebatur inscriptio sive titulus, qvod comprobat historia Salvatoris nostri. Joan. 19. ℣. 19. Et illud Svetonii in Caligulâ c. 38. Præcedente titulo qvi causam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumducitur. Quidam ex illis qvi crucibus affixi, etiam à volucribus laniati sunt. Horat. 1. epist. 16. & canes vulturesq; intima viscera protraxerunt. Apul. lib. 6. Met. Crurifragium in Judæâ tantùm usitatum. Lactant. lib. 4. c. 26. In cruce mortuos non deposuerunt, sed tabo illic passi sunt diffluere, & à sole ac pluviâ corrumpi. Val. Max. lib. 6 c. 9. Miles cruces asservabat, ne qvis corpora ad sepulturam detraheret. Petron. in Satyr. Die natali Imperatoris permittebatur sepultura. Philo contra Flacc. Qvidam etiam fumo in cruce necati. Cic. lib. 1. ep. ad Q. Fr. ep. 2. aut flammâ: Lamprid. in Alex. qvo supplicio Polycarpus enecatus. Evseb. lib 4. c. 15. qvidam bestiis objecti. Sveton. in Nerone. c. 49. Xiphil in Ner. Vopis. in Aurel. Evseb. lib. 5. cap. 1. Dirum hoc crucis supplicium sustulit

Constan-

Constantinus, Cassiodor. hist. trip. 1. c. 9. Aur. Vict. in Const. edicto omnium postremo. Sozom. lib. 1. c. 8 Cujac. 16. obs. 1. Atq; ideò Tribonianus pro cruce furcam in libris juris posuit. Contius 1. sub. lect. c. 13. &c.

Furca à Cruce differt, non tantùm nomine, ut Cujacio 1. obs. 16. visum, qvòd criminosi furcâ suspendi, cruci affigi dicuntur: sed & formâ. Nam & suspendendi verbum ad crucem refertur. Sen. ep. 7. Latrocinium fecit aliqvis, qvid ergo meruit? ut suspendatur. Qvod suspendium de cruce intelligendum monet Petronius in Satyr. Imperator provinciæ jussit latrones crucibus affigi. Et Apulejus lib. 13. Met. Latronem istum miserorum pignorum meorum peremtorem cruci affigatis. Forma furcæ in eo: qvòd singula extrema bacilla furcillata figuram habuerunt literæ V. Varro 4. de ling. lat. Lips. lib. 3. de cruce. c. 5. Furcam idem esse, qvod patibulum ex Macrobio 1. Satur. 10. probat Lips. 2. de cruce 3. De modo suspendendi Id. lib. 3. c. 6. Hodie strangulatio vicem hujus rei supplet: qvæ pœna dicitur præpostera ob inclusum spiritum, cui qværitur exitus. Plin. lib. 2. c. 35.

Crematio sive vivorum exustio sancitur in l. 8. §. 2. ff. de pœn. Huic subjiciuntur plerunq; servi, qvi saluti dominorum suorum insidiati sunt. l. 28. §. 11. ff. de pœn. Haruspices l. 3. C. de malef. & mathem. Incendiarii d. l. 28. §. 12. ff. de pœn. Transfugæ, & qvi hostibus detegunt consilia principis. l. aut damnum §. hostes. l. si qvis aliqvid §. 1. ff. de pœnis.

Decollatio vel gladio, vel securi fieri solet. l. 8. §. 1. de pœn. l. 28. pr. eod. Qvæ gladio fit, honestior censetur. Xenoph. in pæd. Cyri lib. 2. in fin. Lips. in not. ad Tac. n. 133.

Lapidatio lege Dei adulteris imposita. Deut. 22. Joan. 8. & blasphemis. Levit. 24. 3. Reg. 21. Act. 7.

De pœna famis vid. P. Greg. lib. 31. Syntag. c. 23.

Submerſio in aqvam moribus noſtris irrogatur lamiis & veneficis convictis: Illa verò Sagarum per aqvam frigidam probatio futilis eſt & invalida: cùm nulla ſubmerſionis vel innatationis ratio dari poſſit.

Disſectio membrorum fit vel inſtrumentis ferreis vel eqvis adhibitis: cùm corpus discerpitur in 4. partes: cujus ſupplicii freqvens in Galliâ uſus eſt, in eos, qvi crimen læſæ majeſtatis commiſerunt. Huc refertur ſectio hominum per ſerram, qvo mortis genere Eſaiam Prophetam occubuiſſe tradunt: Athanaſ. in qvæſt. q. 106. Eoq; ſupplicio Caligulam delectatum refert Sveton. c. 27.

Excoriationis ſupplicio ſe pavit Antiochus 2. Mac. 7. & Cambyſes. Herod. lib. 5. Eoq; affecti plurimi Chriſtianorum ſub Perſarum rege Bartane. Niceph. hiſt. Eccl. lib. 14. c. 19. Et Ægyptii pro ſupplicio graſſatores exuerunt corio, qvos ita demum magno cum cruciatu diu vivere experiuntur, ſi carnifex umbilicum ferro non attingat: eo reſecto illico exſpirant. And. Laurentius in Op. Anatom. de vaſis umbil. p. 92.

Dejectio è rupe Tarpejâ Romę ſtringebatur in eos, qvi falſum dixiſſent teſtimonium Gell. lib. 20. cap. 1. qvod abrogatum eſſe ſcribit Martianus in l. 1. ff. ad l. Corn. de Sicar.

Damnatione in metallum civitas & libertas ſimul amittitur. Damnabantur in metallum inqvirendum vel eruendum: Cùm enim vapor, qvi eſt materia metallorum, ſit tam craſſus & fumidus, ut multi in ipſis fodinis eo enecentur, olim non niſi vinculis conſtricti his operis ſe addicebant: qvin & hodie videmus, verſantes in fodinis variis morbis & catharris obnoxios eſſe, facie lividâ, colore pallido, & raró diu ſubſiſtere. Danéus part. 2. phyſ. tr. 3. c. 42.

Damnatio ad beſtias fieri ſolita eſt, vel ut rei eſſent

ſent earum præda. l. pœna 9. ff. ad l. Pomp. de parric. vel cum iis depugnandi causâ immitterentur in arenam. l. is qvi judicio 4. ff. de accuſ. Cujac. 13. obſ. 10. Sveton. in Calig. c. 27. Pauſan. lib. 1. P. Greg. lib. 31. Syntag. c. 20.

Pœna damnationis ad carceres perpetuos jure qvidem civili incognita eſt in liberis hominibus. l. 35. de pœn. l. 5. l. 8. §. 9. eod. l. 10. C. eod. qvibus aſſervandis & continendis tantùm, non puniendis carcer haberi ſolet. l. 6. §. 7. ff. de injuſto rupto & c. Jure Can. pœna hæc inducta eſt. c. qvamvis 3. de pœn. in 6.

Damnatio in exilium propriè amiſſionem civitatis continet l. 2. de pub. jud. Cujac. 15. obſ. 35.

Damnatio in opus publicum perpetuum civitatem aufert. l. 17. §. 1. de pœn.

Huc pertinent deportati, qvi ea qvidem qvæ juris civilis ſunt, amittunt, retinent verò ea qvæ ſunt juris gentium. l. 17. §. 1. de pœn. Vid. Cujac. ad l. 8. ff. qvi teſt. fac. poſſ. Atq; hactenus de capitalib. pœnis: Seqvuntur non capitales.

Membri amputatio capitalis pœna non eſt, ar. Nov. 128. c. 20. Non enim tollit vitæ vehiculum, ſed tantùm in membro illo reſecato ſiſtit. Delrio ad l. transigere. n. 44. Nullius autem membri, qvàm manus abſciſſio permittitur. Nov. 134. c. ult. Auth. ſed novo C. de ſerv. fug. Cujac. 7. obſ. 13. Weſenb. in part. de pœn. n. 3. in fin.

Pedis abſciſſio eſt in Servos transfugas l. 3. C. de ſerv. fug. Nares furibus amputari ſolitæ apud Longobardos. P. Greg. 31. Syntag. 16. n. 10. Hodie in blasphemos eſt lingvæ amputatio ex ſanctione Carolinâ art. 198. & aurium abſciſſio in adulteros: qvę inde fortè orta, qvòd auribus vena qvædam promineat, qvæ γόνιμον contineat ſperma; cujus venæ abſciſſione, procreationis vis ſeu ſemen prolificum ſubmoveatur, ne ejusmodi peſſimorum

hominum pofteritas ulla relinqvatur; qvod fieret, fi liberos generarent. A. Knichen tr. de jur. territ p.109. Ufyllus ad §. ex maleficiis. num. 22. Inft. de action. Bodin. 5. de rep. c. 1.

Relegatio ad exiftimationem, non ad capitis periculum pertinet. l. 28. §. 1. de pœn. Gödd. ad l. 103. num. 4. de V. S.

Conjectio in carceres meri imperii eft, fi is qvi caufam carceris examinat, eam poteftatem habeat. Dd. ad l. 3. ff. de jurisd.

Fuftigatio excogitata à Tarqvinio. Evtrop. lib. 11. ad viliores tantùm coercendos recepta eft. l. 28 §. 2. ff. de pœn. l. 5. C. ex qvib. cauf. infam. irrogatur. Olim etiam milites qvi reliqviffent aciem. Cœl. Rhodius. lib. 12. antiq. c. 5. Fitq; vel flagellis vel virgis. Flagellis olim fervos tantùm cæfos deprehendimus. Horat. epod. od. 4. Ter. in Adel. Nam ex qvibus caufis liber fuftibus, ex his fervus flagellis eft cæfus. l. 10. ff. de pœn. Afpera hæc fuerunt flagella, adeò ut Ulpianus fcripferit, miniftrorum immanitate multos fub ejusmodi flagellis interiiffe. l. 8. § 3. ff. de pœn. qvinimò fæpiùs infitis talis aut ofsiculis exafperata erant, five ut loqvitur Apulejus lib. 8. Met. pecuinis offibus cathenata. Virgæ honeftiores erant. Porcia tamen lex virgas ab omnium civium corpore amovit. Cic. in orat. pro Rab. perd.

Stigmatis inuftio in facie hominis hodie fublata eft per l. fi qvis in metallum 17. C. de pœn. ne facies, qvæ ad fimilitudinem pulchritudinis eft cœleftis figurata, maculetur. d. l. 17. Mynf. 2. obf. 46. Thoming. decif. 7. n. 17.

Mulctatio tum criminalis eft pœna, cùm mulcta applicatur fifco, ar. l. 5. C. de modo mulctar. Huc referenda

etiam

etiam Confiscatio: & Excommunicatio. Menoch. 2. arb. cas.438.n.35.

CAP. XXI.

De Jurisdictione Civili, & de δωροφαγία Judicum.

QUi jurisdictioni præest, nec sibi, nec suis jus dicere potest. l.10.de jurisd.l. un. C. ne qvis in suâ causâ. Vix enim tam justus qvisqvam est, qvi constantem illam & perpetuam suum cuiq; tribuendi voluntatem etjam contra se velit exercere, aut qvi non saltem proprii compendii causâ facilè sibi imponi patiatur, ut in propriâ causâ id justum & æqvum esse putet, qvod in alienâ iniqvum esse fateretur. Ut autem in dicendo jure pro Tribunali Magistratus sine fraude rectè decidant controversias, optimum in Rep. fuerit, lege latâ coërceri Judicum avaritiam, qvam Muneralem appellat Plautus. Plin.lib.5. epist. ult. ne largitionibus sese corrumpi patiatur. l. solent 6.§. 3. ff. de off. proconf. l.15. de off. præsid. Malè qvippe se res habet, cùm id quod virtute effici debet, id tentatur pecuniâ. Cic. 2. off. Nam ut bilanx in eam vergit partem, unde plus accipit: sic qvidam nunc huic nunc illi favent, qvi plurimum det, non cujus causa sit optima.

Sed qvoties bonus atq; fidus
Judex honestum prætulit utili: &
Rejicit alto dona nocentium
Vultu. Horat. 4.od.9.

Optima qvæq; de illo nobis polliceri possumus.

Talis Ephialtes, qvi licet pauperrimus fuerit, attamen cùm amici decem talenta ipsi dono darent, non ac-

cepit, hæc inqviens, me cogerent, siqvidem reverenter vos haberem, aliqvid præter jus concedere: sin minùs vos observarem, ingratissimum haberi. Ælian. lib. 11. hist. var. Talis Epaminondas, qvi oblata sibi à Jasone 50. auri talenta repudiavit: itemq; ab Artaxerxe R. Pers. tria Daricorum millia. Plut. in Apoph. Talis Gracchus in suâ Sardiniæ administratione. Gell. lib. 15. c. 12. Talis Phocion: de qvo J. Spinæus lib. 1. de tranqvil. an. p. 10. Talis Petrus Apostolus, Act. 8. 16. 20. Isti omnes muneribus inescari se non sunt passi: ideoq; abstinentiæ suæ ad omnes posteros gratam transmiserunt memoriam. Reliqui Nummarii, sive δωροφάγοι judices coërcendi sunt. ar. l. 1. C. publ. lætitiæ. 12. C. 63. Nam & eos notavit Domitianus teste Sveton. & Bonifacius VIII. in c. Statutum. §. insuper ut gratis de rescript. in 6. Atq; olim Romæ tantâ curâ cautum erat, ne qvis pateretur se corrumpi largitionibus, ut præter pœnam qvam convictis infligebant, accusatoribus etiam honores haberent. Ita Carbo Cottæ accusator consulatum adeptus est: deinde ipse Carbo ejusdem rei nomine, ob qvam accusaverat Cottam, accusatus est à Cottæ filio. Dion. lib. 36. p. 21.

Cap. XXII.

De Consiliariorum usu: & an expediat Successori, dimittere Consiliarios Antecessoris.

PRimus ille vir est, qvi ipse consulit qvod in rem sit: Secundus is, qvi benè monenti obedit: Qvi vero nec ipse cõsulere, nec alteri parére scit, is ex-

is extremi ingenii est. Liv. dec.3.lib.2. Qvòd si is, qvi ad Reip. clavum sedet, suopte ingenio se suosq; regere non potest, proximum est, qvoniam magna negotia magnis adjutoribus egent. Vellej. lib.2. multaq; qvæ naturâ impedita sunt, consilio expediuntur. Liv. lib.40. ut sibi prospiciat de ejusmodi præsidiis, qvorum interventu Chymæram domare i. e. fortissimos qvosq; superare possit. Alciat. embl.14.

Qvæ verò illa sunt præsidia? Non exercitus, non thesauri, verùm amici. Micipsa apud Salust. nullumq; majus boni imperii instrumentum, qvàm boni amici. Plin. Paneg. Neq; aureum istud sceptrum est, qvod regnum custodit: sed copia amicorum: ea regibus sceptrum verissimum tutissimumq;. Cyrus apud Xenoph. lib.8. Alexander eò potentiæ nunqvam devenisset, si vixisset absq; Clito, Parmenione, Seleuco, Ptolemæo, Lysimacho. &c. Nec alter ille Alexander, nempe Severus Imp. eam consecutus esset gloriam, si absq; his præsidiis imperasset: Nullum ille decretum, teste Lampridio, fecit, sine JCtis 20. ac plerisq; Senatoribus rerum gerendarum usu peritis. Neq; etiam Resp. Attica id fastigii adepta esset, nisi habuisset Miltiadem, Themistoclem, Aristidem, Timonem, Periclem, & reliqvos: Roma verò beatam sese prædicat præ cæteris omnibus, intantum crevisse vires suas bonorum & fortium virorum consilio, videlicet Scipionum, Fabiorum, Marcellorum, &c.

Qvinimò omnia regna, civitates nationes, usq; eò prosperum imperium habuère, dum apud eos vera consilia valuère: ubicunq; gratia, timor, voluptas ea corrupère, paulò pòst imminutę opes, deinde ademtũ imperiũ, postremò servitꝰ imposita est

 Salust.

Saluſt. ad Cæſ. Et conſilio ardua qvæq; & inacceſſa perrumpimus: Sin fortè primo obtutu negotium nimis videtur eſſe arduum, non idcircò deſpondendus eſt animus, qvin tantò magis conſilio res indaganda: qvod uni conſulentium non ſatis obvium, alius fortè expediet facilè: qvòd ſi malè ceciderint, qvæ bene ſunt cogitata, jam nihil eſt, qvod conſulenti imputari poteſt: nam qvi conſuluit, præſtare fidem, non eventum debet. Inſcriptio Curiæ Heidelb.

Qværitur: An principem novum deceat mutare prædeceſſoris ſui conſiliarios, eosq; dimittere? Qvod videbatur ex eo, qvoniam princeps novus ſibi adſciſcere debet eos conſiliarios, qvos ſcit ſuo ingenio maximè eſſe accommodatos: Jam verò illi antiqvi adſveti ſunt moribus Anteceſſoris; & novus princeps, ſucceſſionis lege deſignatus, non ſuo arbitrio, ſed conſiliariorum illorum arbitrio pleraq; peragere cogeretur: qvod illi perqvàm dedecoroſum.

Sed contraria magis placet ſententia, Conſiliarios prædeceſſoris nullo modo eſſe à principe novo dimittendos, ſi nulla eorum arguatur improbitas. nam illi gnari ſunt morum animorumq; provinciæ: ſciunt vires principatûs, experientiâ ductrice plurima cognoverunt: de qvibus & ipſum poſſunt monere ſucceſſorem. Si dimiſſi fuerint, ſecretiora principatûs communicant aliis: & ob ipſam illam dimiſſionem, qvæ ruborem iis incutit, vindictam meditari ſolent. Id haud dubiè perpendit Ludovicus XI. R. Gall. qvi filio ſuo Carolo hoc conſilii dedit, ne qvid mutaret in adminiſtratione regni, & antiqvos amicos, familiares & miniſtros retineret. Etſi verò princeps multo ſit excelſior, qvàm ut privati hominis conatûs vereri debeat, tamen ne minimam qvidem odii in ſe occaſionem præbere ſit ſollicitus. Commodus Imp. tamdiu virum in gubernatione ſe geſſit, qvamdiu commendatos ſibi ab opt. patre Conſiliarios in conſilium adhibuit: His neglectis,

glectis, ubi paraſitos, ludiones, comœdos conſuluit, eorum impudentiam & temeritatem longè antegreſſus eſt. Roboam cui pater reliqverat verecundâ canitie amabiles conſiliarios, juvenili præcocitate animum applicat ad ſui ſimiles homines, qvorum ductu in extremam miſeriam deturbatus eſt.

CAP. XXIII.

De Conſiliariorum ætate, doctrinâ & moribus,

IN delectu Conſiliariorum Principes ſæpenumerò peccant, adulatorem non diſcernunt à viro bono: prudentiam ſolidam ab umbratili & vanâ. Tria autem ſpectanda in Conſiliariorum perſonâ: Ætas, Doctrina, Mores.

Ætas non juvenilis ſit, nec ſenio nimis langvida. Juvenes molles ſunt, ætate fluxi, & dolis haud difficulter capiuntur: Sal. in Catil. propendent in affectus, & regere non poſſunt impetum. Uſu & exercitatione nondum obfirmarunt animum ad capiendum conſilium de rep: atq; juvenes alterius prudentioris regi conſilio neceſſe eſt: non ergo conſilio ſuperioribus eſſe posſunt. Et qvanqvam non deſunt exempla juvenilis prudentiæ (nam & Nerva publicè de jure reſpondiſſe fertur 17. ætatis anno l.1.§.3.ff.de poſtul.) & Celſus l. ſi ſervum. §.ſeqvitur.ff.de V.O. rarò tamen id evenit: & vix eſt, ut ante 25. an. animus obducatur veræ prudentiæ cortice. Cautum eſt (inqvit Plin. ad Trajan.) ne qvis capiat magiſtratum, néve ſit in ſenatu minor annorum 30. Paulatim tamen admonendi ſunt juvenes conſultationibus, ut ſenum regantur prudentiâ: cujus uſum deinceps, excedentibus è ſtatione ſuâ ſenioribus, habere poſſint.

Neq; tamen ſenibus, ultra 60. annos conſtitutis, hoc munus concredi debet: A qvinqvageſimo anno lex militem non cogit, à ſexageſimo ſenatorem non citat. Sen. de brev. vit. c. ult. de ponte dejicit, h. e. non illi communicat ſuffragiorum jus, qvod per pontem ferebant. Sigon. lib. 1. de antiqvo jur. civili cap. 17. eâ enim ætate corpus annis infirmum: ante id ingenium ſapientiâ validum eſſe ſolet. Sal. in Catil. atq; illi prudentiâ gubernare remp. & labefactatam erigere ac reſtituere: principum item negotia ſalubri conſilio optimè moderari poſſunt. Spinæus lib. 7. de tranq. an. p. 386. Hi ſenectutis prolixæ beneficiò multis experimentis inſtructi. Apulejus lib. 5. de Aſ. aur. affectiones animi tranqvilliores habent, ſecundum qvas ſalubria depromunt conſilia.

Doctrinam Conſiliarii exqviſitam & elegantem eſſe convenit, præſertim ut ipſum ſe noſcere didicerit. Hoc jubet illa Pythicis oraculis adſcripta vox, Noſce te. Sen. conſ. ad Marc. c. 11. Jurisprudentiam & hiſtoriam omnis temporis noverit: Sine his enim miſera cudet conſilia. Philoſophicarum diſciplinarum cognitio plurimum etiam proderit: nec non lingvarum exoticarum apprehenſio. Sed apage eos, qvi non niſi ex libris ſapiunt: nullo rerum uſu edocti: qviq; rebus propriis bene proſpicere non didicerunt: qvippe domum ſuam coërcere haud minus arduum eſt, qvàm provinciam regere. Tacit. in Agric. c. 7. Iſti ad ſecretiora conſilia non magis apti, qvàm ὄν@ πρὸς λύραν. Qvi verò per utrumq; tempus ſecundæ adverſæq; ſortis variè fuerunt exerciti & attriti: qvibus

Per varios uſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam. Manil. 1. Aſtron.

hi

hi consilii sui copias rectè explicare & disponere norunt, ad quasvis certaminum emergentium species: quâ in re Mithridates excelluit: cui fortuna multis rebus ereptis usum dedit benè svadendi. Salust. in frag. Et prudenter Basilius Imp. ad filium: Consiliariis, inqvit, utere iis, qvi rebus propriis bene consuluerunt, recteq; eas administrarunt: non autem qvi per imprudentiam malè. Nam qvi suis rebus malè prospexerit, nunqvàm ille bene consuluerit alienis.

Summam autem & scrupulosam in Doctrinâ ἀκρίβειαν exosam habeant principes: nam plerunq; illi, qvod ab aliis bene svasum est, crebris contradictionibus destruunt, & omnia suo ex sensu dimetiuntur. Qvæ sententia est Thucydidis lib. 3. dicentis, Consiliarios hebetiores ut plurimùm meliùs prospicere reip. qvàm acutiores: Siqvidem isti novandis, qvàm gerendis rebus sunt aptiores. Curt. lib. 4. Mores Consiliarii spectandi in pietate, modestiâ & continentiâ.

Principiò cùm sacrum qviddam sit Consultatio: Plato: consiliorumq; gubernaculum lex divina esse debeat. Cyprian. in epist. nihilq; ritè aut providenter homines, sine Deorum immortalium ope, consilio, honore, auspicentur. Plin. in Paneg. Pietate verâ consiliarios imbutos esse necesse est. Namq; ubi divina providentia non commilitat consiliis actubusq; hominũ, malus iis exitus obvenit, & cogitationibus valdè adversus. Nam tunc neq; vir consultus, consultus est: nec fortis, fortis; sed etjã sapientissima consilia insipienter desinunt: & generosa maximè ac fortia facta turpem & infamem exitum conseqvuntur. Niceph. Greg. lib. 7.

Mode-

Modestia secundo loco ex iis elucere debet. Nam illi optimi, qvi specie obseqvii regunt, ad omniaq; qvæ agenda sunt, qvietâ industriâ adsunt. Tac. 3. hist. Diversus ab hac regulâ Puzenus ap. Nicetam lib. 1. qvi moribus erat ad severitatem & rigorem ita compositis, ut asperrima rupes faciliùs emolliri posset, qvàm ille à sententiâ deduci.

Continentiæ appellatione non tantùm oculos, sed & manus abstinentes eis injungimus. Alienissimi sint à crimine avaritiæ: qvippe nullum est officium tam sanctum atq; solenne, qvod non avaritia comminuere ac violare soleat. Cic. pro Qvinct. nullumq; est vitium tetrius qvàm avaritia, præsertim in principibus & remp. gubernantibus: habere enim qvæstui Remp. non modò turpe est, sed sceleratum & nefarium. Cic. 2. Off. & pessimum veri affectûs venenum sua cuiq; utilitas. Tac. 1. hist. qvâ ratione lex fuit apud qvosdam populos, ut qvi agros hostibus finitimos haberent, non admitterentur ad consilia belligerandi; qvasi ob privatæ rei curam minùs ingenuè svadere possent. Arist. 7. polit. 10. Ergo si populo consulis, remove te à suspicione alicujus tui commodi: fac fidem, te nihil nisi populi utilitatem & fructum qværere. Cic. de l. Agrar. ad pop.

Cap. XXIV.

Qvales in ipsâ Consultatione Consiliarios esse deceat.

IN ipso consultationis articulo notandæ res qvæ adesse, & qvæ

& qvæ abesse debent. Adsint: svadendi libertas, sobrietas, & provida cunctatio. Absint: Assentatio, Contumacia, Discordia, Affectus. De singulis subjiciemus.

Inter ea, qvæ ipsi consultationi inesse debere diximus, primo loco est Libertas svadendi: nam qvemadmodum absynthium nomen omne amittit, si amaritudinem tollas: sic oratio, si libertatem loqvendi amittat. Stob. serm. 11. Et qvid rectum proficisci possit ab eo, qvi lingvam frenat ad nutum sui principis? Qvid præsidii in istâ Rep. in qvâ videmus curiam elingvem: in qvâ dicere qvod velles periculosum, qvod nolles miserum esset? Plin. jun. in Paneg. Etjam fera animalia si clausa teneas, virtutis obliviscuntur. Tac. 4. hist. 15. Detestandi illi, qvi cum fortunâ potiùs principis loqvuntur, qvàm cum ipso. Tacit. 1. hist. qvi veri copiam non faciunt, sed suspensa, & qvò ducantur inclinatura respondent. Tacit. 11. annal. qvibus omnia principum honesta atq; inhonesta laudare mos est. Id. 3. annal. Imitentur Consiliarii Labeonem JCtum, qvi in Senatûs lectione M. Lepidum hostem Augusti legit, interrogatusq; an essent alii digniores, suum qvemq; judicium habere respondit. Nec ideò libertas aut contumacia fraudi cuiqvam fuit. Sveton. in Octavio c. 54.

Ista tamen παῤῥησία nonnullis peperit extremam miseriam. Cobares apud Bessum id expertus est: nam Bessus & ingenio & multo mero ferox, adeò exarsit, ut vix ab amicis, qvominus occideret eum (nam strinxerat qvoq; acinacem) contineretur.

Curt.

Curt. lib. 7. c. 4. Callisthenes apud Alexandrum M. idem incurrit periculum. Justinus lib. 15. p. 121. Nec non apud Cambysem Crœsus. Herod. lib. 3. pag. 172. & Prexaspes: Apud Philadelphum Regem Ægypti Sotades: Apud Bassianum Caracallam Papinianus JCtus. Nam Imperator magnâ laborabat invidiâ, qvòd fratrem occidendum curasset: Eoq; Æmyl. Papiniano Præf. Præt. JCto negotium dederat, ut hoc facinus apud Senatum defenderet; At is respondit, multo facilius parricidium perpetrari, qvàm defendi: Ob hanc liberam vocem Bassianus occidit virum immortalitate dignissimum. Ob similem causam, Thomas Morus Angliæ Cancellarius, securi percussus esse dicitur, qvòd noluisset comprobare Regis divortium.

Libert. dicendi

Sobrietas etiam conspicua in Consiliario virtus. Sobriè enim non gravatis mero viribus consultationes ineundæ: ut aciem ingenii extendere possit ad res, qvæ in deliberationem cadunt. Culpandus ergo Bessus, qvi cum amicis ducibusq; copiarum inter epulas de bello consultabat. Curt. lib. 7. c. 4. pr. Nec non Germani veteres, de qvib. Tac. de mor. Germ. cap. 7. Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adsciscendis principibus, de pace deniq; ac bello plerumq; in conviviis consultare, tanqvam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta nec callida, aperit adhuc secreta pectoris, licentiâ loci: Ergo detecta & nuda omnium mens, postero die retractatur, & salva utriusq; temporis ratio est. Deliberant dum fingere nesciunt, constituunt dum errare non possunt.

Deniq;

Deniq; provida cunctatio in Conſiliario eximia eſt virtus. Nam vir ille optimus, qvi in deliberando qvidem cunctatur & prætimet, qvicqvid poteſt contingere: in agendo autem confidit. Herod. lib. 7. Omnia non properanti clara certaq́; ſunt: feſtinatio improvida eſt & cœca. Liv. lib. 22. & nihil magni diſcriminis conſiliis tam inimicum, qvàm celeritas. Liv. lib. 31. qvoniam præcipitata raptim conſilia neq; revocari, neq; in integrum reſtitui poſſunt. Liv. ibid. Tantum hunc ex conſilio ſuo fructum capiunt, ut celerem habeant pœnam, ſed eandem ſeram atq; inutilem. Liv. d. loco. Averſamur ergo eos, qvorum conſilia velociùs, qvàm Aſparagi, cocta ſunt: ut loqvi ſolitus eſt Auguſtus apud Sveton. c. 87.

Tranſimus ad ea, qvæ à conſultatione abeſſe debere diximus: qvorum primum eſt Aſſentatio, Diogenes ille Canis ſcitè olim, cùm aliqvando: heus homines adeſte: dixiſſet, & concurſus factus eſſet, baculo abegit omnes addens: ἀνθρώπους γὰρ ἐκάλεσα, οὐ καθάρματα: Homines enim advocavi, non purgamenta, non hæc mancipia: Hujus farinæ ſunt aſſentatores: qvi in aures principum ficté & ſimulatè qvæſtûs ſui causâ inſuſurrant. Cic. ad Q. Frat. lib. 1. qvi aucupum more vocem ſuam ad imitationem regum componunt. itaq́; eos ſubeunt & decipiunt. Plutarchus de rep. germ. Similes Hyacintho lapidi, qvi ſentit auras, & cum cœlo facit mutationem, nec æqvaliter rutilat, cùm aut nubiloſus eſt, aut ſerenus dies. Solinus cap. 43. aut Heliotropio, herbæ ſolari, qvæ ſolis ortum manè ſpectat, & ejus iter ita ſeqvitur ad occa-

ſum,

ſum, ut ad eum ſemper ſpectet. Plin. lib. 22. cap. 21. ſeſeq; cùm ſole circumagit, etiam nubilo die ac nocte. Varro.

Tales deprehendit Conſtantius apud Ammian. Marcellin. lib. 15. p. 39. Hi qvi ſummam aulam tenebant, omni placendi ſtudio in adulationem ex more collato virtutem felicitatemq; Imperatoris Conſtantii extollebant in cœlum: Qvo ille ſtudio blanditiarum exqviſito ſublatus, immunem ſe deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter exiſtimabat.

Tales habuit complures Domitianus Imp. atq; inter eos coryphæum Martialem, qvi lib. 5. Epigr. p. 113. ita adblanditur Cæſari:

Si qva fides veri, præferri, Maxime Cæſar,
Temporibus poſſunt ſecula nulla tuis.
Qvando magis dignos licuit ſpectare triumphos?
Qvando Palatini plus meruêre Dei?
Pulchrior & major qvo ſub Duce Martia Roma?
Sub qvo libertas principe tanta fuit? &c.

Et lib. 9. Epigr. p. 252.

Ad cœnam ſi me, diverſa vocaret in aſtra,
Hinc invitator Cæſaris, inde Jovis;
Aſtra licet propiùs, palatia longiùs eſſent,
Reſponſa ad ſuperos hæc referenda darem:
Qværite qvi malit fieri conviva Tonantis;
Me meus in terris Juppiter ipſe tenet.

Sic Neronem (in recenti adhuc parricidio mœrentem)

rentem) auctore Burrho prima Centurionum Tribunorumq; adulatio ad spem firmavit, prehensantium manu, gratantiumq; qvod discrimen improvisum & matris facinus evasisset. Tacit. 14. annal. c. 2. Et eidem contanti in oppidis Campaniæ, qvonam modo urbem ingrederetur, an obseqvium Senatûs, an studia plebis repeteret anxio, contrâ deterrimus qvisq;, qvorum non alia Regia fœcundior extitit, invisum Agrippinæ nomen, & morte ejus accensum populi favorem disserunt. Tac. 14. an. 2. & Dion. lib. 6.

Eosdem magno suo cum incommodo aluerunt Roboam. 2. Paral. 10. ℣. 10. Assverus Esth. 3. ℣. 4. Darius Daniel. 6. ℣. 7. Herodes Agrippa Act. 12. ℣. 3. Felix præses Judææ. Act. 24. ℣. 27. Cambyses apud Herod. in Thaliâ p. 171. &c. Qvinimò complures, qvi sibi maximâ industriâ caverunt, ne in adulatorum blanditias inciderent, incauti dementati sunt. Atq; in illis locum habet illud Plautinum in captiv. Qvi cavet nè decipiatur, vix cavet, cùm etiam cavet, etiam cùm cavisse ratus, sæpè is cautor captus est.

Isti omnes cogitare debuissent, pessimam ferarum esse tyrannum, de cicuribus adulatorem. Plut. in Sympos. eosq; legitimi regni gravissimas esse pestes. Buchan. in præf. Dial. de jur. regni apud Scotos, ideoq; eos ejiciendos fuisse. Namq; verissimum illud deprehendimus, qvod scripsit Junius embl. 22. cum hac inscriptione: Adulator Reip. gravis:

Ut leo, qvem cœci vis lancinat effera morbi,
Sentit opem, si simiam edat, citam. (aulâ
Palponem & dirum Sycophantam qvi ejicit

Rex, virû regnum vacuat gravi.

Similitudinem ergo capiant principes à Cupresso arbore (siqvidem aliâs etiam arbori adsimilantur) qvæ tineas & blattas non fert, sed eas repellit. J. Camerar. in Embl. Nil mihi vobiscum est:

Ite leves procul hinc aliorum in prædia blattę:
Nescit adulantes noster amare decor.

Secundò absit Contumacia, sive pervicacia. Nam qvòd qvidam tantùm sententiis aliorum contradicunt: consilii, qvamvis egregii, qvod ipsi non adferunt, inimici; etiam adversum peritos pervicaces. Tac. 1. hist. id nullo modo ferendum est. Isti Suffeni prolabuntur prudentiæ fiduciâ: & qvemadmodum simiæ præ nimiâ exosculatione suos enecant fœtus, Pier. lib. 6. hierogl. p. 59. Ita hi seipsos perdunt, qvòd nihil, nisi qvod ipsi faciunt, rectum putant. Ter. in Adelph. In hos egregium stringit Emblema, sub tit. Cœcus amor sui, Alciat. embl. 69.

Qvod nimiùm tua forma tibi, Narcisse, placebat,
In florem & noti est versa stuporis olus.
Ingenii est marcor, cladesq; Φιλαυτία, doctos
Qvæ pessum plures datqve deditq; viros;
Qvi veterum abjectâ methodo, nova dogmata qværunt,
Nilqve suas præter tradere phantasias.

Tertiò ab ipsâ consultatione amandamus procul discordiam inter consvasores: ne sint, qvos stimulet privati odii pertinacia in publicum exitium. Tac. 1. hist. Illi Lernæam hydram secant, & mala attrahunt, ut Cæcias nubes: qvod notat Camer. in Embl: Vim ex vi: similitudine Lauri: Damna

Damna dat atq; facit vis vi collata potentum,
Ramorum attritu út flamma resultat edax.

Imitentur consiliarii boni Aristidem: qvi cùm esset inimicus Themistoclis, inimicitias illas in consiliis Reip. suggerendis seposuit: Vísne, inqvit, ô Themistocles, inimicitias paulisper hic deponamus, recepturi eas, cùm redierimus? Plutar. Et Popilium, qvi facessere voluit privatam amicitiam, cùm mandata patriæ intercederent. Justin. lib. 34. p. 207. Cavenda ergo illorum consortia, qvi cùm deliberaturi sunt de rep. privatis simultatibus invicem sibi sunt inimici: qvalis Julius ille Classicianus, qvi Svetonio discors bonum publicum privatis simultatibus impediebat. Tac. 14. an.

Qvarto loco Affectus omnes noxios excludimus: ab illis enim omnes, qvi de rebus dubiis consultant, vacuos esse decet. Salust. in Catil. & ubi illi officiunt, haud facilè animus verum providet. Ib. Utq; oculi, ubi glaucoma obsidet, puriter non vident: non item mens, ubi affectus: Præjudicium judiciũ omne tollit.

Inprimis vitetur Securitas: nam in secundis rebus nihil in qvenqvam superbè ac violenter consulere decet: nec præsenti cedere fortunæ, cùm qvid vesper ferat incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferant, nec adversa infringant. P. Æmilius apud Liv. lib. 5. dec. 5.

—— Dum tua navis in alto est
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Horat. 1. epist. 19.

Deinde tollatur nimia Confidentia & Fiducia: Nunqvam enim de futuris reb⁹ tamqvam de jam factis deliberandum est, neq; hærendum pertina-

citer in iis qvæ aliter evenire poſſunt: qvin potiùs pars aliqva inopinato eventui relinqvenda, cùm ubiq; homines ſimus, maximè verò in rebus bellicis. Polyb. lib. 2.

Omnium verò nocentiſſimus eſt Iræ affectus: nam ſicubi ille animum invaſerit, extingvitur illicò rationis rectæ lumen: qvos ideò ebriis comparat Baſilius, qvòd utriq; amiſſo rationis uſu inepti ſunt audiendis admonitionib⁹: & nihil rectè, nihil conſideratè facere poſſunt. Cic. 1. off. At tu, qvi conſilium publicum adis,

——pone veſanos, precor,
Animi tumores, téqve pietati refer.

Sen. in Theb. & anteqvàm limen palatii ingrediaris, hunc & cæteros omnes affectus exue. Monet hoc inſcriptio Curiæ Ratisbonenſis in tabulâ marmoreâ, his verbis: Qvisqvis Senator curiam officii causâ ingrederis, ante hoc oſtium privatos affectus omnes abjicito: iram, vim, odium, amicitiam, adulationem: Reip. perſonam & curam ſubjicito: nam ut aliis æqvus aut iniqvus fueris: ita qvoq; Dei judicium expectabis & ſuſtinebis. Idipſum ſvaſit in expeditione Gothicâ Narſes, apud Aretin. lib. 2. de bello Italico contra Gothos: Cùm de publicâ, ô viri, utilitate conſulitur, eſt qvidem, ut exiſtimo, utilitas ipſa per ſe inſpicienda, nec aliis reſpectibus vel odii vel amoris peſſundanda. &c.

Cap. XXV.

Qvid conſultatione habitâ reqviratur in Conſiliario.

Conſul-

CONsultatione peractâ tria reqviruntur in Consiliario: Silentium, Constantia, & Audacia in facto.

Silentium reqvirimus ideò, qvòd optimum tutissimumq; rerum administrandarum sit vinculum. Val. Max. lib.2. cap.2. Neq; enim res magnæ sustineri possunt ab eo, cui tacere grave est. Curt. lib.4. Est & fideli tuta silentio merces. Hor. 3.od.2. ἀκίνδυνον γὰρ ἐκ τῆς σιγῆς γέρας, nullaq; sunt meliora consilia, qvàm qvæ ignoraverit adversarius, anteqvàm fierent. Veget.lib.3. Docent hoc infinita exempla, maximarum rerum procurationem soli interdum taciturnitati accepto ferendam esse. Ante omnes collocandi Persæ: apud qvos non metus, non spes eliciebat vocem, qvâ proderentur occulta: Vetus disciplina regum, silentium vitæ periculo sanxerat, lingvamq; graviùs castigabat, qvàm ullum probrum: Ob hanc causam omnium, qvæ apud hostem Darium gererentur, ignarus fuit Alexander. Curt. lib.4. De iisdem Ammian. Marcell. lib. 21. Speculatores, inqvit, & transfugæ subinde venientes, repugnantia prodebant: ideò futurorum incerti: qvòd apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos & fidos, apud qvos Silentii qvoq; colitur Numen. Post Persas collocandi Hispani, qvi sæpè tormentis pro silentio rerum creditarum immortui: adeò illis fortior taciturnitatis cura, qvàm vitæ celebratio. Justinus lib.44. Nec Romani illis cedunt: Nam Evmene Rege Romam veniente, & Persen in Senatu accusante in præsentiâ nihil, præterqvàm

fuiſſe in Curiâ Regem, ſcire qvisqvam potuit: bello deniq; perfecto, qvæq; dicta ab Rege, qvæqve reſponſa eſſent, emanavère. Liv. lib. 42.

Nec ſingularum perſonarum deſunt exempla. Pompejus cùm legationis officio fungeretur, à Gentio rege interceptus, cùm Senatûs conſilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit: eâq; patientiâ regi ſimul & deſperationem tormentis qvicqvam ex ſe cognoſcendi excuſſit, & expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingeneravit. Val. Max. lib. 3. c. 3. p. 143.

Abominamur ergo iſtos loqvaculos plenos rimarum, qvi hâc atq; illâc perfluunt: & tum obviis qvibusq;, tum præcipuè uxoribus deliberationes publicè habitas communicant. Eo conſilio Auguſtum adulteria exercuiſſe ferunt, ut facilius conſilia adverſariorum per cujusq; mulieres exqvireret. Sveton. in Octav. c. 69. Illum verò Conſiliarium, ſi Diis placet, egregium!

Fingere qvi non viſa poteſt, commiſſa tacere
Qvi neqvit, hic niger eſt, hũc tu Romane caveto.

Hor. 1. ep. 18. qvalis apud Saluſt. in Catil. p. 21. Q. Curius: cui homini non minor vanitas inerat, qvàm audacia, neq; reticere, qvæ audiebat, neq; ſuámet ipſe ſcelera occultare, prorſus neq; dicere neq; facere qvicqvam penſi habebat.

Conſtantia alterum eſt peractæ conſultationis reqviſitum: Nam mutatio voluntatis indicat animũ natare alibi, atq; alibi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur, qvod eſt fixum & fundatum Sen. ep. 35. Atq; ut æſtum maris aut detrimenta lunæ magis ſentiunt imbecilliora corpora; Ita rebus contrariis vehementiùs commovetur animus

mus minùs ſibi conſtans, & affectibus vitiatus. Sic maximè arguitur animus imprudens: alius prodit atq; alius; & qvo turpius nihil judico, impar ſibi eſt. Magnam rem puta, unum hominem agere. Præter ſapientem autem nemo unum agit: Cæteri multiformes ſunt. Senec. ep. 120. Chamæleontis induunt naturam. Ariſt. 1. Eth. Nic. leviores cortice: & mutare qvadrata rotundis edocti. Ergo maximè notandi ii, qvi ex alienâ libidine huc illuc fluctuant & agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt: & uti eorum qvi dominantur ſimultas atq; arrogantia fert, ita bonum malúmve publicum exiſtimant. Saluſt. ad Cæſ. Qvin illud ipſum qvosdam egit ad mortem, qvòd propoſita ſæpè mutando in eadē re volvebātur. Sen de tranq. c. 2. in fin.

Tertium finitæ conſultationis caput, diximus eſſe audaciam in facto: Celeriter deliberata peragenda ſunt, deliberandum autem tardè. Ariſt. 6. Eth. 9. Ubi conſulueris maturè facto opus eſt. Saluſt. in Catil. Nec triſtari conſiliarium oportet, ſi qvod ſalubriter ſvaſit, eventum felicem non ſortiatur:

Si fors initio res videtur ardua,
Non eſt qvòd animum protinùs deſpondeas;
Qvin conſulendum cenſeo vel eò magis.
Qvod ſæpè viſum eſt uni inexplicabile,
Expediit alius facilè: Si cedant bene
Conſulta pravè, te ſeqvetur gloria:
Si malè ceciderint, tu tamen culpâ vacas.
Autore magno deſipere, pœne ſapere eſt.
Qvòd ſi undiqvaq; claudit omnes exitus
Invicta vis, aut fatum ineluctabile,

Nec explicare conſilia ſeſe qveunt,
Idem probabunt qvicqvid eveniet, qvibus
Uſus fuiſti in conſulendo auctoribus:
Sin ipſe reliqvis facinus inſciis novum
Perages, rogatus qvi probaturus fuit,
Eventa primus arguet, qvanqvam ſciat
Remedia nulla, ſciſſe vult credi tamen.
Buchan in Jephthe.

Nec ferenda illorum hominum improbitas, qvi ex eventu de conſiliis cujusq; judicium faciunt: & cui bene qvid proceſſerit, multum illum prævidiſſe, cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicunt. Cic. pro C. Rab. Poſth. Peſſimum illud & freqventiſſimum omnibus temporibus, ut qvi rem aliqvam aggreſſi ſunt, & feliciter perfecerunt, optimo conſilio uſi exiſtimantur: alii contrà ſtultitiæ culpantur, cùm re optimè deliberatâ voti compotes facti non ſunt. Dion lib. 45. p. 272. Non enim rarum eſt, ut bonis initiis mali ſuccedant eventus. Saluſt. in Catil.

Cæterùm ſunt alii, qvi etiam in pravis conſiliis, qvæ ſuggeſſerunt, exeqvendis, ſtrenuos ſe præbent: Iſti plerumq; per qvæ peccant, per eadem puniuntur & ipſi. Lib. Sap. c. 2.

Circumretit enim vis atq; injuria qvemque,
Atq; unde exorta eſt, ad eum plerumqve revertit.

Lucret. lib. 5. Et qvemadmodum vexilla bellica, qvibus militem ad expeditiones conſcribimus, & in præliis velut ductoribus in hoſtem armamus, primas experiuntur convulſiones & oppugnationes. Paradin. in Symb. Her. p. 195. Ita Conſiliarii,

rii, qvi in consiliis suppeditandis militarunt sub vexillo doloso & fraudulento: qvod alterius capiti struunt, in suo experiuntur. Docent hoc suo exemplo Haman in hist. Esth. c. 7. Achitophel 2. Sam. 17. Majo, Amiratus magnus apud Guilielmum Regem Siciliæ, de qvo Hugo Falcandus in hist. Sic. pag. 20. Cardinalis Baluensis apud Ludovicum XI. R. Galliarum: de qvo Comineus lib. 10. p. 309. Alexander VI. Pontifex, &c. Vid. Val. Max. lib. 2. c. 26. Phil. Camer. 1. med. hist. 9. G. Richt. ax. pol. 148.

CAP. XXVI.

De Consiliariorum privilegiis & præmiis.

Consiliarii censentur esse pars corporis ipsorum Principum. l. qvisqvis. 5. in pr. C. ad l. Juliam Majest. c. si qvis 6. q. 1. c. felices de pœn. in 6. & cum ipso principe qvasi unum constituunt corpus. l. jus Senatorum 8. C. de dignitat. 12. C. 1. ideoqve eorum dicuntur amici. l. 4. C. de contrah. stip. Et ipse Alexander Severus Ulpianum JCtum parentem suum appellare dignatus est. l. ex divi 4. C. de loc. & conducto. Justinianus summi ingenii virum. in l. un. §. 9. C. de caduc. toll. Et à J. J. Consiliarii dicuntur Patricii. l. ult. C. de Coss. lib. 12. Nicephoro lib. 13. hist. Eccles. c. 1. & 4. & Claudiano, cujus sunt de Eutropio, Patriciatûs honore decorato, verba:

—— præsidium legum, genitorqve vocatur
Principis, & famulum dignatur regia patrem

Unde est, qvòd Consiliarii summi principis liberati sunt patriæ potestatis nexu. l. ult. C. de Coss. lib. 12. Inq;

eos committitur crimen læſæ majeſtatis, ſi illud in odium ipſius principis factum fuerit. Weſenb. conſ.57.n.6.

Accedit, qvòd qvi vocantur ad conſilium principis ab omnibus oneribus & muneribus ſunt immunes, nec ad decurionatum aut ſimilem magiſtratum vocari poſſunt. l.juriſperitos. 33. l. adminiſtrantes 44. de excuſ. tut.l.verum §. ex facto. de minor.l. fin. C. de ſilentiariis lib. 12.l. pen.& l.fin.C.de decur.lib.10.

Qvid verò de præmiis? Illísne afficiet princeps eum, qvi bene præ cæteris conſuluerit? Sanè non videtur: idq; ideò ne deinceps aliqvid præter animi mentem & ad gratiam loqvatur. Thucyd. lib.3.p.167. Emeritis tamen poſſunt conſtitui ex Camerâ principis certi reditus, vulgò **Gnadengeld**.

Econtrà princeps nec eum, qvi in conſulendo fuerit inferior, nullo dedecore, nedum ſupplicio perſeqvatur: Thucyd. lib.3. ne deſint, qvi ſvadeant, ſi malè ſvaſiſſe periculum ſit. Curt.lib.3.

Cap. XXVII.

De uſu Legatorum in conficiendis Reip. negotiis.

Legati à legendo dicti, qvòd publicè lecti mitterentur. Varro: variis nominibus appellari ſolent: Nam & Oratores dicuntur.l.lex Julia.ff.ad l. Jul.de vi publ. & Nuncii. Cic. 1. Tuſc. & Ambaſſadores ἀπὸ τοῦ ἀμφαδίζειν, qvod mittere eſt. Et Reſponſales c. Salonitana diſt.63.Et Caduceatores à caduceo ſive cerycio.

l.8.

l.8.de rer.divis. h.e. baculo,à legatis gestari solito,habente ab utrâq; parte insculptos duos serpentes invicem implicatos,& se mutuò respicientes. Plin.lib.29. N.H. Pier. in Hieroglyph lib.15.c.2.

Est autem legatus persona publica sacratiore nomine ad principem vel Remp. missa sine imperio,rei dicendæ agendæq; causâ.

Species legationum variæ sunt:

1. Pronuba: qvam peragit, qvi matrimonium pro absente Principe contrahit.Budæus 1. de Asse.

2. Officiosa, qvæ officii & honoris causâ suscipitur. qvales fiunt ad congratulandum, aut dolorem significandum.l.35. §.1. ff. ex qvib. caus. major. aut gratias agendum.2.Sam.2.Hæc etsi officii sit,non tamen prætereunda est, ne inter principes alioqvin conjunctos, simultatibus occasio detur.

3. Legatio qvâ expediuntur negotia ad summam Reip. pertinentia, tempore pacis: hoc fieri solet ex causis variis: potissimùm ob ineunda fœdera. Olim etiam sorte legebantur legati, ne ambitioni aut inimicitiis locus foret. Tac. lib. 4. hist. Cic. ad Att. ep.17. lib. 1. Dion. lib.59.

4. Legatio ad denunciandum bellum: cujusmodi legati dicuntur Feciales:& Araldi. Bud. ad l. 7. de rer. divis.

5. Libera: qvæ est ejus, qvi publico nomine commendatus, ornatusq; re ipsâ ob privatam exiit occasionem: Donabantur enim à Senatu vel Imp. clarissimi viri honorario titulo liberæ legationis, etiamsi suorum,non publicorum negotiorum causâ in provinciam aliqvam proficiscerentur: qvò majori abessent cum dignitate. Lips. in Comment. ad lib.12. ann. Tac.p.164. Libera dicitur, non qvòd nullo finita sit tempore. Cujac.9. obs.29. (nã annus his legationib. erat præstitutus. Cic.15. ad Att. ep.5.) sed

qvòd

qvòd introire in urbem & rursus exire liberam legationem habenti liceret. Neq; illi censebantur abesse causâ Reip. l. 14. de legat. Tribus autem ferè de causis postulabantur liberæ legationes: Voti solvendi, periculi vitandi, & hæreditatis nominúmve persequendorum causâ: & qvi cum ejusmodi liberâ legatione mittebantur, lictores à provincialibus Magistratibus & insignia cæterorum legatorum acceperunt. Cic. 12. ep. 21.

Sed nos revertimur ad eas legationum species, qvarum hodie magnus est usus. Nam cùm privatis hoc liceat, cùm rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, ut idipsum agant per alios. l. 1 §. 2. ff. de procur. cur non & principibus? Atqve qvò hoc jus est vetustius (origo enim ejus est ab ipsis civitatum primordiis. l. 5. de just. & jur.) eò venerabilius est: cumq; apud omnes gentes passim legatorum fuerit usus receptus, jure gentium effectum est, ut legati haberentur sancti, i. e. ab omni violentiâ tuti. l. 8. ff. de rer. divis. Et legatorum nomen apud omnes nationes sanctum inviolatumq; semper fuit. Cæs. lib. 3. bell. Gall. p. 59. In signum verò securitatis gestare soliti sunt sagmina sive herbas. d. l. 8. §. 1. de rer. divis. Liv. lib. 1. Plin. lib. 22. c. 2. & Festus. Nec tantùm in accessu inviolabiles sunt, sed etiam in reditu. Neq; enim qvisqvam desinit esse legatus, anteqvàm principi renunciaverit, qvid perfectâ legatione gestum fuerit.

Hoc loco qværitur, an etiam illi qvi missi legati non sunt, & legationis tamen nomen obtendunt, sancti & inviolabiles sint? Et dicendum, jure legationis eum eximi debere, qvi à nemine missus deprehenditur: eum verò, qvi legatus qvidem est, non tamen ad eum, ad qvem se missum affirmat, legationis jure frui huma-

humanius est: qvemadmodum Alexandrum pepercisse legatis Atheniensium, qvi ad Tyrios in eum animandos venerant, legimus. Curt. lib. 4.

Qvid verò de legatis hostium, súntne illi hoc jure censendi? Imò verò, si qvis legatum hostium pulsasset, contra jus gentium id commissum esse existimatur. l. fin. ff. de legation. Æmyl. Prob. in Pelopid. Cujac. 11. obs. 5. Violarunt ergo jus gentium hostes Henrici Aucupis Imp. qvi prope Goslariam legatos illius præcisis crinibus malè multarunt. Rein. Reinecc. in chron. Slavor. lib. 2. c. 37. P. Camer. cent. 2. med. hist. c. 40.

Qvid de legatis, qvi speculandi causâ missi sunt, an & hi à violatione immunes? Et eorum qvidem qvi ejusmodi exploratores legationis specie oberrantes humaniter tractarunt, exempla non desunt. Inter eos A. Posthumius & Antiochus: qvoniam legationis nomini, qvod præ se ferebāt, plus dandum censuerunt, qvàm facinori certo rependendum. Dion. Halic. lib. 6. Verùm cùm pro legatis habendi non sint, jure legatorum frui nullo modo possunt.

Qvid de iis, qvibus interdictum ne venirent? Et iis casibus, in qvibus licitum est vetare, ne legati accedant, putamus missis jura legationum non manere. Si causa prohibitionis nulla est, legatorum jus stabile est. Interdum enim ex indignatione nimiâ & metu, aditu prohibentur legati: qvomodo Franciscus R. Gall. ne qvid à Feciali Caroli V. Imp. audire cogeretur, qvod suo nomini majestatiq; labem ullam inureret, ut adventare audiit, crucem pro palatio figi mandavit: ac feciali denunciari, certum illi crucis exitium impendere, si mandata exposuisset.

Qvid verò apud eum, cui antè jura legationis violata sunt; súntne legati tuti? Et placet legatos ab eo principe, qvi prior legationis jura violavit, tutò non

ire, ad eum cujus jura violata sunt. Nam fidem frangenti fides haud servanda est. l. cùm proponas. la 2 & ibi Dd. C. de pact. l. qvi pendentem. l. Julian. § offerri ff. act emti, c. dilectus. de Simoniâ. Et frustrâ qvis postulat ab eo servare fidem, cui fidem à se præstitam servare recusat c. frustrà de R. J. in 6.

Qværitur, qvomodo puniendi qvi legatos violarunt? certum enim est, violatum esse jus gentium:

Magnaqve debetur violato pœna caduceô:

Juvenal. Sat. 6. qvâ de re sacerdotes feciales judices fuisse auctor est Varro. lib. 3. de vitâ pop. Rom. Et deditionem fieri ait. l. ult. de legation. Cujus exemplum est apud Cæs. lib. 3. bell. Gall. p. 46.

Atq; is, qvi principis legatum violat, crimen læsæ majestatis committit. Geil. de pignor. obs. 5 n. 6.

Jure Can. violatores legatorum exterminantur à Christianâ Rep. c. si qvis dist. 93.

Si à civitate facta est violatio, ultionem sustinet, & bello petitur ab eo, cujus legati asperè & crudeliter excepti sunt. Romani hac ex causâ Corinthum deleverunt. Cic. pro l. Manil. qvòd legatos suos perfudissent sordibus: Alexan. Tyrum. Curt. lib. 4. Græciam, ob detrusos in puteū legatos Persicos, invasit dira & cruenta fax belli. Herod.

Cap. XXVIII.

De Legatorum Virtute & Doctrinâ.

MAgna legatorum dignitas: magna iis adhibenda cautio, ut personam, qvam sustinent, virtute digniorem efficiant.

Inprimis Temperantiæ insignem curam habeant;

Modus omnibus in rebus optimus est habitus:

Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se. Plaut. in pænul. imitenturq; illum

Athe-

Athenienſium legatum Xenocratem: qvi dicitur neqvicqvam voluiſſe guſtare priùs, qvàm legationem ſuam expoſuiſſet.

Deinde non tantùm oculos, ſed manus abſtinentes habeant: Dorophagiam omnem procul amandamus: οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. l. 6. §. 3. de off. procoſ.

Venetorum legatis capitale eſt, in legatione munera contrectaſſe. Hermolaus Barb. de Rep. Venet. qvi ipſe ob eandem cauſam exulatum ire juſſus eſt. Bodin. 3. de rep. c. 1. Itemq; Athenienſibus. Xenophon lib. 7. Rer. græc. Q. Fabius Gurges: Cn. Fabii Pictores. Q. Ogulnius legati ad Ptolemæum regem miſſi, munera, qvæ ab eo privatim acceperant, in ærarium detulerunt, de publico ſcil. miniſterio nihil cuiqvam præter laudem bene adminiſtrati officii accedere debere judicantes. Val. Max. lib. 4. c. 3. Videndum tamen an eâ mente munera data ſint, ut corrumperentur legati, an verò teſtificandæ benevolentiæ & honoris causâ: nam etiam Romani legatis munera dare ſunt ſoliti, teſte Livio.

Præterea legati adverſus omnem vim omnemq; eventum pectus imperterritum gerant.

Multa ſecus eveniunt, qvàm cogitata ſunt: ſed ideò non exuenda magnitudo animi: qvæ ſola qvemlibet rei eventum improviſum deprimit.

Confidentia animum vegetiorem reddat: nemo ex his non timiditate impediri ſe patiatur, qvo minus progrediatur celeriùs. Verſatur enim in re laudabili: in qvâ ſi meticuloſus ſit, canis muti nomen non effugiet. c. ſit Rector. 43. diſt. Docet qvippe negare qvi timidè rogat. Sen. in Hipp.

Fidelitas etiam legatorum maximè neceſſaria eſt prov. 13. & 25.

Qværi-

Qværitur, an Principi parére debeat legatus in rebus turpibus? Negatur. Major enim & fanctior effe debet cura confcientiæ, qvàm ejus qvi tantùm poteft imperare lingvis & corporibus. Steph. Jun. tr. de vind. tyr. q. 1. & de jur. Magiftrat. q. 3.

Doctrinam in legato non vulgarem reqvirimus, Sed ex omni difciplinarum genere cumulatiffimam: Depromat ex ifthoc myrothecio qvicqvid in deliberationibus publicis, qvicqvid in converfationibus utile futurum: Jurisprudentiæ, Philofophiæ & Hiftoriarum cognitio facem præferet, & infignem fibi conciliabit auctoritatem. Lingvarum etiam exoticarum noticia plurimum decoris addet.

Cap. XXIX.

Qvalem fe Legatus in ipsâ legatione obeundâ gerere debeat.

LEgatus exhibere tenebitur principis fui fcriptum mandatum, l. 5. C. de jure fifci. 10. C. 1. five literas credentiales, ut loqvi folemus. Omnes enim fciant, nemini qvicqvam, nifi qvod fcriptis probaverit, effe credendum, nec ullius dignitate terreri l. 1. C. de mandat. principp. Excipiunt CC. Legatum à latere. c. nobiliffimus 97. dift.

Porrò is qvi legatione fungitur, nihil præter fuum negotium agere, neq; alienis, neq; propriis rebus fe debet interponere. l. Paulus 8. §. fin. ff. de legat. Unde impediri legatio poffit. Qvòd fi qvid impedimento non eft legationi, eò fefe non extendit prohibitio. Nemo prohibetur rebus fuis, falvâ legatione, optimè confulere.

ar. l.

ar.l.legatus 12.ff.de legat. potestq; qvis damnum & injuriam legationis tempore sibi illatam, persequi. l.9. l. 10. eod. Legatio verò non deserenda est. l. 1. eod. qvæ moram non patiuntur, strenuè perficienda sunt ab illo ipso, cui injuncta est legatio, non à substituto.l.4. §.ff.4.eod.Nihil illi sit antiqvius, qvàm ut honoris dignitatisq; sui principis summam rationem habeat: fines mandati diligenter custodiat:nam si excesserit, aliud qvid facere videtur l.5. pr.ff. Mandati. l.11.§.5.ff. de inst.actione: Cumq; princeps certam formam præscripserit, certè omnem hujusmodi licentiam legato ademit. Alb. Gentil. lib.3.de legation. c.16. Qvod si præter mandatum aliqvid de novo emergens è re principis esse videatur, illicò certiorem reddat principem: aliudq; expectet mandatum & consensum principis. Qvòd si moram non ferat negotium: diligentissimè laboret in capiendo consilio, qvod principi utile futurũ: ejusq; causas statim ad ipsum principẽ deferat.Liberior potestas legatis indulta est, si mandato generalis ista clausula inserta fuerit: Reliqva cõmittimus tuæ prudẽtiæ & discretioni.Geil.1.de pp.c.4.n.30.

Ceterùm sedulò dent operam legati, ne qvid flagitiosè per se vel suos fiat. Eo enim casu si aliqvo scelere se obstrinxerint, privilegiis legatorum non fruuntur, liciteq; violantur. Dignum ergo supplicium luit Augusti legatus, qvi cùm venisset ad M. Antonium, sermone liberiore erga Cleopatram usus, verberibus nudus est cæsus. Dignum factis suis præmium experti legati Persici in aulâ Amyntæ Regis Macedonum: & tres illi Fabii ad Gallos missi. Solent etiam qvidam acceptarum à legatis injuriarum ultionem à principibus ipsis reposcere: ut Carolus Burgundus Legatis Ludovici XI.R.Gall.respondit: se ab Regis Cancellario contumeliosè habitum: brevi tamen futurum,ut regem facti pœniteret: nec mora, qvin eodem anno regem nihil tale cogitantem gravissimo bello urgeret,ac penè in rerum omnium desperationem adduceret. Phil.Comin.lib.1.

Cap. XXX.

Qvales eſſe debeant Legati poſt legationem obitam.

Legatus omni animi perturbatione ſemotâ, qvæ in legatione actitata ſunt, primùm fideliſſimè renunciet: nihil hic ſibi vindicet ira, nihil invidia, ut ſi fortè minus dignè ab iis ad qvos miſſus eſt habitus fuerit, idcircò famæ eorum detrahat: non ſit incendiarius turbarum, & qvi πῦρ ἐπὶ πῦρ (ignem ad ignem) addat: eaq; ſecretò etiam habeat, qvæ in legatione peregit, neminiq; niſi ei à qvo miſſus eſt, renunciet.

Legatum à legatione reverſum ſeparatim audiat Princeps, ac ſolús, ne ſi minùs jucunda renunciet, pavorem ea res atq; metum inferat multitudini. Sunt enim omnes cupidi rerum novarum: & non deſunt, qvi cùm familiariter norint legatum, audent ſibi polliceri fore, ut omnia reſciſcant. Verùm ſi judicio præditus eſt ille, cavebit modis omnibus, ne qvid efferat, qvod vel alienationem animis vel trepidationem excitare poſſet. Phil. Comin. lib. 1. p. 339.

Cap. XXXI.

De Privilegiis Legatorum.

Cum pro Reip. ſalute Legati in regionibus exteris variis ſint ſubjecti caſibus, æqviſſimum eſt, privilegiis qvibusdam iis ſubveniri: qvorum contemplatione ad ſuſtinendas itinerum difficultates faciliores reddantur.

1. Ex illis primum eſt, qvòd Legati non coguntur

durañ-

durante Legatione subire dubiam judiciorum aleam, sed domum revocandi jus habent. l. 2. de judic i. e. possunt petere, ut causa ad locum, in qvo habent domicilium, remittatur.

2. Deinde Legati non possunt capi pro repressaliis. Bar. in l. si qvis Legatum, in pr. ff. legat. Colerus de process. execut. par. 2. c. 3. n 186. & seqq.

3. Legatis restituendi sunt sumtus in legationem erogati. l. 2. §. si. ff. de legation. etiam ii qvos ad recuperandam sanitatem suam impenderunt. Bar. in l. his qvi §. qvamdiu. ff. ex qvib. caus. major. Qvòd si damnum in viâ fuerint passi, ad restitutionem rectè agent. Legati enim officium publicum est, qvod qvis etiam coactus subit, cujusmodi officia nemini sunt damnosa. l. post leg. 5. §. advoc. ff. de his qvib. ut indig. l. cùm postulas 44. de dam. infect. Legati legativum i. e. sumtus ex publico habent. l. 2. §. his q ff. de legat. Si in legatione mortui sint, viatica & honoraria Legato publicè constituta à fisco non vindicantur, sed ad legati hęredes ipso jure pertinēt. l. 10. de legat.

4. Legatorum præmia tria: Locus, Lautia, Munera. Loci nomine ædes liberas intelligimus. Romæ honestabantur sociorum legati concessu Orchæstræ. Justinus de Massiliensibus lib. 43. ob qvod meritum & immunitas illis decreta, & locus spectaculorum in senatu datus. Ita Hircano ejusq; filiis item Legatis, qvi ab eo missi, gladiatorum & ferarum pugnas spectare in sedibus senatorum. Josephus lib. 14 ca. 17. Lautia erant Xenia legatis missa. Plut. in probl. Rom. dicta à magnificentiâ præbitoris. Duar. 1. disp. cap. 25. In muneribus erat, qvòd illis de publico datur aureus annulus qvem palàm gerebant, eoq; posteà deposito, ferreo intra domos utebantur. Plin. lib. 33. c. 1.

5. Legatis in legatione mortuis statuæ erigebantur

in publico: ut qvi pro patriâ occubuissent,in perpetuum per gloriam vivere intelligerentur. pr. tit. Inst. de excus. tut. Statuas qvatuor illorum legatorum, qvos Lartes Tolumnius Vejentium R. interfecerat, in rostris longo pòst tempore stetisse testatur Cic. Philip. 9. Ita legatis à Teutâ Illyriorum reginâ interfectis, à P.Rom. statuæ sunt positæ: qvòd tribui solebat injuriâ cæsis. Plin. lib.34.c 6. Florus lib.2.c.5.

6. Legati dum absunt, si conveniantur domi, non coguntur mittere procuratorem. Zas. in l. qvia tractatur n. 18.& seqq.ff.de divers.& temp.præscript.

7. Vacationem à muneribus etiam legati Reip. obtinent, non modò in ipsâ legatione,sed biennio etiam pòst. l.7. in fin.& l.8.ff.de legat.l.3. C.eod.

Qværitur, an privilegia legatis concessa occasione legationis, etiam ad comites ipsorum extendantur? Affirmatur ar.l.12.de vac. & excus.mun.l.41.de excus.l.18.de off.præsid. Qvoniam & eadem indulta studiosorum famulis,qvæ ipsis studiosis.Geil.2.obs.68.n. 6.& 1.de pp.c. 6. nu. 21. Wesenb.cons.50. n.22. Friderus de continentiâ causarum.c. 19.n.12.

Cap. XXXII.

De Ministris Aulicis eligendis.

Ministros principi adjumentum præcipuum esse, ipsa testatur experientia: qvoniam parum tuta est sine viribus majestas. Liv. lib. 2. Atq; ut tuta esse possit, sint qvi custodiam corporis principis gerant, qvi si opus sit,nullum pro salute principis periculum reformident. Idq; in novo præsertim principatu fieri debere svadent Pansa & Hirtius apud Vell. Paterc. Principatum armis

mis qvæſitum, armis tenendum eſſe. Qvod cùm facere neglexiſſet Cæſar, tandem hujus ſuæ ſecuritatis colophonem tragicum ſortitur. Nam is etſi nominis & dignitatis ſuæ multos videret ſtudioſiſſimos, non tamen adduci potuit, ut præſidia ſibi adſciſceret. Plutar. Diverſus ab illo Romulus, atq; ideò tutior. Trecentos qvippe armatos ad cuſtodiam corporis, qvos Celeres appellavit, non in bello ſolùm, ſed etiam in pace habuit. Liv. lib. 1. Darius Rex Perſ. in eo regiorum præſidiorum apparatu admirandus. Currum decem millia haſtatorum ſeqvebantur: haſtas argento adornatas, ſpicula auro præfixa geſtabant: dextrâ levâq; regem ducenti fermè nobiliſſimi propinqvorum comitabantur. Curt lib. 3.

Miniſtri eligantur probi & fideles: Ab iis enim pleraq; prava aut recta. Melior eſt Reſp. & propemodùm tutior, in qvâ princeps malus ſit, eâ in qvâ mali principis adminiſtri. Capitolin. in Alex. Non peregrini: Odioſum enim reddunt Regem peregrini ſervi. Hinc Naberſanes vitio vertit Dario, qvòd peregrinos circum ſe haberet. Curt. lib. 6. Et aliis nonnihil nocuit peregrino ſatellite cingi. Uſi ſunt Auguſtus & Tiberius cuſtodiâ Germanorum: Caligula Batavorum: Galba evocatorum.

Cap. XXXIII.

De Aulæ moribus.

Aulicorum qvorundam mores contemplabimur: eo fine, ut tela iſta prævisa minùs nocere nobis poſſint. Pleriſq; eorum ineſt contemtor animus: & Superbia, commune nobilitatis malum. Saluſt. in Jug. Vi-

tium in rebus ſolenne ſecundis, Claudian. lib. 2. de ſtil. laud. & qvodammodò naturale. Vell. Paterc. lib. 2. At vero iſti qvanto ſuperiores ſunt, tantò ſe ſubmiſſiùs gerere debebant. Cic. 1. Off. Nam qvo fortuna altiùs evexit ac elevavit humanas opes, hoc ſupprimere ſe magis felicé decet. Sen. Trag. Præterea illorum non ferè qvisqvam literatorum induſtriæ favet: nullis noſtris officiis benevolentiam illorum allicere poſſumus. Cic. 7. in Verr. deſpiciunt omnes veluti inferiores, qvandoq; etiam Vatiniano odio proſeqvuntur. Plus ſibi videntur poſſe qvàm poſſunt. Alius eloqventiæ fiduciâ prolabitur, alius patrimonio ſuo plus impetravit qvàm ferre poſſit: alius infirmum corpus laborioſo oppreſſit officio. Senec. de tranq. an. c. 4. magnaq́; vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Senec. ep. 1. Ecqvid illud eſt? Addicunt animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum eſt. Id. ep. 112. Jactant vires ſuas coram iis, qvibus aliqvid in aulâ negotii eſt: audacter promittunt, fideliter ſe acturos cauſam: ſi penitiùs introſpicias, ludunt: nonnunqvam etiam impedimentum, qvantis poſſunt viribus, objiciunt, cùm paulò antè adjumento ſe futuros polliciti eſſent. Hoc pacto Comicam faciem præferunt: & tragicam perſonam agunt:

Ore aliud, tacitoq́; aliud ſub pectore verſant: adjiciunt complexus & oſcula, facti naturâ, & conſvetudine exerciti velare odium fallacibus blanditiis. Tacit. lib. 14. an. p. 320. Vivum in Abnero & Joabo exemplum eſt. 2. Sam. 3. Hic tibi velim commendatam eſſe fidem Diabolorum. Qvænam eſt illa inqvis? Credunt illi & contremiſcunt D. Jacob. in ep. c. 2. ỷ. 19. Sic tu crede, & treme; Artificium non leve adhibent, ut

capi-

capiant faciliùs, more aucupum. Secretis criminationibus infamant ignarum, & qvo incautior decipiare, palàm laudatum. Tac. 1. hist. Istis omnibus ad reprehendenda aliena dicta & facta ardet animus: vix satis apertum os, aut lingva promta videtur. Salust. ad Cæs. Similes hyænæ, qvæ stabula pastorum seqvitur, & auditu assiduo addiscit vocamen, qvod exprimere possit imitatione vocis humanæ: ut in hominem astu accitum noctu sæviat. Solin. cap. 40. Experti sunt hoc ipsum Josephus in aulâ Pharaonis Gen. 39. ℣. 14. Achimelech. 1. Sam. 22. ℣. 9. Mephiboseth 2. Sam. 16. ℣. 3. & 19. ℣. 26. Naboth. 1. Reg. 21. ℣. 6. Ita Theodorus Stippiotes à Cathameri Logothetâ oneratus calumniis apud Manuelem Imp. excæcatur. Nicet. lib. 3. Ita Bellisarius & Joannes Dux apud Justin. Imp. Cornelius Gallus apud Augustum. Usq; adeò fucata omnis inter eos est amicitia: arctissimo familiaritatis nexu obstringere se solent inter pocula, etiam ii, qvi alio modo qvàm helluatione istâ inter se sunt ignoti. At tu qvi vitream istam vitro sancis amicitiam, audi Martialem lib. 9. epig. p. 223.

Hunc qvem cœna tibi, qvem mensa paravit amicum
Esse putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprũ amat, & mullos, & sumen, & ostrea, non te,
Tam bene si cœnem, noster amicus erit.

Et Nicetas lib. 3. Manuelis. Observa, inqvit, qvantum licet, eos æmulos, qvi ingeniis sunt illiberalib. & morib occultis prediti, lingvaq; pollent ab animo dissentiente: ac custodiâ muni os tuum, nec sinas lingvam temerè extra dentium septum & labiorũ munitionem evagari, qvib. à naturâ qvasi duplici vallo est inclusa. Huc referendum est illud Solonis:

Tu ſi ſapis, fac ſingulos probè obſerves,
Ne fortè qvisqvam tegat, qvod habet intus
Odium: & interim vultu loqvatur blando,
At lingva duplex, ex atrâ ſonet mente.
Ergo proborum appetendum conſortium:
Boni ſub hoc expetunt, rem, fidem, honorem,
Gloriam & gratiam, hoc probis precium eſt:
eo mihi magis lubet
Cum probis potiùs, qvàm cum improbis vivere vanidicis.

Plaut. in Trinum.

Cap. XXXIV.

De Subditis: & qvibus modis qvis Subditus fiat.

SUbditus eſt qvi jurisdictioni ſubeſt, in qvo illa exercetur. Præter principem autem omnes omninò qvi illi ſubſunt, ſubditi ſunt: at princeps ſubeſt nemini, niſi Deo & naturæ. Dn. præcept. Vultejus lib. 1. Jurisp. c. 15. n. 3. Fiunt Subditi origine & domicilio. Origo ſive nativitas ſubditum facit. l. 1. pr. l. 6. & l. finge. §. 3. ff. ad Municip. Qvòd ſi qvis ex diverſarum Civitatum parentibus natus ſit, patris non matris conditionem ſeqvitur, l. 1. §. 2. ff. eod. l. 3. C. de municip. 10. C. 38. & ibi Cujac. l. nullus 44. C. de decur. niſi filius ſit vulgò qvæſitus. Is enim matris originem ſeqvitur. l. 1. in fin. l. ejus qvi 9. ff. ad Municip. Domicilium conſtituit ſubditum, in qvo qvis fortunarum ſuarum ſedem fecerit. l. 3. & ſeqq. ff. eod. c. licet ratione, de for. compet. Non

verò

verò nudâ ſolùm conteſtatione domicilium inducitur l. 20.ff.eod. nec ſolius emtione domûs.l.17.§.13. d. t. Sed re & facto. l.20.27. eod. h. e. ipsâ habitatione concurrente cum animi conteſtatione. D.Præcep. Güddæus ad l. 203. n. 2.ff.de V. S. Qvanto verò tempore domicilium contrahatur, Dd. diſcrepant. Alii decennii habitatione hoc fieri ajunt. Soar. in com.opin. lit. D.n. 115. Molin. 5. conſ. 61. n.21. Alii judicis arbitrio hoc relinqvendum putant. Menoch.1.arb.cent.1. caſ.86.n.16. In Civitatibus Germaniæ paſſim incolatus poſt annum acqviritur: neq; permittit Magiſtratus, advenam diutiùs ibi commorari, ſi lapſo anno jura civium redimere nolit. Geil.2.obſ.35.n.8. Venetias annos 14. incolere neceſſe eſt iis, qvi jura civium plebejorum adipiſci velint: qvi tamen ab imperiis omnibus & omni ſuffragiorum jure ſummoventur. Bodin. lib.1.de Rep.c.6.

Cæterùm incola obligatur ad obſervantiam conſvetudinum ejus loci in qvo habitat.l.incola. 29.la.1.ff.ad Municip.l.un.C. ubi pet. tut. Si extra illum locum deliqverit, tradunt Dd. non puniri eum poſſe ſecundum loci domicilii ſtatutum. Rochus, Curt. tract. de conſvet. n.726. & ſeqq. Phil. Fran. & Dd. c. ut animarum §.1. arg. illius text. de conſtit.lib.6.Bal. & Ang. in l.fin.ff.de jurisd.om. jud. Poteſt autem qvilibet ſponte ſuâ domicilio renunciare, qvod tum fieri cenſetur, cùm ſe ſuaq; bona in alium locum transfert l. incola 34. l.nihil 31.ff.ad Municip. Sed renunciatio plerumq; fit cum onere, ſecundum cujusq; loci conſvetudines, ut nimirum renunciantes de bonis ſuis Magiſtratui aliqvid penſitent: quæ penſitatio **Nachſteuer** dici ſolet. Domicilio verò originis de jure communi renunciare non poſſumus, qvocunq; enim ſe transfert civis originarius, nihilominus jus originis retinet l.4.C.de Municip. nempè qvo ad munera & honores. Geil.2.obſ.36. n.5. ſecùs eſt qvoad jurisdictionem; nam forum orignis amittitur, relicto originis domicilio, atq; alibi novo con-

stituto. De Consvetudine verò civis originarius renuncians civitati, & domicilium aliò transferens, desinit esse civis, non solùm qvo ad munera, verùm etiam qvo ad jurisdictionem. Matth. de Afflict. decis. 384. Geil. 2. obs. 36. num. 7. & seqq.

Cap. XXXV.

An peregrini habendi numero Civium.

PEregrinos in Civitatē multi præmiorum magnitudine ac immunitatum illecebris alliciunt: sive ad suos cives erudiendos, sive ad finitimos debilitandos: sive ad opes & copias cogendas: sive ad immortalem gloriam, qvam sese adepturos sperant, si oppida à se fundata civium multitudine ac rerum omnium abundantiâ reddant clariora. Hoc pacto Theseus populosissimas effecit Athenas. Plut. in Thes. Et Alexander M. urbem ad ostia Nili conditam, qvam de nomine appellavit Alexandriam. Joseph. lib. 3. bell. Jud. Et Cæsar non singulis tantùm hominibus, sed etiam integris nationibus civitatem assignavit. Cic. 1. Philip. qvem imitatus Antoninus Imp. qvi civitatis jus, qvod anteà magno constabat, omnibus in Imp. Rom. degentibus concessit. l. 17. ff. de statu homin. Sed enim, receptis in urbem peregrinis, nihil magis extimescendum, qvàm qvòd peregrini mores inducuntur; atq; inter eosdem cives diversa vivendi ratio habetur, civiumq; jura nonnihil ab exteris labefactantur: nam qvod locusta segeti, id civitati peregrinus. Cæs. 5. pol. 3. Qvæ res Spartanos fortè movit, ut peregrinos civitatis participes esse noluerint. Tzezes Chil. 7. hist. 130. Xenoph. de rep. Spart. Ipsosq; etiam Athenienses auctâ civitate peregrinos

nos exclusisse. Plutar. in Pericle commemorat: qvòd peregrinitatem in urbem invectam multis creasse infortunium didicerant. Arist 5. pol.3.

Accedit quòd cuiq; in externis locis minor est ad facinus verecundia. Cic. lib.4. ep. fam. ad Marc.

Recipi tamen possunt interdum qvibusdam conditionibus: nempè si bonæ sint nationis, si præter meritum suum miseri, aut religionis causâ solum vertisse videntur; si deniq; magna sit civium penuria, ut necesse sit externa præsidia appetere.

CAP. XXXVI.

An Judæi sint habendi numero Civium.

MIsera hæc gens vivum iræ divinæ speculum est; peragratur varias mundi plagas, patriâ suâ extorris, & nusqvam ferè tuto collocatur loco. Sed éstne ex usu reip. eam admitti in Civitatem? Sanè qvi negant, impietatis & blasphemiæ eorum commoventur, ne idipsum concedant. Stante politiâ Judaicâ lex illis fuit à Deo posita, ne qvem suo cætui admistum haberent blasphemum, impiúmve; eum repertum devovendum diris; qvid nunc, an non qvod in aliis æqvum putaverunt, in suâ personâ valere patiantur? Fœnus agitant, & Christianos in fraudem pellicere, laudi ducunt. Artes, præter fœnerationem, ferè nullas exercent; aut si qvas habent, earum vim universam ad Christianorum incommodum dirigunt. Ut marsupia fœnore, ita facultates corporis vitales medicamentis exhauriunt, & experimenta per mortes agunt. Langi⁹ lib.1. ep. Med. 71.

Neq;

Neq; enim medicamentum ab iis eſt ſumendum. c. nullus eorum. 28. q. 1. Qvib. de cauſis non tolerantur in qvibusdam regnis & rebusp. Galliam non incolunt. Gagvin. lib. 7. hiſt. Franc. Petr. Greg. in Syntag. jur. lib. 22. cap. 3. nu. 23. Et à plerisq; Germaniæ provinciis ſunt extorres.

Verum enimverò honorem hunc habeamus genti miſeræ, & omnium potiùs miſericordiam, qvàm indignationem in ſe commoventi: Contemplemur iſta divinæ vindictæ ſpecula: & exinde in animum nobis revocemus, qvantoperè hæc gens olim præ reliqvis floruerit, tantoperè nunc contemtu ſordeſcere. Nec eſt, qvòd prorſus de illorum pervicaciâ nobis inſideat, nam converſionem eorum ante mundi finem fore diſertè prædicit divina veritas. Rom. 11. ℣. 26. Sophon. 3. ℣. 7. & 8. Hoſ. 3. ℣. 4. Qvin & olim collegia Judæorum, permiſſu ſuperiorum, habita. l. 15. §. ἤδη καὶ Ἰουδαῖοι ff. de excuſ. Tut. l. 3. §. ult. ff. de decur. l. circumcidere ff. ad l. Corn. de ſic. Cujac. 7. obſ. 30. eosq; nec vetus Chriſtianorum Eccleſia rejicit.

Certis tamen conditionibus tolerari poſſunt: ut tranqvillè & pacificè vivant: ut habitu utantur à Chriſtianis diverſo. c. in nonnullis. 15. ext. de Judæis. ne præficiantur officiis publicis. c. cùm ſit nimis 16. c. ex ſpeciali ext. de Jud. ne Chriſtianos habeant pro ſervis. c. Judæi. 5. c. multum 2. c. adhæc 8. c etſi 13. ext. de Judæis: ne novas Synagogas ſibi extruant c. Judæi 3. ext. de Judæis. Cujac. 16. obſ. 3. l. ult. C. de Jud. Deniq; ne matrimonia cum Chriſtianis ineant c. ſi qvis Judaicæ in pr. 28. q. 1. l. 5. C. de Jud.

Cap. XXXVII.

De officio Subditorum erga Magiſtratum.

Subditorum eſt Magiſtratui ſincero ex affectu debita præſtare officia: qvæ verſantur in exhibitione honoris

noris obedientiæ, tributi & operum militarium.

Honor est in recognitione superioritatis, & veneratione Majestatis tanqvam divinæ. Ps.82. ℣. 6. Time Deum, honora Regem.1. Pet. 2. ℣. 17. Atq; hunc honorem comitatur vera benevolentia: qvam declarant pii subditi, cùm preces pro salute Magistratuum fideliter concipiunt. 1. Timoth.2. exemplo captivorum in Babylone, qvi etiam pro Magistratu Eth. orare sunt soliti. Jerem.29. & Seniorum, qvi Davidis doluerunt vicem.2. Sam. 12. Peccant ergo qui calumniis Magistratum insectantur. Exod. 22. & qvi singula illius facta rimantur, & ad deteriora flectunt. Hi pœnas dabunt suæ curiositatis & vaniloqventiæ 2.Pet.2. ℣.10. unà cum Chamo, generosi patris degenere filio.Gen.9.

Obedientia subditis incumbit in politicis qvidem omnimoda: Omnis enim anima potestati subdita sit.Rom. 13.℣.1. cui si qvis resistit, ordinationi divinæ se restitisse noverit.Rom.13.℣.2.

Edictis itaq; Magistratuum durioribus, & fortasse iniqvis mos gerendus est. 1.Pet.2.℣.18.1.Sam.8.℣.10. Illa licet qvandam sapiant injusticiam, subditi tamen justè ita plectuntur à Deo occultis qvibusdam de causis: Isti verò talia jubentes divinam vindictam non effugient, & immanè torqvebuntur. Sap. 6. Qvid si contra conscientiam in religionis negotio qvid jubeant? Respondet Petrus: Oportet Deo magis obedire qvàm hominibus. Cui consentit apud Platonem Socrates dicens: πείσομαι τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν. obediam Deo magis qvàm vobis. Qvamdiu Imperator non jubet divinis mandatis contraria tamdiu parendum: sin secus: tum cœlestis Imperatoris ratio potior: Ille corpus tantùm, hic & animam perdere potest: Ille gladium, hic gehennam minatur. Qvid verò licétne Subditis adversus Magistratum illicita mandantem, arma sumere? Non sanè videtur: qvi enim gladium

pri-

privatâ auctoritate sibi usurpat, eodem peribit. Matth. 26. Proverb. 24. ℣. 21. & 22. Qvòd si debita officia non præstant subditi, Magistratus bona eorum capere potest, & tenére tantisper donec ad frugem redeant. l. si qvis 6. §. 1. ff. de pœn. Geil. 1. obs. 17. n. 8. Neq; possunt se auctoritate propriâ subducere ab obedientiâ ejus, qvi propter delictum privandus est jurisdictione, ante sententiam privationis, c. nónne 8. q. 4. c. sæpè. ext. de appellat. Retinetur enim administratio usq; ad sententiam. Bart. in l. post contractum 15. ff. de donat. ar. l. aufertur 46. §. in reatu ff. de jure fisci. l. reo. 41. ff. de solut.

Tributi præstatio etiam facienda est subditis, ut sub tutelâ Magistratûs commodiùs vivere possint. Rom. 13. ℣. 6. & seq. Tributa enim ad conservationem gubernationis judiciorum & pacis publicæ indicuntur: ut dicetur infrà lib. 4. c. 19.

Deniq; in operis militaribus spectantur subditorum erga Magistratum studia: qvotiescunq; illa suscipiuntur ad defensionem Reip. & tranqvillitatis civium: qvâ de re infrà lib. 6. latiùs.

Cap. XXXVIII.

De numero civium.

NOn satis probè prospectum videtur Civitatibus populosis: qvoniam confusionem munerum civilium introducit multitudo civium: atq; illi ipsi qvi intra eadem mœnia degunt, ita inter se ignoti sunt, moribusq; aliqvantum discrepantes, ut penè alii esse videantur. Inde periculis communibus ingruentibus animorum seqvitur distractio: & qvæ eam comitatur, seditio. An fructuosa sit tanta Civium copia, viderint ii, qvi habenas populo-

ſiſſimarum civitatum moderantur. De Venetorum & Athenienſium cenſu vide Bodin. lib.4.de Rep.c.1.p.699.

Mediocri itaq; civium numero contenta Civitas feliciùs efflore ſcet: Si tamen jam multi radices egerunt, non ideò exſcindendi, ſed potiùs in claſſes digerendi, curiisq; & collegiis diſtribuendi ſunt: qvod feciſſe Servium Tullium memorat Florus lib.1. c.6. cujus ſolertiâ ita ordinata eſt resp. ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumq; discrimina in tabulas referrentur, ac ſi maxima civitas minimæ domûs diligentiâ contineretur. Flor. ib.

CAP. XXXIX.

De Ordine Eqveſtri, & Nobilitate.

PRimus civium in Rep. ordo eſt Eqvitum ſive Nobilium: Horum tres gradus deprehendimus. Primo loco collocantur ii, qvi & ſuâ & majorum virtute nobiles ſunt, armis vel literis claritatem adepti. Secundo gradu ſunt ii, qvi tantùm ſuâ virtute ſunt nobiles, accedente beneficio principis, nobilitatis jura concedentis. Tertio loco ſunt, qvi tantùm majorum crepant imagines, propriæ virtutis egentes. In hos qvadrat iſtud Juvenal. Sat.8.

> Stemmata qvid faciunt? qvid prodeſt, Pontice, longo
> Sangvine cenſeri, pictosq; oſtendere vultus
> Majorum, & ſtantes in curribus Æmylianos?
> Qvis fructus generis tabulâ jactare capaci
> Famoſos eqvitum cum dictatore magiſtros,
> Si coram Lepidis malè vivitur?

Et illud Ovid. ad Pison.

——perit omnis in illo
Gentis honos, cujus laus est in origine sola.

Unicum enim Nobilitatis fundamentum est Virtus: qvæ ——omnibus rebus anteit profecto:
Libertas, salus, vita, res, parentes,
Patria & prognati tutantur, servantur.

Plaut. in Amphytr.

Privilegia nonnulla ordini huic vel legis beneficio, vel concessione Principis, vel consvetudinis vigore indulta sunt: horum aliqva adducemus. Potissimum est si deliqverint, qvòd mitigari illis pœna solet, nisi atrocissimum fuerit crimen. l. sacrilegi. pr. & §.1. ff. ad l. Jul. pecul. l. ult. ff. de incend. ruin. naufrag. l. ult. de sepul. viol. l. 2. de term. moto l. 11. de pœn. l. 6. §. 2. in fin. ff. de interdict. & releg. Ita legimus apud Sveton. in Aug. c. 5. qvòd C. Lectorius adolescens patricii generis ad deprecandam graviorem pœnam adulterii natales inter cætera allegârit: & qvòd Scaurus propter vetustam nobilitatem, & recentem patris memoriam absolutus fuerit. Val. Max. lib. 8. ca. 1. Vide qvæ dixi suprà cap. 20. Nec possunt subjici torturæ. l. omnes judices. 33. C. de decur. lib. 10. l. severam. 10. C. de dignit. lib. 12. l. milites 8. l. Divo. 11. C. de qvæst. l. nullus 4. C. ad l. Jul. Majest. l. Desertorem 3. §. 1. ff. de re mil. c. nullus 6. q. 1. usq; adeò ut judex, qvi nobilem torturæ subjecerit, capitaliter delinqvere dicatur. Bald. in l. Decuriones. C. de qvæstion. nec consvetudo in contrarium valeat. per tex. l. 2. §. in filiis. ff. de Decur. l. omnes C. eod. l. Divo Marco C. de qvæst. Jason ad l. 32. n. 66. ff. de legib. Huic privilegio affine est, qvòd per procuratorem comparére possunt in criminalibus. l. ult. C. de injur. & si condemnentur, à furcæ supplicio sunt immunes. Schrad. de feud. part. 9. c. 3. num. 66.

Nobiles etiam sunt immunes à munerib. publicis. l. præci-

præcipimus. l. senatorum. l. qvoniam C. de dignit. lib. 12. habentq; prærogativam in asseqvendis Magistratuum muniis, qvemadmodum etiam in dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis Canonicatuū præferuntur ignobilioribus. Tiraq. de Nobil. c. 20. n. 10. & seqq. Prætereà si conveniantur Nobiles, in qvantum facere possunt, relinqvuntur eis ampliores sumtus, qvàm ignobilioribus, nempè ut lautiùs sese alere possint. c. non cogantur 41. dist. & si qvi ex iis non possident immobilia, satisdare non tenentur. l. qvoties & ibi Bart. C. de dignit. lib. 12. Cæterùm de aliis Nobilitatis juribus vide eleganter differentem Tiraq. tr. de Nobil. c. 20. Nos de amissione nobilitatis pauca subjiciemus.

Causarum, ex qvib. amittitur Nobilitas, aliæ sunt apparentes, aliæ veræ. Illius farinæ sunt 1. paupertas. 2. advocandi, & 3. judicandi munus. Hujus, vitæ turpitudo, & professio sordidarum artium.

Paupertate non amittitur nobilitas. ar. l. humilem C. de incest. nupt. Etsi verò vulgò ludibrio esse solent Nobiles isti (qvandoqvidem

Et genus, & virtus, nisi cum re, vilior algâ est.

Horat. 2. Serm. Sat. 5) verissimumq; sit, necessitate pressis decora à majoribus parta, oneri esse: impudentiam, in qvæstu haberi: Non tamen ideò privilegiis Nobilitatis excidunt. Absint licet Nobilitatis fulcra & columnæ, Divitiæ, ipsa tamen nobilitas & generositas manet. Stob. serm 86. Tiraq. c. 25. n. 1.

Advocandi autem munus Nobilitatem abolere non potest: præsertim si in summo Imperii Tribunali id fiat: namq; laudabile eorum est officium. l. laudabile C. de advocatis divers. judic. & honoratum l. qvisqvis in fin. ibi. honori suo. C. de postul. Ita Germanicum orasse causas refert Sveton. in Calig. c. 3.

Deniq; nec Judicandi munus ullam Nobilitati ma-

culam inurere poteſt: nam qvæ major poteſt eſſe gloria, qvàm præeſſe judiciis; per qvæ conſervatur hominum ſocietas? l. judices, C. de dignit. lib. 12. qvis non eum, qvi litibus decidendis operatur, ſummis honoribus digniſſimum exiſtimet? l. ſemper. in pr. ff. de jur. immunit. l. 3. §. 1. ibi, jure honoris. ff. qvod met. cauſ. l. obſervandum in fin. ff. de off. præſid. Unde major profeſſioni auctoritas, qvàm, qvòd filiof. judici in patrem jus competit? l. ille à qvo §. ult. & l. ſeq. ff. ad Trebell. Nec deſunt exempla nobiliſſimorum hominum, qvi juridicundo præfuerunt. Inter illos Priamus apud Virg. 7. Æn. Romulus & Tarqvinius apud Liv. lib. 1. Philippus Macedo, & Alexander M. apud Plut. in Apopht. Auguſtus apud Sveton. c. 33. Julius Cæſar apud eund. c. 43. Galba apud Val. Max. lib. 6. c. 2. Veſpaſianus apud Dionem: Trajanus: Hadrianus: Severus: & alii. Sed hactenus de apparentibus amittendi Nobilitatem cauſis: Subjungemus veras.

Certiſſimum eſt eum, qvi illicitas exercet artes, indignum ſe nobilitate facere. l. ſi qva. C. de ſec. nupt. l. 1. C. ubi Senatores vel clariſſ. c. nobilis. 2. q. 5. adeò ut etiam filiorum nobilitati præjudicet. l. Divo Marco II. C. de qvæſtion. Si ſcilicet poſt delictum, & ob id abrogatam Nobilitatem ſint editi. Vid. Tiraq. de Nob. c. 85. Cravett. conſ. 165.

Porrò artium ſordidarum exercitiis non obfuſcatur tantùm Nobilitas, ſed & planè tollitur. Illiberales & ſordidi ſunt qvæſtus (ait. Cic. 1. Off.) mercenariorum omnium: qvorum operæ, non qvorum artes emuntur. Eſt enim in illis ipſa merces auctoramentũ ſervitutis. Atq; eam ob cauſam Romæ qvæſtus omnis patribus indecorus eſt viſus. Liv. lib. 21. Et Tarqvinium viliorem fecit, qvòd mercaturam pater ejus exercuiſſet. Val. Max. lib. 3. c. 4. Nec non Veſpaſianum Imp. qvòd negotiationes vel privato puden-

pudendas usurpârit. Sveton. cap. 16. Et Capitolinus inter Pertinacis sordes numerat, qvòd mercaturæ operam dederit. Indigna ergo nobilioribus videri debet omnis Negotiatio, vel minimi lucri causâ suscepta. l. nobiliores C. de commerciis & mercator. l. ne qvis C. de dignit. lib. 12. Mynf. 6. obs. 54. Tiraq. de Nobil. c. 33 nisi hoc ipsum summâ necessitate alicui impositum sit. Nam & M. Æmylio Scauro nihil offecit, qvòd pater ipsius paupertate coactus Carbonariam exercuisset. Jac. Curtius tom. 1. conject. lib. 2. c. 29. Nos ab ordine Eqvestri ad classem literatorum transitum facimus.

Cap. XL.

De Theologis.

MAgna Theologorum in ordine literatorum dignitas, magnum eorum munus. Nam gloriosæ vocis confisi munimine divina mysteria populo enunciant: simplicioribus viam monstrant salutis æternæ: gregemq; sibi commissum sectari virtutem, aversari scelus non tam monitis qvàm exemplo docent. Noverint, se intra cancellos suos esse debere constrictos: meminerint, absurdissimum esse, si causarum secularium peritos se ostenderint. c. cùm ad verum. dist. 96. c. sacerdotibus in fin. & toto tit. Ne Cler. vel Monach. sec. neg. se immis. Nov. Leon. 86. l. repetita vers. absurdum C. de Episc. & Cler. Horum curiositas publicis Magistratûs edictis refrenanda est: ut & eorum, qvi foris qvidem præseferunt modestiam, intus fastu & ambitione nimis turgent, dealbatis sepulcris similes: suntq; in aliorum vitiis lyncei, in suis talpâ cæciores: sive ut loqvitur Cobares apud Curtium lib. 7. cap. 4. in suo qvisqve negotio

hebetior eſt, qvàm in alieno. Nempe privati odii pertinacia illos ſtimulat, ut maledictis proſcindere ſoleant immerentes.

Cap. XLI.
De Jureconſultis & Advocatis.

Dolendũ proh dolor! tam ſiniſtra vulgi judicia paſſim audiri de Jureconſultis & Advocatis, qvi dirimunt ambigua fata cauſarum, ſuæq; defenſionis viribus in rebus ſæpè publicis ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant: qviq; non minùs provident humano generi, qvàm ſi præliis atq; vulneribus patriam parenteſq; ſalvarent l. 14. C. de advoc. div. judicior. Miſeri illi plebeculi aut inſcitiâ aut invidiâ, id qvod Rabularum eſt proprium, impingunt Advocatis. De Rabulis, qvos aut rei domeſticæ abſorpta ſubſtantia, aut cœcus ambitionis æſtus, in forum egit, verum eſt illud Caſſiodori: Horum ſi nares afflaverit cujusqvam rubiginoſi aura marſupii, confeſtim videbis illic oculos Argi, & manus Briarei, & Sphyngarum ungves, & perjuria Laomedontis, Ulyſſis argutias, Sinonis fallacias, fidem Polymneſtoris, & pietatem pigri Leonis adhiberi. Horum vaniloqvas lingvas præcidendas eſſe ſcribit Bernhard. lib. 2. conſid. ad Evgen.

Huic uni ſolent ſtudio ſe dedere & arti,
Verba dare, ut cautè poſſint pugnare, dolosè
Blanditiâ certare, bonos ſimulare viros ſe,
Inſidias facere, ut ſi hoſtes ſint omnib. omnes.

Lucil. apud Lactan, lib. 5.

Iſta

Iſta viliſſima capita, forenſia pecora, ac togati vultures. Apul. 10.Met.qvi audacter cum Cicerone profitentur; ſe tribus menſibus futuros JCtos: neutiqvam comparandi ſunt cum Advocato legum & morum perito, qvi eſt Inſigne mœſtis præſidium reis. Hor. 2 od. 1. Rabularum iſte venalis grex, Sen. in Apotheoſ.

clamoſi rabioſa fori
Jurgia vendens improbus, iras
Et verba locat. Sen. in Herc. fur.

Advocatus moderatè & prudenter labentibus rebus ſuccurrere, lapſas reſtituere novit.

Ceſſent ergo vaniloqva vulgi judicia: & licet non ceſſent, Advocati tamen probi iſtis non commoventur, perinde ut eqvus generoſus canum latratus alto ſupercilio deſpicit. Advocatos autem intelligimus omnes omninò, qvi cauſis agendis qvoqvo ſtudio operantur, l.1.§.11.ff.de extraord. Cogn.

Cap. XLII.

De Medicis & Alchymiſtis.

EAdem hîc repetenda eſt qverela, qvòd Medicis nonnulli peſſimo ex affectu laudem ſuam detrahunt: Et ne ſine atrocitate aliqvid protuliſſe videantur, farraginem ſcommatum conſarcinãt, ex ſcriptoribus omnis ævi: iisq; integram Medicorum famam onerant. Ajunt, Romæ exiguum Medicis habitum honorem, idq; exinde colligi, qvòd templum Æſculapii extra urbem poſitum: qvòd & Servis hoc ſtudium familiare fuerit: deprehendi id ex Qvintiliano lib. 7. c. 2. Svetonio in Nerone. Senecâ 3. de benef. c. 24. Et qvod fortius eſt, ex l. Thais. §. Lucius ff. de fideic. libert. l. alimenta ff. de alim. & cib. leg. l. Sejo ff.

 de ann.

de ann. legatis. Romam ſine Medicis annos amplius 600. floruiſſe. Bodin. de rep. p. 563. Et Babylonios expuliſſe eos urbe. Herod. lib. 1. Progrediuntur etiam paulò longiùs Medicorum Irriſores, experimenta eos per mortes aliorum ſolere facere. Plin. lib. 29. N. H. c. 1. adeoq; non ferendum, delicta eorum manere impunita. Sed non advertunt iſti ſcioli ſacratiſſimæ hujus ſcientiæ dignitatem, qvam & ab ipſo Deo, & à præclariſſimis orbis Monarchis, & à qvotidiano uſu obtinuit.

A Deo. Nam hanc ipſam profeſſionem ſanctiorem reddit, qvòd medicinam ipſe Chriſtus laudabiliter exercuit, ſanando hæmorrhoides Mar. 5. ℣. 22. paralyſin Matth. 9. febrim Johan. 4. aliosq; morbos innumeros. Et herbas eo fine condidit, ut eſſent qvi eas uſui hominum ſalutari applicare noſſent.

A principibus non minor conciliata eſt huic diſciplinæ auctoritas: nam & eximiam illius ſcientiam calluerunt, qvi ſeqvuntur.

Mithridates, XXII. gentium Rex, non ita ſeſe oblectavit aut audiendis legationibus, aut veneratione ſubditorum, qvàm cultu Medicinæ: nomen ab illo adeptum eſt Alexipharmacon contra venena. Galenus lib. de commendationib. Theriacæ ad Cæſ.

Maſiniſſa ille præfractâ cervice præditus adverſum labores, non multos ſecum duxit Medicos, ſed in ſpeculâ qvâdam deliteſcens ſua ſibi obligavit vulnera. Liv. lib. 9. dec. 2.

Iisdem ſtudiis occupatum fuiſſe Salomonem accepimus à Joſepho 8. antiq. 2.

Et Jubam Regem Mauritaniæ, qvi volumen ſcripſit de Evphorbio Plin. lib. 25. c. 7. qvemadmodum & Gentium Illyriæ Regem, à qvo Gentiana dicitur.

Uſus verò Medicorum in Rep. eximius eſt. Nam non tan-

tantùm ad ægros animi sui sollicitudinem referunt, sed etiam ad validos & robustos, qvibus rationem conservandæ sanitatis præscribunt. Atq; ut parva sæpè scintilla neglecta maximum excitavit incendium: Curt. lib. 6. Ita, qvod primum leve nobis videtur in corpore malum, excrescit in morbos acutos, non adhibitâ curâ Medici: Rectè enim illa adhibenda: nam in morbis nihil est magis periculosum, qvàm immatura medicina. Sen. consl. ad Helvid.

Olim etiam Medici simul erant Chirurgi. l. qvâ actione. §. ult. l. idem juris. ff. ad l. Aqvil. l. cùm de lanionis. §. in instrumento ff. de instruct. vel instrum. leg.

Contemplatione utilitatis, qvæ per Medicos accedit Reip. immunitatem illis concessit Augustus. Dion. lib. 53. qvi & Archiatro suo Antonio Musæ non vulgare gratitudinis monumentum erexit. Plin. lib. 29. N. H. c. 1.

Alchymistæ an in civitatem admittendi, magnis experimentis, majoribus dispendiis famigerabilis est disceptatio. Excludit illos Petrus in thesaur. concl. crim. th. 168. & salsè eos deridet Erasmus in Dial. Alcumist. p. 355. & seqq. itemq; Rollenhag. in suâ Batrach. qvòd utplurimùm pro carbonibus cineres, pro metallis & auro cinerum favillas micantes in furno relinqvant. Lang. ep. med. 53. nec verum aurum, sed tantùm apparens conficiant. Bald. c. 1. col. 5. ext. de constit. sive auro qvid simile, D. Th. 2. sent. dist. 7. q. 3. art. 1. Nam probatissimo auro tria sunt peculiaria, qvod est tenuissimum, qvod igne non consumitur, qvod non tingit. Freigius lib. 26. Phys. p. 703. qvæ Alchymistico non congruunt. Nec mutari possunt metallorum species. Bruno Seidelius. lib. 2. phys. cap. 2. Qvâ de re judicent alii; ego litem meam non facio: & hinc abeo ad Philosophos.

Cap. XLIII.

De Philofophis, Oratoribus & Poëtis.

NEmini dubium eft, Philofophiam ex fuâ fœcunditate plurimas artes peperiffe tanqvam filias. Piccol. gr. 5. Phil. mor. c. 57. eamq; virtutis effe indagatricem, & vitiorum expultricem. Cic. 5. Tufc. Nam finis illius in virtutum actione pofitus eft. Arift. 1. Eth. 7. & 10. Eth. 6. paulatim vitia atq; errores excutit omnes. Juvenal. fat. 13. Nunqvam illa fatis dignè laudari poteft, cui qvi paret, omne tempus ætatis poteft fine moleftiâ degere. Cic. in Cat. Majore.

—— petite hinc juvenesqve fenesqve
Finem animo certum, miferisqve viatica canis.

Perf. Sat. 5 Caveant verò Philofophi, ne verbis tantùm fapiant, re autem fint ἀνόητοι. Id curent,

Ut ftudio mores convenienter eant.

Ovid. 3. de arte am. hocq; primum profiteantur, mercenariam operam fpernere. l. 1. §. 4. ff. de extraord. cognit. qvod fecit Crates Thebanus apud Laërt. lib. 6. p. 253. Spinæus lib. 1. de tranq. an. pag. 10. Eft enim alienum viro, qvod alteri præceperit idipfum facere non poffe. Cic. 3. Off. Facere docet Philofophia non dicere, & hoc exigit, ut ad legem fuam qvisqve vivat, ne rationi vita disfentiat: ut ipfa inter fe vita unius, fine actionum diffenfione, coloris fit. Maximum hoc eft & officiũ Sapientiæ & indicium

cium, ut verbis opera concordent, ut & ipſe ubiq; par ſibi idemq́; ſit. Sen. ep. 20. néve profeſſio & deſiderium inter ſe diſcrepent. l. 6. C. de mun. patr. 10. C. 41. Rari ſunt hujus generis Philoſophi: Vix ſingulæ ætates ſingulos ferunt. Cujac. ad tit. ff. de excuſ. in l. 6. pag. 233. Atq; illi qvi decreto ordinis approbati ſunt, vacationem à muneribus habent. l. 8. C. de iis qvi num. lib. perſonalibus, ſcilicet, non patrimonialibus. l. 6. C. de mun. patrim. etenim verè philoſophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendæ cupidine fictam aſſeverationem detegunt. l. 8. §. pen. ff. de vac. & excuſ. mun.

Oratores Reip. inſerimus: non eos qvi litem ſerunt ex lite, qvibus loqventiæ multum, ſapientiæ parum: Saluſt. qvi corrumpunt judicia, & plus nocent, qvàm illi, qvi largitionibus utuntur, qvòd pecuniâ corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt. Am. Marcell. lib. 30. qvo ſenſu Ariſtoteles totum Rhetoricæ facultatis artificium in benè moratâ civitate ſupervacuum eſſe judicat: tantumq; ob auditoris perverſitatem inventum. Audomar. Talęus in Rhet. c. 1. Sed eos admittimus, qvi ſpectatæ ſunt virtutis, qvorum opera eo eſt illuſtrior, qvo faciliùs multitudo regitur, orationis præſidio adhibito.

Qvid verò de Poëtis dicendum? Súntne & illi habendi numero civium? Dubitationem facit, qvod Iſidorus lib. 3. Sent. de ſummo bono. c. 13. (cujus ſententia refertur c. ideò diſt. 37.) ſcriptum reliqvit, Chriſtianos à lectione Poëtarum eſſe arcendos, qvòd per oblectamenta inanium fabularum mentem excitent ad incentiva libidinum; qvod fortè Platonem movit. lib. 10. de Rep. & Spartanos, teſte Plut. in Lac. ut civitatis participes eos eſſe noluerint.

 rint.

rint. Nec aliqva in jure civili iis tributa privilegia. l. Poëtæ 3. Cod. de prof. & med. sive qvòd grassationibus h. e. adulationibus utplurimùm dediti essent. Scip. Gentil. 2. parerg. 1. sive qvòd veritatem, qvâ nihil nobis debet esse amabilius. Arist. 1. Eth. 4. aut involucris qvibusdam occultarent, aut sæpiùs negligerent.

Exit in immensum fœcunda licentia vatum,
Obligat historicâ nec sua verba fide.

Ovid. lib. 3. eleg.

Verumenimverò qvis adeò literarum rudis est, qvi non intelligat, poësin mirabiles in animis hominum vires obtinere, multosq; poetas dicere, qvæ à Philosophicis aut dicenda aut dicta sunt? Sen. ep. 8. Nam in omnibus veterum poëtarum figmentis vel historica latet narratio, velut in pugnâ Herculis cum Achelao bicorni: vel physica, ut in fabulâ Phaëtontis: vel moralis, cujus nonnulla adducam vestigia. Annon Icarus in mare delapsus monet, neminem sese altiùs efferre debere, qvàm pro sorte suâ? Qvid aliud Marsias excoriatus docet, qvàm non esse certandum cum potentioribus? Annon Danaës auro deceptæ fabula innuit, nihil tam esse munitum, qvod non expugnetur pecuniâ? Qvid Midæ votum, nisi avaros & insatiabiles suis ipsorum opibus præfocari? Qvid Sirenum cantus, nisi assentationem, ut rem omnium blandissimam, ita & pestilentissimam? Plura in hanc sententiam adducerem, nisi ad metam mihi redeundum esset. Verissimum est illud Horat. in arte poët. de poëtis elogium.

Aut prodesse volunt, aut delectare poëtæ,
Aut simul & jucunda volunt, & idonea vitæ
Dicere. Atq; hæc res ipsis etiam regibus principibusq; stimulos indidit, ut poësin excolerent. Nero, ne ludicræ tantùm Imperatoris artes notescerent, carminum qvoq; studium affectavit, contractis qvibus

busaliqva pangendi facultas. Sveton. & Tacit. 14. ann. c. 2. Illi ipsi studio Cotys Rex mirè deditus: ad eum enim est elegia 9. Ovidii lib.3. de ponto: & in hujus regno vates ille exulavit. Ita carus Cræso Pindarus: Scipioni Africano Ennius: Augusto Virgilius: Mœcenati Horatius: Domitiano Martialis: Gratiano Ausonius &c.

Planissimum igitur est, poëtas non tantùm in civitatem admittendos, sed & summo honore afficiendos: Et magna poëseos est cum cæteris artibus adfinitas. Arist. de poët. c. 1. etiam cum Jurisprudentiâ. Scip. Gentil. lib. 2. par. c. 2. Cæterùm de delectu poëtarum habendo vid. Scalig. in lib. poëtarum. Natal. Comit in lib. Mythologicis. Melch. Jun. in Method. Eloq. c. 8. & 10.

CAP. XLIV.

De Naturâ Vulgi.

QUi non umbram gloriæ, sed ipsum corpus sectatur, in Pythagorico illo Symbolo acqviescit: λεωφόρους ὁδοὺς μὴ στείχειν. h. e. popularibus viis ne incedito. Illi omnia vulgi vitia non invisa, sed ridicula esse videntur. Senec. de tranq. an. cap. 15. Et sanè nil verius est Cleanthis versibus relatis à Clem. Alex. lib. 5. Strom. latinè factis à J. Cam. apud P. Cam. filium 2. Med. 51.

Si sapientiam amas, tibi ne sit opinio vulgi
Ante oculos, populi neq; sit sententia curæ.
Vana, pudore vacans, temeraria: nam neq; prudens,
Nec justum est confusæ hominum turbæ, nec honestum.

Judici-

Judicium, inveniesq́; bonum hoc contingere
paucis.

Felicem verò illum prædicârim, apud qvem plus valet ratio, qvàm vulgi opinio. Cic. 1. parad. qvive

—— nec ſumit aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ. Hor. 3. od. 2.

Cæterùm ut noſcas vulgi ingenium, ſeqventibus velim te imbui monitis. Eſtq́; vulgus

1. Verbis ferox. Procacia plebis ingenia. Tac. 2. hiſt. Impigræ lingvæ, ignavi animi. Saluſt.

2. Affectus ponit & ſumit, Nil quicqvam facilius qvàm in qvemlibet affectum mutare populum. Qvintil. 2. declam. Tam pronus eſt in miſericordiam, qvàm immodicus ſævitiâ fuerat. Tac. 1. hiſt. & qvos deſertos à fortunâ conſpexit, ſtatim ſoluto pudore deſtituit. Expertus hoc eſt ipſe Chriſtus & Apoſtoli. Act. 2. & 3. Paulus apud Lycaones. Act. 14. & Melitenſes. Act. 28. David 2. Sam. 5. Alcibiades, Phocion, Sejanus & Philotas apud Curt. lib. 7. pr.

3. Stupidum, judicii expers. Non eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia. Cic. pro Planc.

Nunc qvo qvis eſt è plebe fermè indoctior,
Auctoritatem aſſumit arrogantiùs
Dijudicandi in rebus obſcuriſſimis,
Et pertinaci (qvod ferè arrogantiæ eſt)
Animo tuetur dogma ſuſceptum ſemel,
Nec interim æqvo expendit examine mala,
An recta ſint qvæ pertinaciter tenet.
Sed qvum inter omnes maximè cœcutiat,
Cœcus videntes cœcitatis arguit.
Ut cui peruſta febre fervent viſcera, Ama-

Amara cuncta credit,unumq́; autumat
Se sapere,qvum desipiat unus maximè.

Buchan. in Jephthe. Et qvemadmodum scarabæi fugiunt ungventa, delectantur fœtoribus: Sic plebi pessima pro optimis placent: pravissimisq́; opinionibus ea putat mendacia, qvæ vel auditu nova, vel visu rudia, vel certè supra captum cogitationis ardua videntur: qvæ si paulò accuratiùs exploràris,non modò compertu evidentia, verùm etiam factu facilia senties. Apul. 1. Met.

4. Negligit Remp. Privata cuiq; stimulatio:& vile decus publicum. Tac. 1. hist. Intenta mala, quasi fulmen, optant duntaxat, se qvisq; ne attingant. Salust. De victu tantùm sollicita est, eiq́; una ex rep. annonæ cura. Tac. 4. hist.

duas tantùm res anxius optat
Panem & Circenses. Juvenalis.

5. Credulum. Nam facilis civitas ad credenda accipiendaq́; omnia nova. Tac. 1. hist.

Vilia sunt illi, qvæcunqve prioribus annis
Viderat, & sordet qvicqvid spectaverat olim.

Illud verò detestabile, qvòd qvoqvo modo audita pro compertis habet. Tacit. 3. annal.

6. Suspicax. Municipale vulgus pronum ad suspiciones. Tac. 2. hist. cujus exemplum est Act. 16. ℣. 22.

7. Invidum. Nam virtus, dignitas & opes honestorum civium, titiones sunt ad accendendum in plebe Invidiæ ignem, alienis enim incrementis inimicissima invidia. Senec. de tranq. c. 2. Alit livorem infelix inertia,& omnes destrui cupiunt, qvia se non potuerunt provehere, & ex hac deinde aversatione

alieno-

alienorum processuum & suorum desperatione obirascens fortunę animus, & de seculo qværens, & in angulos se retrahens, & pœnæ incubans suę; dum tædet sui, pigetq;. Sen. ibid.

8. Leve & inconstans. Nam in multitudine est varietas, & crebra tanqvam tempestatum, sic sententiarum mutatio. Cic. pro domo. A naturâ discedimus, populo nos damus, nullius rei bono auctori, & in hac re, sicut in omnibus inconstantissimo. Sen. ep. 99. aut servit humiliter, aut superbè dominatur: Libertatem, qvæ media est, nec spernere modicè, nec habere sciunt. Liv. lib. 23.

9. Lucri avidum. Vulgo ingens probrum est, paupertas: magna gloria divitiis per fas nefasq; partis abundare: atq; eò inclinat, unde spes emolumenti oritur. Necato Julio Cæsare, anteqvàm aperirentur tabulæ testamenti ejus, in qvo legata relicta erant populo, nec laudabant, nec vituperabant factam cædem; apertis testamenti tabulis, interfectores summo odio prosecuti sunt. Plaut. in Cæs.

10. Superstitiosum; nam imbecilli animi facilè superstitiosa concipiunt. Cic. de divin. Et nullus est animi morbus, tam multis erroribus perturbationibusq; scatens, & ex tam inter se dissidentibus & pugnantibus opinionibus refertus, atq; superstitio. Plut. in lib. de superstit. Stuckius de sacrif. Gentil. estq; error insanus: amandos timet, qvos colit, violat. Senec. ep. 123. in fin. Ex rebus, qvæ casu etiam naturali, modo tamen insolito, oriuntur, prodigia auguratur. Paradin. in Symb. Scilicet is superis labor est, pag. 80.

11. Rebus secundis pronum ad seditiones.

Heu

Heu cœcæ mentes, tumefactaqve corda secundis!

Silius lib.1. qvæ extemplò urbanos motus excitaverunt. Liv. lib. 3. Nicet. in vitâ Alexii Comneni de Byzantino populo: Est profectò, inqvit, morbus hic omnium civitatum, ut plebs sit temeraria,& magno impetu feratur,neq; consilio qvicqvam aggreditur,neq; æqvo animo ab inhonestis conatibus desistit: & interdum famâ tantùm seditionis impulsa igni magis exæstuat,in enses,in præcipitia,in marinos scopulos cœco furore ruit.&c.

12. Ad plures inclinat. Multitudo vulgi more magis qvàm judicio, pòst alius alium qvasi prudentiorem seqvuntur. Salust. ad Cæs.pecorum ritu,antecedentium gregem.Senec. de vitâ beatâ.

13. Favet fervidis: in qvibus sæpè nihil aliud qvàm vecors facundia.Tac.4.hist. Qvicqvid modestum, ignaviæ speciem habet:qvod circumspectum & providum,segnitiæ: qvicqvid autem abruptum & præceps, id verò forte & virile censetur. Thucyd.lib.3.

14. Sine Duce nil audet, Vulgus sine rectore præceps,pavidus, secors. Tac. 4. hist. Et nemo facilè rebus arduis ducem se præbet, comitem qvivis: insitâ mortalibus naturâ qvæ piget, inchoare.Tac. 1. hist.

15. Dat vires famæ. Vagus primùm & incertus rumor, mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se qvidam & vidisse affirmant credulâ famâ inter gaudentes,& incuriosos, Tac. 1.hist.

16,Lu-

16. Ludicris delectatur. Vulgo ficut pueris omne ludicrum in precio eft. Sen. Cæterùm variant ingenia, & funt tam civitatum, qvàm fingulorum hominum mores: gentesq; aliæ iracundæ, aliæ audaces, qvædam timidæ: in vinum, in venerem proniores aliæ funt, Liv. lib. 45.

Cap. XLV.

De Mercatoribus.

MErcatura eft diffufa vel reftricta. Illa honeftior eft, fi fatiata qvæftu fit, vel contenta potiùs. Cic. 1. Off. p. 69. cujus in Rep. ufus eft infignis. Calliftratus in l. 2. ff. de nund. Illam Solon exercuiffe fcribitur, non tam lucri cupiditate impulfus, qvàm periclitandi videndiq;. Cic. in Bruto: & Thales ille fapiens, cùm providiffet olearum inopiam, omnes coemit, & anno infeqventi vendidit. Arift. 1. pol. 7. Atqve hi poffunt decurionatum & honores in fuâ patriâ petere, l. 12. ff. de decurion.

Reftricta Mercatura, qvam alii fordidam appellant, eft eorum, qvi mercantur à mercatoribus, qvod ftatim vendant. Nihil enim proficient, nifi admodum mentiantur. Nec vero qvicqvam eft turpius vanitate. Cic. 1. Off. Et hos pufilli humilisq; animi, lucello inhiantes, qvæftuiq; fefe mancipantes dixit Onofander.

Huc pertinent Dardanarii, qvi emunt ut cariùs vendant: illi incidunt in l. Jul. de annonâ. l. 2. ff. ad l. Jul. de annonâ. Sic dicti à Dardano qvodam profligatiffimo Mago: qvi maleficis artibus annonam in granaria fua a-

verte-

vertere, mensuras in admetiendo minuere solitus est. Stuckius lib.2.antiq.conviv.c.12.

CAP. XLVI.

De his, qvi victum in Civitate procurant.

PRiore loco collocavimus, qvi procurando victu in civitate occupati, cujusmodi sunt: Pistores, Lanii, Coqvi, Agricolæ, Venatores, Piscatores.

Pistores olim dicti sunt, qvi frumenta pinsebant, & panem faciebant, nunc pistrinarii. Qvosdam necessitatis causâ comparatos deprehendimus in civitate, qvosdam delitiarum. Hi panem simpliciter conficiunt. De his est tit.11. C.16. & farinas molunt subiguntq;. Cujac. 16. obs. 5. Qvi delitias procurant, panem & mellita concinnantes edulia. Apul.lib.10.Dulciarii dicuntur. In hos Martial.in fin.sui op.

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruit, huic uni parca laborat apis.

Horum artem vulgarem appellat Cic. pro S. Rosc. Am. & à castris abesse jubet Tegetius 1. de re milit. Isti invecti Romam anno U.C.580. Plin.lib.18. c. 11. Polyd. Virg. lib. 9. de rer. invent. c. 2. Stuckius lib. 2 antiq. conviv. cap.13.

Laniis intra mœnia benè institutæ civitatis vetitum sit mactare tauros & sues; ne si passim lanienam exerceant, totam urbem reddant pestilentem. Vid. Erasmi ἰχθυοφαγίαν. p.453.

Coqvi vilissima antiqvis mancipia. Liv.lib.39. vilibus & illiberalibus artibus operam dantibus olim ac-

censebatur. Jul. Firmicus lib. 3. Astron. c. 9. Arist. 1. pol. 4. Servilis enim ars fuit habita. l. legatis servis. §. si unus ff. de leg. 3. Ueteres tamen Romani coqvos non habuerunt in servitiis. Plin. lib. 18. c. 11. Sed eos ex macello conducebant. Plaut. in Aulul.

Postqvàm obsonavit herus, & conduxit coqvos,
Tibicinasqve hasce apud forum.

Et in Pseudol.

——veniunt conductum
Coqvum, nemo illum qværit, qvi optimus & carissimus est:
Illum conducunt potiùs qvi vilissimus est.

Et in Rep. Laconicâ Coqvinarium artificium vile habitum: nam cives nihil præter salem & acetum pro obsoniorum condimento dabant; qvòd cætera ab ipsis cibis atq; à labore petenda esse dicerent. Plut. in Apoph. Spinæus lib. 5. de tanq. an. p. 228. Et sanè ut nimius splendor oculos præstringit, & sonus acutior aures obtundit ac stupefacit: ita nimia curiositas in svavitate cibis conciliandâ, sæpè eos palato nostro reddit insipidos. Coqvos rapaces appellat Euclio apud Plaut. in Aulul.

Cum senis manibus, genere Geryonaceo
Qvos si Argus servet, qvi oculeus totus fuit,
Qvem qvondam Jovi Juno custodem addidit,
Is nunqvam servet. &c.

Paulatim verò invectâ Asiaticâ luxuriâ, Coqvinaria, æstimatione & usu in precio esse, & qvod ministerium fuerat, ars haberi cœpit. Liv. lib. 39. Plin. lib. 9. cap. 17.

Non satis est ars sola coco, servire palato,
Namqve coqvus domini debet habere gulam.

Martial. in fin. sui op. Et non tantùm artificibus, sed etjam

jam dignitatem habentibus civibus cocos adnumerat Ludovic. Roman. in sing. suo 655. & Francisc Cremen. in sing. suo 99.

Agricolæ deinceps collocandi sunt, genus hominum Reip. fructuosum, & industrium, qvos ideò summæ prudentiæ & auctoritatis apud Græcos Plato, cùm institueret, qvemadmodum civitas bene beateq; habitari posset, inprimis necessarios duxit. Callistratus in l. si qvis. 2. ff. de Nundinis. Et sanè omnium rerum, ex qvibus aliqvid acqviritur, nihil est Agriculturâ melius, nihil uberius, nihil dulcius, nil libero homine dignius. Cic. 1. off. p. 69. Martial. lib. 1. epig. p. 50. Horat. od. 2. epod. & 2. Serm. 6. Xenoph. Plin. Colum. Jucunditate illâ eximiâ commoti sunt multi heroës, qvi vitam in arvis, relictis armis, exegerunt. Hercules manu suâ qvercûs sevisse scribitur. Plin. lib. 16. c. 44. Cyrus agriculturæ apprimè deditus. Xenoph. & Cic. de Senect. Eodem opere occupati Diocletianus Imp. Attalus R. Pergami. Tiraq. tr. de Nobil. c. 32. num. 5. M. Valer. Corvinus qvi sexies Cos. fuit. Val. Max. lib. 8. c. 14. Masinissa & Scipio ille Africæ domitor: aliiq; complures. Privilegia Rusticorum vid. apud J. Plat. in l. 1. C. de agric. & censit. lib. 11.

Venatores egregio, & ad utilitatem & jucunditatem comparato labore occupatos subjungimus. Utilitas insignis est: qvoniam natura nobis indulsit dominium in feras: Jam indagandi illas, artificium haud leve reputatur. Non illum absterrent pericula à feris objecta.

—— manet sub Jove frigido
Venator teneræ conjugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,

Seu rupit teretes Marſus aper plagas
Hor.1.od.1.
Vitamq; ſub dio & trepidis agit
In rebus. Id.3.od.2.

Jucunditas utilitati non cedit in re venatoriâ: Nam Venator liberrimo ſub cœlo

Aut trudit acreis hinc & hinc multâ cane
Apros in obſtanteis plagas:
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos:
Pavidumq, leporem, & advenam laqveo gruem,
Jucunda captat præmia Hor. lib.epod od.2.

Qvinimò cùm ſe ſopori credidit, mente ſuâ jucunditatem illam magis magisq; repetit. Claudian.lib.3.

Venator defeſſa toro cùm membra reponit,
Mens tamen ad ſilvas & ſua luſtra redit.

Piſcatores ſubjicimus: qvibus volupe eſt

—— prædantibus hamis
Exhaurire lacus,patriæq; alimenta ſenectæ
Ducere ſuſpenſo per ſtagna latentia lino.

Sil.lib.5.Piſcationē thynnariā exercere dicuntur, qvi latine Cetarii,græcè θυννοσκόποι appellantur, nam & Cete latini, & thynnos cùm Græci tum Hebræi dixerunt majora piſcium genera, imò & majora qvæq; animalia etiam terreſtria. Cujac.24. obſ.22. De piſcatu vide Freig. lib.33. phyſ.

Cap. XLVII.

De his qvi amictui proſpiciunt, ut ſunt Sarto-

Sartores, Textores, Pannifices, Pelliones, Sutores, &c.

SArtores abſtinere debent à confectione prohibitarum veſtium. Sic viris olim non licuit aureas ac ſericas paragaudas geſtare. l. 1. & 2. C. de veſtib. holoſericis 11. c. 8. nec purpuram l. ult. C. eod. Hotom. in comment. verb. jur. pag. 258. Paragaudæ fuerunt ſericæ auro intextæ Phrygio ſive Barbarico opere. Vopiſcus in Aureliano, alias monolores, alias dilores, alias trilores, & pentelores facit, pro numero intextorum aureorum filorum, qvæ videntur lora appellaſſe. Sic & uſus veſtium ſericarum purpurearum tam mulieribus qvàm viris interdictus eſt. l. 4. C. d. tit. Non tamen puduit has veſtes uſurpare etiam viros: levitatem propter æſtivam. In tantum à loricâ gerendâ diſceſſiſſe mores, ut oneri ſint etiam veſtes. Plinius.

Sartoribus accenſendi plumarii, qvi olim veſtimenta ex plumis avium confecerunt, qvo genere priſca luxuria delectata eſt:

— Avium qvoq; verſicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis.

Prudentius in Hamartigeniâ. Seneca ep. 90. Non corticibus arborum pleræq; gentes tegunt corpora? Non avium plumæ in uſum veſtis conferuntur? Vel qvi acu pingentes exprimunt animalium vel hominum figuras.

Huc pertinent textores: qvorum operas ex Poſidonio egregiè deſcripſit Seneca ep. 90. Qvæ textoribus lanam diſtribuit, dicitur lanipendia l. 31. ff. de donat. inter vir. & ux.

Hos ſeqvuntur Sutores,

Dentibus antiqvas soliti producere pelles,
Et mordére luto putre vetusq́; solum.

Martial. lib. 9. p. 247. Hi calceamentis conficiendis operati. In horum censu qvondam etiam Alfenus JCtus: de qvo Horat. 1. Sat. 3.

——— Alfenus vafer omni
Abjecto instrumento, artis, clausâqve tabernâ
Sutor erat, &c.

Horum variæ species: Crepida. Gell. lib. 13. c. 20. Udones ex lanâ solent confici. l. 25. §. 17. ff. de auro & argent. leg. Sunt præterea Cothurni, Sculponeæ, Socci, Socculi: de qvibus Svetonius in Vitellio: Pro maximo munere à Messalinâ petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos, detractumqve socculum dextrum inter togam tunicasq́; gestavit assiduè, nonnunqvam osculabundus.

Cap. XLVIII.

De his qvi Medicinæ, Valetudini, & Exercitationi corporis prospiciunt.

Valetudinem hominis procurant Pharmacopœi, Chirurgi, Obstetricres: Exercitationem Athletæ.

Pharmacopœi sunt, qvi præparant venduntq́; medicamenta: aliàs pigmentarii dicti. l. 3. §. 1. ff. ad l. Corn. de Sicar. De his sciendum est, teneri eos, si temerè aromata venenosa hominibus fatuis, malis vel suspectis vendiderint. Hippol. de Marsil. in l. ejusdem, §. alio SCto. ff. ad leg. Cornel. de sicar. Menoch. lib. 2. Centur. 4. cap. 359.

Chirurgicis ministeriis occupati sunt vulgo Barbitonse-

tonsores dicti: Horum filios, ut molitorum, ad sodalitates suas in qvibusdam liberis Germaniæ civitatibus non admittunt cæterarum tribuum Tribuni: more pessimo, & ipsis Imperialibus constitutionibus abrogato.

Obstetrices curam gerunt mulierum signatarum, i. e. prægnantium. Scip. Gentil. lib. 1. parerg. c.16. & æstimant, an mulier sit prægnans. l. 1. ff. de vent. inspic. An sit virgo, est in difficili ac penè impossibili, nec hujus rei usqvam legitur obstetricibus delatum arbitrium. Cujac. 17. obs. 27. Ejusdem verò dicuntur esse precii, cujus sunt Medici. l. ult. C. de legatis. Utiq; Medicinam exhibere videntur. l. 1. §. 2. ff. de extraord. cognit. His non minus qvàm maribus imputatur culpa, si qva noxia medicamenta superposuerint aut dederint. l. item 9. ff. ad l. Aqvil. Cujac. 17. obs. 27. Capitis periculum subeunt, si partum falsum supposuerint. l. 2. ff. de Carb. edict. Paul. lib. 2. tit. 24. De mercede earum extra ordinem jus dicitur. l. 1. §. 1. ff. de extraord. cognit.

Corporis exercitationem, membrorumq; agilitatem docent Athletæ: qvi in magno apud veteres precio sunt habiti. Nam & in jure civili pro præmio coronantur. l. spem. 5. C. qvæ res pignori. l. commodis. 40. ff. de re judic. l. un. C. de athlet. & civilium munerum, veluti tutelæ vacationem habent. l. si duas. 6. §. 13. ff. de excus. tutor. Cujac. ad l. 6. de excus. p. 238. Neq; enim ludicram dicuntur facere artem. l. 4. pr. ff. de his qvi not. infam. Sed causâ virtutis in palæstram procedere. dict. leg. 4.

Non projiciunt animum projecti: qvoties ceciderunt, contumaciores resurgunt. Senec. ep. 13.

Cap. XLIX.

De Typographis.

Divinitùs adinventum eſſe artificium Typographicum apud omnes in confeſſo eſt. Originem hujus artis referunt ad annum Chriſti 1440.d.2.Januar.Peucerus lib.5. Chron. p.1276. ex Wimphelingo c.65. Idq; factum Argentinæ tradunt. A. Bucholc. in Iſag. chronol. Auctor ejus minimè prætereundus ſilentio: qvidam Joannem Fauſtium vocant, qvidam Guttenbergerum. Func. in Chronol.ad an.1440.Avent.lib.8. Eteoſtichon tale eſt:

MIra typIs LIbros ars qVæ CeLerI eXCItat aCtV,
GVttenbergerI genIo eſt InVenta IohannIs.

Prætereà tenendum hoc loco coërcendam eſſe Typographorum in recudendis ſcriptis Reip. inutilibus inſolentiam: ut & eorum qvi libros ad prægravandam innocentium famam emittunt. Atq; illi, qvi famoſos evulgant libellos, adverſùs conſtitutionem politicam, à Cæſare puniuntur extra ordinem. P. Dennaiſius de jur. Cam. tit. 177. verb. Librarii. n. 7.

Cap. L.

De Opificibus, qvi circa ædificia occupati ſunt.

Huc pertinent ii, qvorum mentionem facit Taruntinus lib. 1. militar. in l. ult. ff. de jure immunit. Structores οἰκοδόμοι: ſculptores ligni, γλύπται ξύλων

ξύλων. Fuſores veluti plumbarii: Tignarii qvi ligna dolant. l. ferri 235. §.1.ff. de V. S. Scandularii qvi ædes ſcandulis tegunt. Sunt autem ſcandulæ ſectiles aſſerculi qvibus contectam annis qvadringentis & ſeptuaginta fuiſſe Romam Plinius lib. 16. c.10. teſtatur. Cælatores, qvorum ars apud antiqvos magni nominis erat: inter illos Lyſippus adeò ſibi devinxerat Alexandrum, ut ab eo ſolo fingi voluerit.

Edicto cavit, ne qvis ſe, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret ora.

Huc referendi etiam pictores, qvos licet in numerum liberalium artium non recipiat Seneca ep. 88. non magis qvàm Statuarios, aut marmorarios, aut cæteros luxuriæ miniſtros: maximis tamen honoribus dignos cenſemus. Nam & in jure civili hoſpitali moleſtiâ, qvoad vivunt, liberati ducuntur. l. Archiatros. 8. C. de Metatis & Epid. 12. C. 41. l. ult. C. de excuſ. artif. Et qvod Bodinus lib. 3. de Rep. c. 8. ſcribit, Hebræos picturam pro ſordidiſſimâ arte habuiſſe, atq; hodie Turcas pro capitali ſupplicio, exigui ponderis eſt ad deprimendam picturæ dignitatem.

CAP. LI.

De his qvi deſtinati ſunt ad executionem Sententiæ in Capitalibus latæ.

HUc referendi ſunt Apparitores, de qvibus mentio fit in l. 3. ff. de Serv. fugit. l. ult. §. ult. ff. qvod metûs causâ Lictores & Carnifices, qvorum miniſterium in Rep. maximè neceſſarium eſt, ne deficientibus illis, honeſtiores ſe hac maculâ inqvinare cogantur: qvemadmodum

dum apud Litvanos ipſi accuſatori hoc injungitur. Alex. Gagvinus & Abr. Ortelius in deſcript. Litvan. Cromerus lib. 16. Qvod olim etiam Hebræis uſu receptum fuiſſe deprehendimus Joan. 8. Hoc verò hominum genus non admiſcendum eſt cœtui honeſtorum civium, ſed extra mœnia ablegandum. Cic. pro Rabir. neq; impediri debent à populo, qvo minùs exeqvantur officium. Car. V. Peinliche Halsgerichts Ordnung art. 97. Eaq; hominum conſvetudo improbanda eſt, cùm Carnifices, ſi in ipſo actu deficiant, neq; uno ictu rem peragant, lapidibus obruuntur. P. Gregor. lib. 31. Syntag. cap. ult. num. 7.

Cap. LII.

De Pantomimis, Hiſtrionibus & Tibicinibus.

PAntomimis olim magnus honos habitus: nobiliſſimiq; juvenes eorum fuêre mancipia. Senec. ep. 47. Tertull. in lib. de ſpectacul. Plin. lib. 7. cap. 53. & lib. 29. Senec. in fin. lib. 1. qvæſt. natural. Verùm illis cauſam labefactati imperii adſcribit Zoſimus lib. 1. vetitumq; temporibus Tiberii, ne domos Pantomimorum ſenator introiret. Tac. 1. an. p. 25.

Hiſtriones dicti, non qvòd ab Hiſtriâ eorum origo, ut Feſtus exiſtimat, ſed qvòd Ludio Thuſco verbo Hiſtrio vocabatur. Liv. lib. 9. dec. 1. pag. 280. Cic. 4. Tuſc. Præmium eorum Lucar dictum eſt à Lucis, qvi multi circa urbem, qvorum reditûs deſtinati ad ludos. Qvinq; aureos ſtatam mercedem fuiſſe ſcenicorum, Capitolinus refert. Sunt verò infames, ſi ob præmium in ſcenam deſcendant. l. 2. §. ait prætor in fin. ff. de his qvi not. infam. c. diffi-

diffinimus 4. q. 1. Cujac. ad l.4. C. de ſpectacul.11. C.41. Multoties Italiâ eos ejectos legimus. Tacit.13.an.7.

Huc referendi Tibicines, à tibiæ cantu ſic dicti. Tibia Græcis αὐλὸς ἀπὸ τοῦ αὐλεῖν i. e. flando (unde & Germanicum Flöten) ex buxo confici ſolita: Ovid. 12. Metam:

Non illos citharæ: non illos carmina vocum:
Longaqve multifori delectat tibia buxi.

Tibul. eleg. 2. curvam vocat:

Obſtrepit & phrygio tibia curva ſono.

cavam Ovid. 6. Faſt.

Qværitur in cœnâ cava tibia, qværitur aris.

De origine tibiæ. Plin. lib. 7. c. 56. ait: Muſicam Amphion invenit, fiſtulam Pan: monaulam Mercurius: obliqvam tibiam Midas in Phrygiâ: geminas tibias Marſyas. Cæterùm an adhibendi ſint conviviis, diſputat Plut. in Sympoſ. lib. 2. q. 2. Judæi non tantùm in convivijs illis uſi ſunt. Eſaiæ 5. ℣. 12. etiam funebribus Matt. 9. ℣. 23. ſed & in ipſis Regum inaugurationibus. 1. Reg. 1. ℣. 34. 1. Sam. 10. ℣. 5. Romæ olim magnus huic hominum generi honos habitus. Idibus Januarii veſtem induti muliebrem totam urbem circumibant. Plut. qvæſt. 55. Rom. cujus rei rationem tradit Livius dec. 1. lib. 9. pag. 375. Varro lib. 5. de ling. lat. Et in univerſum gentiles ſoliti ſunt Deos mulcere ſuos per Tibicines. Arnob. lib. 7. Sveton. in Tiberio.

Verumenimverò omnem tibiarum uſum improbat Ariſtot. 9. pol. 6. & Alcibiades, qvi tibiarum uſum Thebanorum filiis, qvi loqvi neſciunt, convenire dixit: non genti Atticæ, cujus principes ſunt Pallas & Apollo, qvorum illa fiſtulam confregit, hic Tibicinem excoriavit. Plutar. in Alcib. Plato in Protagorâ ab imperitis ideò adhiberi tibicines auguratur, qvòd cùm

ob

ob inscitiam mutuâ collocutione exhilarare sese neqveant, luculentâ mercede tibiarum alienam vocem conducere soleant. Et sanè ad sedandos tristiores affectus nonnihil conferunt: idq; solius vocis, aut potiùs instrumenti beneficio. Per se nihil mentis habent: qvin potiùs bonam mentem aliunde emendicare coguntur.

Diî tibicinibus mentem nullam tribuère:
Nam simul ut flârint, avolat illico mens.

Finis lib. III. Politicorum.



GEOR-



GEORGII Schönborner / Siles. Phil. & J. U. D. Consil. & Cancellarii ZOLLERINI.

Liber IV. Politicorum.

CAP. I.

De Jure Patronatûs.

COnsiderato primo bonæ administrationis adjuncto, qvod est in personis, vel consilio, vel legationibus, vel obseqvio Remp. juvantibus, alterum qvod est in Rebus nunc seqvitur. Hic munimenta felicioris administrationis constituenda sunt, alia qvidem domi, alia foris. Domi, vel conservando, vel augendo regimini curam Magistratus intendit. Conservatur ergo regimen, si diligens inspectio sit rerum, vel sacrarum, vel religiosarum, vel sanctarum, vel publicarum. In rebus sacris primùm se offerunt ædes sacræ, cultui divino habendo destinatæ: atq; hoc loco de jure patronatûs dissertatio nobis instituenda est. Patronus dicitur Ecclesiæ defensor, & advocatus. Hostiens. de jur. patron. n. 1. per

c. præ-

c. præterea eod. tit. c. fingulis. §. ult. de ftatu Monach. Wefenb. conf. 48. n. 14. habetq; provifionem & follicitudinem pro Ecclefiâ. c. filiis. c. decernimus 16. q. 7. Unde jus patronatûs definitur: qvòd fit poteftas præfentandi inftituendum ad beneficium vacans. Lancel. in Inft. hoc tit. Plures patroni fint, five unus, nihil intereft: dummodò fi plures fint, in præfentando omnes, vel certè major pars in eundem conveniant. c. 3. ext. hoc tit. Tametfi patroni inter fe pacifci poffint, ut alternis vicibus finguli præfentnet. c. 2. de jur. patr. in 6.

Inducitur autem jus patronatûs I. per fundationem, fi prædium donetur vel relinqvatur Ecclefiæ extruendæ c. Abbatem. 4. 18. q. 2. II. per conftructionem, fi qvis fuis impenfis ædes facras ædificet. c. nobis. c. piæ mentis c. Fulgentius. c. monafterium 16. q. 7. III. per dotationem fi miniftris Ecclefiæ neceffaria conftituantur. c. nemo de confec. dift. 1. IV. per præfcriptionem immemorialem. c. qverelam 24. ext. de elect. V. ex titulo donationis. c. ex infinuatione 14. ext. de jur. patr. c. un. eod. in 6.

Præfentatio fieri debet intra qvatuor menfes à tempore vacationis, fi patronus fecularis eft: fin Ecclefiafticus, intra fex menfes. cap. un. §. 1. de jur. patr. in 6. P. Friderus lib. 3. de contin. cauf. c. 19. n. 17. Cæterùm patrono ut fundatori Ecclefiæ honor & reverentia debetur: & fi ad inopiam redigatur, modeftè illi fuccurrendum eft ab Ecclefiâ. c. nobis 25. ext. hoc tit. c. qvicunq; 16. q. 7. Controverfia de jure patronatûs orta coram Ecclefiaftico Judice decidenda eft. Geil. 1. obf. 38. n. 6. c. 3. ext. de judic. Covarr. pract. qvæft. 35.

CAP.

CAP. II.

De Bonis Ecclesiæ.

VAriis ex causis Ecclesiæ bona acqviri possunt, veluti Legato l. 1. l. jubemus 14. §. verum C. de SS. Eccles. Donatione d. l. 14. Nov. 37. pr. & §. penult. Si damni aliqvid in istis rebus acqvisitis apparuerit, redhibitioni locus est. Nov. 7. §. Sicut autem. Nov. 120. §. enimverò. c. hoc jus 10. q. 2. Alienationem verò omnem res ab Ecclesiâ acqvisitæ respuunt. d. l. 14. C. de SS. Eccles. c. nulli liceat. 5. c. si qvis 6. de reb. Eccles. al. Nov. 7. pr. nisi certis qvibusdam casibus, qvi sunt circa alienationis vel formam, vel materiam, vel finem. Circa formam dicendum est, valere alienationem, si vel per transactionem facta sit. c. statuimus. 2. c. contingit. 3. de transact. vel per locationem ad tempus. c. vestra 2. de loc. & cond. Nov. 120. §. locationes. Covar. 2. var. resol. c. 10. & 17. vel per pignoris obligationem. Nov. 120. §. qvòd si usu veniat: vel deniq; per alienationem emphytevtico jure factam. c. hoc jus. 10. q. 2. Nov. 7. §. Emphytevsin autem. & Nov. 120. Circa materiam observandum est, non improbari alienationem rei Ecclesiasticæ, si ususfr. tantùm rei sit alienatus. c. si œconomus 10. q. 2. & c. seq. l. 14. §. sanè ne omnis. C. de SS. Eccles. Si ædes ruinosæ. d. c. hoc jus. §. si qvas verò. 10. q. 2. multísve præstationibus obnoxiæ. c. ut super 8. §. fin. de reb. Eccl. al. vel modicæ. c. cæterùm. 3. de donat. aut nimis remotæ. c. terrulas. vers. aut longè 12. q. 2. alienatæ sint. Circa finem alienationis notandum, permitti eam, si fi-

si fiat, vel captivorum redimendorum causâ. Nov. 120. §. sacrosanctis. Nov. 65. pr. c. 1. in fin. 10. q. 2. c. Apostolicos in pr. vers. exceptâ causâ. 12. q. 2. l. 17. vers. excepta. C. de SS. Eccl. vel æris alieni solvendi gratiâ. c. hoc jus pr. 10. q. 2. Nov. 120. §. Sed & hoc. Nov. 46. Nov. 54. §. qvia igitur. Nov. 67. §. qvoniam verò. Auth. hoc jus porrectum. C. de SS. Eccl. vel ob alimoniam pauperum c. gloria. c. aurum 12. q. 2. vel ob fabricam Ecclesiæ. c. qvesti sunt 17. q. 4. vel deniq; ob meliorem Ecclesiæ conditionem factam. c. sicut Ecclesia. §. fin. c. sine exceptione. 12. q. 2. Extra hos casus nulla rerum Ecclesiæ alienatio valida est: qvin imò illæ nullius in bonis sunt: nec qvisqvam eas tanqvam proprias sibi vindicare potest. c. ratio. 3. de præbend. c. qvod autem 23. qvæst. 7.

Neq; in iis successio jure consangvinitatis permittitur. c. 1. de præbend. c. consuluit. 15. hoc tit. c. in canonib. §. generaliter 16. q. 1.

Cap. III.

De Scholis Trivialibus.

Firma Reip. columna est recta juventutis educatio, in scholis trivialibus rectè habita. Habebitur autem rectè, si Magistratus constitutis Scholarchis Præceptorum accuratam gerat curam: non tantùm legitimis præstitis stipendiis, sed etiam monitis subinde suggestis, ne suo desint officio. Est igitur omnis Scholarum gloria in eo posita, ut suum qvisq; munus tam præceptores quàm discipuli rectè exeqvantur.

Præceptorum officium versatur partim in Doctrinæ instillatione, partim in Disciplinæ directione.

Doctri-

Doctrina preciosissimum hominis ἐφόδιον, Arist. apud Diog. Laert lib. 5. haud facilè alicui contingit, nisi prævià manuductione Præceptorum. Rari sunt αὐτοδίδακτοι: & penè dixerim Phœnice rariores. Inter veteres Numam fortè posueris. Liv. lib. 1. p. 21. aut Homerum: nam unde illi minerval, qvi stipem petebat ostiatim: Jac. Typotius lib. 2. de fortunâ. n. 4. sive etiam Apulejum, qvi de seipso scribit 1. Met. pr. se in urbe Latiâ advenam studiorum Qviritium indigenam sermonem ærumnabili labore, nullo Magistro præeunte, aggressum excoluisse. Inter recentiores clarissimum Cujacium: qvi teste Papyrio Massonio in vitâ ejus, seipsum in Græcis ferè latinisq; politioribus literis nullo docente erudiit. Eamq; studendi rationem P. Ramus Ille Pegasus, aut ducens subtilia serica Bombyx, ut loqvitur R. Goclenius, observare solitus est. Tutior tamen ex inscitiæ cœno emergendi via est, antequam judicium maturuerit præceptorum monitis insistere.

Doctrinæ verò instillatio duos fines propositos habet: Cognitionem rerum, & facultatem res animo conceptas propriâ & perspicuâ oratione explicandi. Aversamur enim eos, qvi se ita literis abdiderunt, ut nihil possint ex his neq; ad communem adferre fructum, neq; in aspectum lucemq; proferre. Cic. pro Archiâ. Ad rerum doctrinam rudioribus instillandam conducit primùm ordo, deinde dexteritas & deniq; exercitatio. Ordinis, sive in docendo, sive discendo, magna vis est. Nic. Everh. in top. loco primo: atq; in eo vertitur, ut primùm verâ pietate imbuantur adolescentium animi. Namq; omnis doctrina est demtâ

pietate venenum. Deinde in tradendis artibus philosophicis, ut qvæq; earum ordine antecedit, Præceptorum industria reqviritur. Dexteritas etiam adhibeatur. l. 57. ff. de V. S. & ibi Dn. Præcept. Gödd. num. 11. ne onerentur nimis tenelli discentium animi: necessaria & utilia in singulis disciplinis, omissis inanibus cavillationibus proponant: In lectione bonorum auctorum apes imitentur, & qvæcunq; ex diversâ lectione congesserunt, separent: meliùs enim distincta servantur. Sen. ep. 84. Nihil verò æqvè proficiet, ac exercitatio sedula, qvæ eruditionem consummat, format judicium, acuit ingenium: medetur arrogantiæ, promtosq; reddit ad reddenda ea, qvæ semel memoriæ commissa sunt. Rerum cognitionem comitari debet orationis formandæ studium, qvo pertinet diligentia in præceptis artium dicendi perspicuè tradendis, & monstrando præceptorum usu: assiduaq; styli exercitatio.

Disciplinæ directio severa præceptoribus unicè incumbit: nam

—— teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studiis. Horat. 3. od. 24.

Dirigitur autem disciplinæ scholasticæ nervus, non tam monitis, qvàm exemplo: siqvidem

— non sic inflectere sensûs
Humanos edicta valent, qvàm exempla regentum.

Tollendæ delinqvendi occasiones: promptaq; sit, & ratione moderata in delinqventes animadversio. Sævitia præceptoris nimia inulta non relinqvitur. l. 5. §. fin. l. 6. ff. ad l. Aqvil.

Discipulorum officium egregiè describit Ausonius in protreptico ad Nepotem: atq; his ferè partibus constat.

1. Docilitas reqviritur, ne in addiscendis artibus adducti arrogantiâ aut Φιλαυτία contemnant aliena judicia, nec falsas opiniones pertinaciter tueantur, sed ut alios audiant, convicti certis argumentis cedant, & veris sententiis firmiter adhærescant. Præterea non statim improbent, qvod non intelligunt: sed tanto magis admirentur, qvo minus intelligunt. At illis aut hebetibus & obtusis, aut malâ consvetudine obsessis diu, rubigo animorum effricanda est. Senec. ep. 95.

2. Studium & diligentia. Qvæcunq; salutaria sunt, sæpè agitari debent, sæpè versari: ut non tantùm nota sint, sed etiam parata. Sen. ep. 94.

3. Obedientia sine significatione contumaciæ, & in honestâ gubernatione morum, & in ratione discendi à fideli præceptore præscriptâ. Admonitionum sit patiens: Nam omnium honestarum rerum semina animi gerunt, qvæ admonitione excitantur: non aliter qvàm scintilla flatu levi adjuta, ignem suum explicat. Erigitur virtus cùm tacta est, & impulsa. Id. Sen. ep. 94.

4. Deniq; Gratitudo reqviritur. Præceptoribus enim ex sententiâ Arist. qvi veram sapientiam nobis impertiunt, non potest reddi æqvivalens. M. Antoninum Imp. perpetuâ gloriâ illustrem legimus, magistris suis tantum honoris detulisse, ut imagines eorum aureas in sacello Larium habuerit. Capitolinus. Econtrà de Nerone nihil dici potest sceleratius, qvàm qvòd infensus Senecæ omnes ad eum opprimendum artes conqvisierit. Tacit. 15. annal. 8. Qvid enim aliud supererat, post matrē fratremq; interfectos, qvàm ut educatoris præceptorisq; necem adjiceret? Tac. ib. c. 9.

Cap. IV.

De Academiis.

Academiarum jura dependent ex auctoritate Summi Principis: ut infrà lib. 5. c. 17. dicemus. Rectores earundem mixtum habent imperium. Auth. habita. C. ne fil. pro pat. in verb. delictum vel debitum. Bart. ib. & in l. 9. n. 12. de just. & jur. Julius Clarus in §. fin pr. crim. q. 53. n. 72. Zaf. in par. de jurisd. n. 23. Mufcom. de jurisd. n. 57. Syllabum florentiſſimarum in Germaniâ, Galliâ, Italiâ, Angliâ, Hiſpaniâ, &c. Academiarum adjicimus, neq; id lectori ingratum futurum ſperamus.

Germania præ cæteris hoc nomine felicior eſt: Academias numero 25. continet. Baſileenſis inſtituta à Senatu Baſilien. anno Chriſti 1459. Heidelbergenſis fundata à Ruperto Ruffo Electore Palatino. 1346. confirmata 1387. Marpurgenſis à Philippo Landgravio 1526. Jenenſis à Johanne Friderico I. El. Sax. an 1548. Julia Helmeſtadiana à Julio Duce Brunsvicenſ. & Luneb. 1576. Francofordiana ad Oderam à Joachimo I. El. Brand. 1506. Wittenbergenſis à Friderico III. El. Sax. 1503. Tubingenſis ab Eberhardo Wirtembergico. 1477. Argentinenſis à Senatu Argentin. 1567. Viennenſis Auſtriæ à Rudolpho & Alberto III. Auſtriæ Archiducibus FF. Germanis 1361. Colonienſis ad Rhenum operâ Senatûs 1388. Erphordiana à Dagoberto Francorum Rege olim condita à Bonifacio IX. PP. privilegiis ornata 1391. Herbipolenſis à Joanne Epiſcopo. 1403. Lipſienſis à Friderico I. El. Saxon. 1409. Roſtochienſis à Joanne & Alberto primis Ducibus Megapolenſibus, & pariter à Senatu Roſtoch. 1415.

Fri-

Friburgensis in Brisgoiâ ab Alberto VI. Arch. Austr. 1460. Ingolstadiana à Ludovico & Georgio patre & Filio Duc. Bavar. 1472. Moguntina à Dithero I-senburgico Archiepis. Mog. 1482. Regiomontana Borussorum ab Alberto I. March. Brand. primo duce Borussiæ 1544. Altorfiana in Norico à Senatu Reip. Noriberg. 1575. Grypswaldiana à Vratislao IX. Duce Pomer. 1456. Giessena cœpit ante triennium. Leidana Batavarum. 1575. Dillingana in Sveviâ fundata ab Othone Truchsesio Walpurgio Episcopo Augustano & Cardinali. Duacensis in Belgio fundata à Philippo II. R. Hisp.

Gallia Academias habet: Parisiensem à Carolo M. anno 791. conditam, Lugdunensem anno 830. Montispessulanam an. 1196. Aurelianensem à Philippo Pulchro R. Gall. & Clemente V. Lemovice PP. an. 1312. Andegavensem à Ludovico I. Duce Andegav. Rege Sicil. & Neapol.

Italiæ Academiæ sunt: Bononiensis in Romanulâ Cispadanâ; condita 9. Maij A. C. 423. à Theodosio II. Imp. Ticinensis Insubrium à Carolo M. fundata, anno 791. instaurata 1361. à Carolo IV. Imp. Patavina à Friderico II. Imp. 1221. Perusina in Hetruriâ florere cœpit 1290. Pisana instituta à Laurentio Medice Pr. Florentino 1339. Senensis à Pio II. PP. 1387.

Anglicæ Academiæ: Cantabrigiensis à Sigisberto Orientalium Anglorum Rege aperta 630. Lindifarnensis ab Osvvaldo Northumbrorum Rege 640. Oxoniensis ab Alfredo R. Angliæ. 895.

Hispaniæ: Conimbricensis in Lusitaniâ à Joanne II. Rege Portugal. Toletana à Fr. Alvaro. Hispalensis à Roderico de S. Æliâ. Granatensis à Fernando

Talabricenſi. Complutenſis in Regno Caſtellæ à Fr. Ximene Archiepiſ. Tolet. 1517. Haffnienſis in Daniâ condita à Chriſtiano III. R. Dan 1539. Cracovienſis in Poloniâ à Caſimiro II. R. Pol. 1364. confirmata 1400. à Vladislao Jagellone. Pragenſis in Bohemiâ à Carolo IV. Imp. 1361. Lovanienſis in Brabantiâ à Johanne Duce Brabantiæ 926. Sanctandreana in Scotiâ 1411. Dolana in Burgundiâ à Philippo Bono Duce Burgundiæ. 1426.

Cap. V.

De jure Sepulturæ.

REligioſum eſt jus Sepulturæ. §. 9. Inſt. de rer div. De qvo qværitur. 1. Sitne ullus illi habendus honor. 2. qvi ſepeliendi. 3. qvæ cum defuncto ſepelienda. 4. qvæ forma. 5. qvi locus ſepulturæ. 6. deniq; qvomodo coerceantur ſepulcrorum violatores.

Prima qvæſtio non uſq; adeò magni eſt momenti. Sciunt omnes ipſius etiam naturæ ductu, hominem humo procreatum, eidem reddendum: pulvis eſt, & in pulverem redigendus eſt. Gen. 3. ℣. 19. Præterea corpus humanum, qvod Spiritus Sancti habitaculum fuerat, honorificè terræ Matri includendum: Inſepultum ſi relinqvitur, contumeliâ afficitur ipſe naturæ conditor: mandatumq; illius ſacroſanctum violatur. Inhumana ergo eſt Theodori Philoſophi adſertio dicentis: Nihil intereſſe, ſupra terram, an infra terram putreſcat. Senec. de tranq. an. c. 14. Cic. 1. Tuſc. Impudentiam ſapit illud Diogenis q. inhumatum ſe abjici juſſit baculo tantùm appo-

appoſito. Stob.ſer.122. Inconſtantiam illud Senecæ ep.92. qvi qvo receptaculum ſuũ conferatur, ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non magis ad ſe judicat pertinere, qvàm ſecũdas ad editum infantem. Barbaris hoc in more poſitum olim, ut ſepulturam ſusq; deq; habuerint. Parthis vulgò avium aut canum laniatus fuit. Juſtin. lib. 41. Qvis non videt ipſi etiam naturæ inferri injuriam? qvis hoſtium adeò immanis, ut adverſarios ſuos cæſos inſepultos reliqverit? Sanè Philoſophus ille Macedo bello conſumtorum Athenienſium corpora ſepulturæ reddidiſſe ſcribitur. Juſtin. lib. 9. Et qvi meritum luerunt ſupplicium, eo naturæ beneficio non ſpoliati. Nam ſeptem illos ex Saulis poſteritate ſuſpenſos, terrã conditos legimus. 2. Sam. 21. Magni itaq; æſtimanda eſt ſepultura honorifica.

Alter locus jam attingendus eſt: qvinam ſepeliendi ſint. Atq; omnes omninò mortales terræ matris domicilium ſibi futurum, meritò expectant. Si fato ſunt functi, injuſtiſſimum fuerit detineri vel vexari cadavera. l.38. & ſeq. ff. de religioſ. l. præter.3 §. non perpetuæ ff. de ſepul. viol. aut ea dare pignori, qvod permiſſum fuit Ægyptiis. Herod. lib.2. p. 140. Si qvi prætextu debiti, ſepulturam impedire conantur, pœna amiſſionis debiti ſancita eſt. l. cùm te. C. de ſepulc. viol. l. qvidam in ſuo ff. de condit. inſtit. Geil. tr. de arreſt. c.11. n.28. Qvibusdam tamen perſonis ob vitam ſceleratè anteactam Eccleſiaſtica ſepultura denegatur. Tales ſunt: Uſurarii manifeſti. c.3. ext. de uſuris. Clem.1. de ſepult. fures & latrones in flagranti crimine occiſi. c. 2. ext. de furt. c. pen. 23. q. 5. Judæi c. Eccleſiam. cum 5. ſeqq. de conſcr. diſtin.1. Excommunicati c. ſacris 12. ext. de ſepult. c. ad hæc 5. de privil. αὐτόχειϱες. c. placuit 23. q. 5. Olim qvidem

eorum, qvi de ſe ſtatuiſſent, humabantur corpora, manebantq́; teſtamenta. Tac. 6. an. p. 109. Hodie ſub tecto domus dejiciuntur, vel ſub limine extrahuntur, & aut comburuntur, aut per carnificem in campo ſuppliciis deſtinato, vel ſi honeſtiores ſunt, cœmiteriis pro pinqvo ſepeliuntur: & hæc dicitur ſepultura canina. 3. Reg. 21. & 4. Reg. 9. aut aſinina. Jerem. 22. ℣. 19.

Tertio loco videndum eſt, qvæ cum defuncto ſepelienda ſint. Et palàm eſt, ornamenta cum corporibus non condenda eſſe. l. at ſi qvis 14. §. non autem oportet. ff. de relig. multo minus pecuniam. Ædificia tegant cineres, columnæ vel marmora ornent ſepulcra: talenta non teneant, qvi vivendi commercia reliqverunt. Caſſiod. lib. 4. ep. 34. Et culpæ genus eſt, inutiliter in abditis relinqvere mortuorum, unde ſe vita poteſt ſuſtentare viventium. Qvid enim proficit ſepulcrorum ſuperbia? (ait Ambroſius) damna ſunt potiùs viventium, qvàm ſubſidia mortuorum. Vituperandi ergo Galli, qvi teſte Cæſ. lib. 6. p. 125. omnia qvæ vivis cordi fuiſſe arbitrantur, in ignem inferebant, etiam animalia. Et antiqvi Germani, qvi ſua cuiq; arma, qvorundam igni & eqvum addiderunt. Tacit. de mor. Germ. c. 8. p. 619. Econtrà laudanda eorum conſvetudo, qvi morientibus ornamenta, præcipuè annulos detraxerunt. Plin. lib. 33. nat. hiſt. 1.

Qvarto forma humandi, conſideranda eſt. Eâ in re potiſſimùm Magiſtratus curam gerat, ne nimiis expenſis adornentur funera.

Abſint inani funere nœniæ,
Compeſce, clamorem, ac ſepulchri
Mitte ſupervacuos honores. Horat. 2. od. ult.

Qvor-

Qvorſum enim illa, funerum ambitio. Tac. de mor. Germ. c. 8. Qvid opus eſt ſeculis duratura componere? vis tu nunc id agere, ne te poſteri taceant? Morti natus es, minus moleſtiarum habet funus tacitum. Sen. lib. 1. de tranq. c. 1. Tacitum funus intelligit, ſine pompâ, ſine ludis, præcone, indictione, ſilens & qvietum. Indictivum ſive publicum, publicè denunciabatur per præconem. Polyb. lib. 6. Ubi præclarus aliqvis ex domeſticis obiit, inſtituunt funeris apparatum, & circumfuſi qvi ſimiles magnitudine ac ſtaturâ videntur, veſtes, capiunt: ſi conſul vel prætor fuit, purpura prætextas, ſi cenſor purpureas, ſi triumphalis auro intextas. Qvi funus proſeqvebantur, cereas manibus geſtabant, candelas, funalia, faces. Senec. de brev. vitæ c. ult. & de tranq. c. 11. Item epiſt. 123. Plin. lib. 16. c. 38. Sveton. in Auguſto c. 18. Apulejus. 2. Florid. Signum funeris Cupreſſus arbor erat. Virg. 3. Æn. Lucan. lib. 3. Et non plebejos luctus teſtata cupreſſus. Qvæ cur feralis arbor ab antiqvis fuerit habita vide Hadr. Jun. lib. 1. Miſcell. c. 20. Plin. lib. 16. c. 33. Apium etiam in luctu adhibitum legimus. Mylius in hort. Philoſ. p. 487.

Qvintò de loco Sepulturæ diſpiciendum eſt. Liberum eſt cuilibet, qvo velit loco ſepulturam ſibi deligere. c. 1. in verb. nulli tamen. c. cùm ſuper. 8. ext. de ſepult. c. 2. §. fin. eod. in 6. adeò ut & uxor inconſulto marito, & filius ſine aſſenſu patris ſui, hanc poteſtatem ſibi vendicent. c. de uxore 7. ext. eod. & c. pen. eod. in 6. Vid. Vigel. lib. 4. Meth. Jur. Can. c. 9. n. 2. reg. 1. Uxor tamen defuncti mariti ſepulchrum ſeqvitur. c. unaqvæq; 13. q. 2. qvos enim conjunxit unum conjugium, conjungat unum ſepulchrum. c. 2. in fin. 13. q. 2. Præterea non in religioſo tantùm loco ſepultura permittitur, ſed etiam in loco mi-

minùs religioso. c. 2. §. fin. de Sepult. in 6. modò id malitiosè non fiat: neq; enim malitiis indulgendum est. c. 3. ext. de sepult. Cæterùm in Civitate sepultura denegata est. l. 3. §. 5. ff. de Sepulc. viol. l. mortuorum 12. C. de religios.

Restat ultimò, qvomodo coërcendi sint sepulchrorum violatores: qvi imitantur hyænam, qvæ inqvisitione corporum sepultorum busta eruit. Solin. Polyhist. cap. 40. Talis Cambyses, qvi vetusta recludens sepulchra mortuos inspiciebat. Herod. lib. 3. p. 173. & cadaver R. Ægyptii Amasis è conditorio sublatum verberibus cædi ac vellicari, stimulisq; pungi, omni deniq; contumeliâ infestari curavit. Herod. in Thal. p. 164. Cæterùm violatoribus sepulcri jus civile infamiam irrogat. l. 1. ff. de sep. viol. qvia dolum punit, l. 3. eod. cujus propria pœna dedecus est. Interdum etiam ii, qvi cadavera spoliant, vel corpora ossaq; extrahunt, severiùs qvandoq; etiam capite puniuntur l. 3. §. adversus 7. l. fin. eod. l. 4. C. eod. qvod ad illos qvoq; extenditur, qvi furcis affixos vel suspensos aut denudant, aut prorsus tollunt: item qvi semimortuos aut necant, aut deserunt, sibi commissos, ut citiore morbo animam exhalare cogantur. Qvin imò qvotiescunq; curiositate qvadam, nullo interveniente dolo, sepulcra à Principibus aperta sunt, malè res cecidit. Qvo terrore Xerxes effosso Beli monumento affectus fuerit, Ælian. lib. 13. ex Herod. lib. 3. memorat: Semiramidis sepulcrum Darius non satis feliciter aperuit, Herod. lib. 1. Nec Alexander Cyri: Cicero Archimedis: Otto III. Imp. Caroli M. Carolus V. Imp. Rudolfi I. & successorum cadavera aliqvo cum fructu spectarunt:

—— subitâ gelidus formidine sangvis
Diriguit, cecidère animi. Virg. 3. Æn. gelidusq; per ima cucurrit Ossa tremor. Qviescāt ergo illi, qvi semel

terræ

terræ viſcerib. ſunt conditi: immunes ab improborum aſſultibus: curioſorumq; hominum vanitate.

CAP. VI.

De Pace Religionis in S. Rom. IMPERIO receptâ.

NEminem latere opinor, qvantis bellorum civilium ſeditionumq; incendiis flagrârit Germania ſub imperio Caroli Cæſaris: qvantæ tenebræ efflorescenti verbi divini ſplendori offuſæ fuerint: nempè multorum oculos ita perſtrinxerat Romanæ devotionis ſtudium, ut renaſcentem Evangelii lucem, longè lateq; irradiantem, ferre aut non poſſent aut nollent. Verùm qvò vehementioribus obfuſcationibus illi ſoli obviam eſt itum, eò majori impetu erupit: Nihil erubeſcit veritas, niſi ſolummodò abſcondi. Et qvemadmodum plantis qvibusdam, veluti lilio, myrrhæ oxali, croco, plantagini (qvâ de re vid. M. Myl. in hort. Philoſ. p. 291. 407. 622. &c.) ea eſt natura, ut calcatæ magis magisq; vireſcant: Aut ſicut in univerſum aromata latè odorem emittunt, ſi teras: ita veritatis fama diffunditur, ſi premas. Sæpiùs tentata res eſt, qvâ ratione libera ab oppreſſionibus adverſariorum, Evangelicæ veritatis profeſſio haberi poſſet: primùm enim anno 1541. pacificatio qvædam, ſed temporaria & arctior erecta; qvæ anno ſeqvente 42. Spiræ ad annos qvinqve: ac inſuper anno 44. ad ulteriorem declarationem prorogata eſt: Donec plena & perfecta religionis pacificatio in Comitiis Auguſtanis, juſſu Caroli Cæſaris à Ferdinando Rege Germ. & ſtatibus Imperii ſolenniter geſtis, introducta eſt, & confirmata à Maximiliano Cæſ. anno 1566. Hujus pacificationis verba ex Receſſu Imperiali iſtius anni, cujus etiam Sleidan.

memi-

meminit lib. 26. p. 398. fideliter referam, additis nonnullis observationibus: **Der Kayser / König Ferdinand / auch Churfürsten / Fürsten vnd Stände des H. Reichs solten niemanden von wegen der Augspurgischen** Confession, **vnd derselbigen Lehr / Religion vnd Glaubenshalben / mit der that gewaltiger weise vberziehen /** beschädigen / **vbergewaltigen / oder in andere wege wider sein** conscienz, **wissen vnd willen / von dieser Augspurgischen** Confessions **Religion / Glauben / Kirchengebreuchen / Ordnungen vnd Ceremonien / so sie auffgericht / oder nachmals auffrichten mögen / in ihren Fürstenthümben / Landen vnd Herrschafften / dringen / oder durch** Mandat, **oder in einiger anderer gestalt / beschweren oder verachten / sondern bey solcher Religion / Glauben / Kirchengebreuchen / Ordnungen vnd Ceremonien / auch ihren Haab / Güttern liegend vnd fahrend / Land / Leuten / Herrschafften / Obrigkeiten / Herrligkeiten vnd Gerechtigkeiten / ruhiglich vnd friedlich bleiben lassen.**

Prohibetur violentia, coactio, contemtus Catholicorum in Religionis Augustanæ Confessionis asseclas. Sancitur tranqvillum & concors illius Religionis exercitium, qvod consistit, tum in peragendis omnibus istis, qvæ religionis hujus ratio & institutum exigit: tum in bonis, sive mobilibus si immobilibus pacatè obtinendis.

Vnd sol die streitige Religion nicht anders / dann durch Christliche / freundliche / friedliche Mittel vnd wege / zu einhelligem Christlichen Verstand vnd Vergleichung gebracht werden.

Vides qvibus mediis tentandum, ut in unam consonantiam redigatur dispar Religio! Placida, amica, pacata suscipiatur tractatio: Odium, ira, virulentia, hic sibi nihil vendicet.

Alles bey Keyserlichen vnd Königlichen würden /

den/ Fürstlichen Ehren/waren worten / vnd Peen des Landfriedens.

Juramento se adstringunt S. Imperii Rom. proceres, ad hujus constitutionis observantiam. Juramento enim æqvipollent verba ista. Mynſ.1.obſ.17.Geil.2. obſ.59.n.2. Colerus tr. de processib. p.1.c.10. n.250. Tessaurus decis. 47. n. 11. Wesenb. conſ.23. n. 56. Pœnam etiam in transgressores statuunt, eandem, qvæ fractoribus pacis publicæ irroganda est: nempe Bannum Imperii.

Dargegen sollen die Stände/so der Augspurgischen Confession verwand / die Römische Keyserliche Maytt. etc. vns vnnd Churfürsten / Fürsten vnd andere des H. Reichs Stände der alten Religion anhängig / Geistliche oder weltliche/ sambt vnd mit jhren Capiteln / vnd andern Geistliches Standes/auch vngeacht/ ob vnd wohin sie jhre residentzen verrückt oder gewendet hetten / gleicher gestalt bey jhrer Religion / Glauben/ Kirchengebreuchen/Ordnungen vnd Ceremonien/auch jhren Haab / Gütern / liegend vnd fahrend / Landen/ Leuten/Herrschafften/Obrigkeiten/Herrligkeiten vnd Gerechtigkeiten / Renten / Zinsen/ Zehenden vnbeschwert bleiben / vñ sie derselben friedlich vnd ruhig gebrauchen/ geniessen / vnwegerlich folgen lassen / vnd getrewlichen darzu verholffen seyn / auch mit der That oder sonst in Vnguten/ gegen denselben nichts fürnehmen / sondern in allewege nach laut vnd außweisung des H. Reichs Rechten/ Ordnungen/Abschieden/vnd auffgerichtem Landfrieden / jeder sich gegen dem andern an gebürendem ordentlichem Rechten begnügen lassen/ alles bey Fürstlichen Ehren / waren worten / vnd vermeidung der Peen in dem auffgerichten Landfrieden begriessen/ etc.

Justissima & à naturâ ipsâ profecta (Cic. de Invent.) Talionis lex hic sancitur, ut Protestantes, qvam in se suisq;

isq; bonis tranqvillitatem optant, Catholicis etiam permittant. Fruantur Status Catholici sive Ecclesiastici sive Seculares plenâ securitate: in exercendo religionis suæ cultu: nec qvisqvam bona eorum rapiat aut spoliet, religionis prætextu: qvin potiùs secundum sacras Imperii constitutiones legitimis remediis contra eos experiatur: Transgressoribus Bannum infligitur.

Doch sollen alle andere / so obgemelten beyden Religionen nicht anhengig / in diesem frieden nicht gemeinet / sondern gäntzlich außgeschlossen seyn.

Vnd nach dem bey vergleichung dieses Friedens streit fürgefallen / wo der Geistlichen einer oder mehr von der alten Religion abtretten würden / wie es der von jhnen biß daselbst hin besessenen vnd eingehabten Ertzbisthumb / Bisthumb / Prælaturen vnd Beneficien halben / gehalten werden sol / welcher sich aber beyder Religions Stände nicht haben vergleichen können / Demnach haben wir in krafft hochgedachter Römischer Keyserlicher Majestet / vns gegebener Vollmacht vnd Heimstellung erklärt vnd gesetzt / thuen auch solches hiemit wissentlich also: wo ein Ertzbischoff / Bischoff / Prælat / oder ein ander Geistliches Standes / von vnser alten Religion abtreten würde / daß derselb sein Ertzbisthumb / Bisthumb / Prælatur vnd andere Beneficia, auch damit alle Frucht vnd Einkommen / so er davor gehabt / alsbald ohne einige wiederung vnd Verzug / jedoch seinen Ehren vnnachtheilig / verlassen / auch den Capituln / vnd denen es von gemeinen Rechten / oder der Kirchen vnd Stifftgewonheiten zugehört / ein Person der alten Religion verwand zu wehlen vnd zu ordnen zugelassen seyn / welche auch sampt der Geistlichen Capiteln vnd andern Kirchen / bey der Kirchen vnd Stifftfundationen, electionen, presentationen, confirmationen,

tionen, Altem Herkommen / Gerechtigkeiten vnd Güttern / liegend vnd fahrend / vnverhindert vnd friedlich gelassen werden sollen / jedoch künfftiger / Christlicher / freundlicher vnd endlicher Vergleichung der Religion vnvorgreifflich.

Omnibus immediatè Imperio subjectis liberum est, extra omnem cujusq; offensionem, à Pontificiâ ad Augustanam confessionem, vel contrà, discedere : Ecclesias reformare, & reditûs ad suæ religionis usum applicare. Si tamen Ecclesiasticorum qvispiam, veluti Archiepiscopus, Episcopus, sive Prælatus, à religione & officio suo discesserit, beneficia cum omnibus reditibus restituere cogitur, ut ea penes Pontificios remaneant, & alium sui ordinis præficiant. Hoc verò contrariâ consvetudine moderatum & abrogatum.

Dieweil aber etliche Stände vnd derselben Vorfahren / etliche Stifft / Klöster vnd andere Geistliche Gütter eingezogen / vnd dieselbigen zu Kirchē / Schulen / milten vnd andern Sachen angewendt / so sollen auch solche eingezogene Güter / welche den jenigen / so dem Reich ohne mittel vnterworffen / vnd Reichsstände sind / nicht zugehörig / vnd deren possession die Geistlichen zu zeit des Passawischen Vertrages / oder seithero nicht gehabt / in diesen Friedstand mitbegriffen vnd eingezogen seyn / vnd bey der verordnung / wie es ein jeder Stand mit obberürten eingezogenen vñ albereit verwandten Gütern gemacht / gelassen werden / vnd dieselben Stände derenthalben / weder in noch ausserhalb Rechtens / zu erhaltung eines bestendigen ewigen Friedens nicht besprochen noch angefochten werden. Derhalben befehlen vñ gebieten wir hiermit / vnd in krafft dieses Abschieds / der Keys. Maytt: Cam̄errichter vñ Beysitzern / daß sie dieser angezogener vnd verwanter Güter halben / keine Citation,

mandat

mandat vnd proceß erkennen vnd decerniren sollen.

Bona Ecclesiastica, veluti monasteria, qvæ propriè ad eos, qvi immediatè Imperio sunt subjecti, non pertinent, qvorum possessione caruerunt Ecclesiastici à tempore transactionis Passaviensis, anno 1552. initæ, occupata à statibus, translatis reditibus ad Ecclesiarum reformatarum, scholarumq; emolumentum, Constitutione includuntur: adeò ut qvæcunq; à novis istis occupatoribus sit facta dispositio, ea vigorem suum obtineat: nec conceditur alicui judicialiter vel extrajudicialiter illis litem intentare: neq; enim horum bonorum nomine processûs à Camerâ decerni solent.

Damit auch obberürte beyderseits Religionsverwandte / so vielmehr in beständigem Frieden / vnd guter Sicherheit / gegen / mit / vnd beyeinander sitzen vnd bleiben mögen / so soll die Geistliche jurisdiction (doch den Geistlichen Churfürsten / Fürsten vnd Ständen / Collegien, Klöstern vnd Ordensleuten an jhren Renten / Gülten / Zinsen vnd Zehenden / weltlichen Lehnschafften / auch andern Rechten vnd Gerechtigkeiten / wie obstehet / vnvergriffen) wider der Augspurgischen Confession, Religion / Glauben / Bestellung der Ministerien, Kirchengebreuchen / Ordnungen vnd Cerimonien / so sie auffgerichtet oder auffrichten möchten / biß zu endlicher Vergleichung der Religion / nicht exerciret, gebraucht oder geübt werden / sondern derselbigen Religion / Glauben / Kirchengebreuchen / Ordnungen / Cerimonien / vnd bestellung der Ministerien, jhren gang lassen / vnd kein Hindernus oder Eintrag dadurch beschehen / vnd also hierauff / wie obgemelt / biß zu endlicher Christlicher Vergleichung der Religion / die Geistliche jurisdiction ruhen / eingestelt vnd suspendirt seyn vnd bleiben /

ben/Aber in andern Sachen vnd Fällen der Augspurgischen Confession Religion / Glauben / Kirchengebreuchen / Ordnungen/ Ceremonien vnd bestellung der Ministerien nicht anlangend / sol vnd mag die Geistliche Jurisdiction durch die Ertzbischoffe/ Bischoffe/vnd andere Prælaten/wie deren exercitium an einem andern Ort hergebracht / vnd sie in deren Vbung / Gebrauch vnd Possession sind/ hinfüro/wie bißher/ vnverhindert exercirt, geübt/ vnd gebraucht werden.

Jurisdictio Ecclesiastica, qvæ penes Pontificios erat, in omnibus negociis & causis Confessionem Augustanam concernentibus, suspensa & inhibita est, usq; ad Christianam & amicabilem de religionis negocio inter Cæsarem & Status Imperii compositionem. Exinde seqvitur I. Cognitionem hujus rei, veráne an erronea sit Augustana confessio durante Edicto, planè esse inhibitam, ita ut illa neq; in Camerâ tractari, neq; ad Austregas vel singulares Imperii recessus, neq; ad forum Ecclesiasticum remitti possit. P. Dennais. in jur. Cam. h.tit.n.12. II. Censuram Ecclesiasticam omnem esse suspensam: Unde est, qvòd Magistratui Pontificio non permittitur Inqvisitio in subditos Augustanæ Confessioni addictos, tanqvam in hæreticos, multo minùs animadversio. III. Concludendum inde, si Confessionis Augustanæ adseclæ jus patronatûs competat, potestatem illi esse præsentandi suæ religionis ministrum: qvem collator, licet Pontificius sit, instituere cogitur. IV. Cognitionem in causis spiritualibus, veluti Juramenti (qvæ jur. Can. ad forum Ecclesiasticum spectat. c. venerabilem in fin. de elect. Geil. 1. obs. 25. num. 1.) pertinere ad Cameram. Ord. Cam. part. 2. tit. 24. Gvid. Pap. decis. 178. n. 3. & decis. 194. Aliud πόρισμα ex prioribus Constitutionis verbis deducit Justus Springerus in tr. de pac. Rel. p. 59. Protestantes in suis territoriis non

teneri Calendarium Gregorianum ſuscipere. Hæc alibi latiùs. Nos ad edicti verba revertimur.

Als auch den Ständen der alten Religion verwand / alle jhre zuſtendige Rent / Zinß / Gült vnd Zehenden / wie oblaut / folgen ſollen / So ſol doch einem jedẽ Stand / vnter dem die Rent / Zinß / Gült / Zehenden oder Güter gelegen / an denſelbigen Gütern / ſeyn weltliche Obrigkeit / Rent vnd Gerechtigkeit / ſo er von anfang dieſes Streits in der Religion daran gehabt / vnd im brauch geweſen / vorbehalten / vnd dadurch denſelbigen nichts benommen ſeyn. Vnd ſollen dannoch von ſolchen obgenanten Güttern / die notturfftige miniſteria der Kirchen / Pfarrhen vnd Schulen / auch die Almoſen vñ Hoſpitalia, die ſie vormals beſtelt / vnd zubeſtellen ſchüldig / von ſolchen obgemelten Güttern / wie ſolche miniſteria der Kirchen vnd Schulen vormals beſtelt / auch nochmals beſtelt vnd verſehen werden / vngeacht / was Religion die ſeyen / etc.

Suprà dictum, Catholicis omnes reditûs annuos manere debere inviolabiles. Additur hoc loco, penes Dominum iſtius territorii, qvo exigi ſolent, jus Superioritatis, qvod ante controverſiam de Religione motam obtinuit, adhuc reſidere. Ex illis bonis ſtipendia miniſtris Eccleſiarum & Scholarum exſolvenda ſunt. Magiſtratus autem qvilibet tot miniſtros Eccleſiæ adſciſcere poteſt, qvot ad fidem ſuam propagandam reqviri putaverit.

Adnectitur in §. ſeq. Vnd ob ſolcher Beſtellung halber / Cautela: In diſſenſione partium eligendos eſſe arbitros, qvi dijudicent, qvid & qvantum ad ſuſtentationem ejusmodi miniſtrorum conferri debeat. Pergit Conſtitutio.

Es ſol auch kein Stand den andern / noch deſſelben Vnderthanen / zu ſeiner Religion dringen / abpracticiren / oder wieder jhre Obrigkeit in Schutz

vnd

vnd Schirm nehmen / noch vertheidigen in keinen weg. Vnd sol hiemit den jenigen / so hiebevor von alters Schutz: vnd Schirmherrn anzunehmen gehabt / hierdurch nichts benommen / vnd dieselbe nicht gemeinet seyn.

Nemo alterum cogat ad suæ religionis professionem: Nihil tam voluntarium, qvàm religio: in qvâ si animus aversus est, jam sublata, jam nulla est. Lactant. lib.5.c.14. Nemo subditos alterius ab obedientiâ Magistratûs sui avocet: nemo patrocinium subditorum contra Magistratum illorum suscipiat. Sanè in fidem & clientelam protectionémve suam suscipere civitatem aliqvam, prohibitum non est. Vult. 1. de feud. c. 8. num. 17. Patronus sive protector, Schutz: vnd Schirmherr dicitur: eosq; qvos in tutelam suam recipit, accepto annuo honorario contra injuriam aliorum, etiam armatâ manu protegere & defendere tenetur. Geil. 2. obs. 54. n. 2. aliâs nihil juris illi competit. Nam clientes Schirmsverwandten non efficiuntur illius subditi: manentq; sub ordinariâ jurisdictione sui Magistratus, cui in omnibus, ut antea parére debent. ar. c. recepimus 8.ext.de privil. Unde intelligitur, protectorem non posse jure Clientelæ à Clientibus suis pensitationem vel collectam exigere. Geil. 2. obs. 54. n. 5.

Wo aber vnsere / auch der Churfürsten / Fürsten vnd Stände Vnderthanen der alten Religion / oder Augspurgischen Confession anhengig / von solcher jhrer Religion wegen aus vnsern / auch der Churfürsten / Fürsten vnd Stände des Heiligen Reichs Landen / Fürstenthumben / Städten oder Flecken / mit jhren Weib vnd Kindern / an andere ort ziehen / vnd sich niederthun wolten / denen sol solcher Ab: vnd Zuzug / auch Verkauffung jhrer Haab vnd Gütter / gegen zimlichem billichem Abtrag der Leibeigenschafft vnd Nachsteur / wie es eines jeden Ortes von Alters her-

 vblich

vblich herbracht vnd gehalten worden ist / vnverhindert menniglichs / zugelassen vnd bewilliget / auch an jhren Ehren vnd Pflichten allerdings vnentgolten seyn. Doch sol den Obrigkeiten / an jhren Gerechtigkeiten vnd Herkommen der Leibeignen halben / dieselbigen ledig zu zehlen oder nicht / hiedurch nichts abgebrochen / oder benommen seyn.

Misera Regnicolarum Christi conditio est: odiis, persecutionibus, excommunicationibus, occisionibus excipiuntur ab adversariis; & qvidem sub opinione cultûs Dei. Joh. 16. ℣. 2. Verùm nihil est qvod tam deceat, qvam in omni re ferendâ, consilioq; capiendo servare constantiam. Cic. 1. Off. pag. 57. Camerar. de rore Solis, in Emblem. Invicta maneo:

Syrius ut flagret, viret ac perfusa liqvore est:
Candida sic durent pectora firma fide.

Vigore hujus constitutionis non permittitur Magistratui Pontificio subditum reformatæ religionis ex illâ causâ bonis multare, ejicere, vel qvacunq; aliâ ratione lædere, sed emigrandi illi potestatem liberam, bonis omnibus vel ablatis secum, vel justo precio divenditis, concedere debet: ut aliò se conferat, ubi publicum atq; liberum religionis suę exercitium habere possit. Integrum ergo subditis est aut emigrare, aut placide eo loco commorari. P. Friderus lib. 1. de process. c. 30. p. 128.

Homines proprii sive Leibeigene / anteqvàm emigrent, tenentur redimere jus, qvod Domino in seipsos competit: Et certa bonorum portio civitati relictæ debetur, qvam vulgò Nachsteur appellare solent. Geil. tr. de arrestis. c. 14. in fin.

Vnd nach dem eine Vergleichung der Religion vnd Glaubenssachen / durch zimliche vnd gebürliche wege gesucht werden sol / vnd aber ohne beständigen Frieden zu Christlicher freundlicher Vergleichung der Religion nicht wol zukommen. So

haben

haben wir auch der Churfürsten Rähte an stat der Churfürsten / erscheinende Fürsten / Stände vnd der Abwesenden Botschafften vnd Gesandten / Geistliche vnd weltliche / diesen Friedstand / von geliebten Friedens wegen / das hochschädliche Mißvertrawen im Reich auffzuheben / vnd diese löbliche Nation vor endlichem vorstehenden Vntergang zuverhüten / vnd damit man desto eher zu Christlicher / freundlicher vnd endlicher Vergleichung der spaltigen Religion kommen möge / bewilligt / solchen Frieden in allen obgeschriebenen Artikeln / biß zu Christlicher / freundlicher vnd endlicher Vergleichung der Religion vnd Glaubenssachen / stet / vest vnd vnverbrüchlich zu halten / vnd demselbigen trewlich nachzukommen. wo dann solche Vergleichung durch die wege des General Concilii, Nationalversamlung / Colloquien oder Reichshandlungen / nicht erfolgen würde / sol alsdann nichts desto weniger dieser Friedstand in allen oberzelten Puncten vnd Articuln / bey kräfften / biß zu endlicher vergleichung der Religion vnd Glaubenssachen / stehen vnd bleiben / vnd sol also hiermit / obberürter gestalt / vnd sonst in alle andere weg / ein beständiger / beharrlicher / vnbedingter / für vnd für ewigwehrender Fried / auffgerichtet vnd beschlossen seyn vnd bleiben.

Causas finales erectæ hujus Constitutionis Status adjiciunt: harum tres sunt: ut diffidentiæ & suspiciones mutuæ tollantur: ut vindicetur ab imminente interitu patria: ut ad amicabilem in religionis negotio compositionem citiùs perveniatur. Adstringunt se denuò ad observantiam edicti: Qvòd si vel in generali Concilio, vel provinciali conventu, vel colloqvio, lis illa dirimi non possit, ratam mansuram hanc constitutionem perpetuò edicunt.

Vnd in solchem Frieden sollen die Freyen Ritterschafft / welche ohne Mittel der Keyserlichen Majestet vnd vns vnterworffen / auch begriffen sein / also vnd der gestalt / daß sie obbemelter beyder Religion halber / auch von niemanden vergewaltigt / bedrängt noch beschwert sollen werden.

Nobiles immediatè Imperio subjecti fruuntur beneficio hujus Constitutionis. Possunt ergo in omnibus suis bonis sive allodialibus sive feudalibus religionem liberè mutare. P. Friderus lib. 1. de process. c. 32. n. 2.

Nach dem aber in vielen Frey: vnd Reichsstädten / die beyde Religionen / nemblich / vnsere alte Religion / vnd der Augspurgischen Confession Verwandten Religion / eine zeithero im gang vnd gebrauch gewesen / So sollen die hinfüro auch also bleiben / vnd in solchen Städten gehalten werden / auch derselben Frey: vnd Reichsstädte Bürger / vnd andere Einwohner / Geistlichs vnd weltlichs Standes / friedlich vnd ruhig bey vnd neben einander wohnen / vnd kein Theil des andern Religion / Kirchengebreuch / oder Cerimonien abzuthun / oder jhn davon zudringen vnterstehen / sondern jeder Theil den andern / laut dieses Friedens / bey solcher seiner Religion / Glauben / Kirchengebreuchen / Ordnungen vnd Cerimonien / auch seinen Haab vnd Güttern / vnd allem andern / wie hie oben beyder Religion Reichsständ halben verordnet vnd gesetzt worden / ruhiglich vnd friedlich bleiben lassen.

In multis Civitatibus liberis Imperialibus tam reformatæ quàm Pontificiæ doctrinæ exercitium viget: Ex mente statuentium nemo alterum concivem suum ob religionis discrepantiam vexet, turbet, sive in ritibus ad religionem cujusq; pertinentibus, sive bonis Ecclesiasticis. Si igitur Catholica religio in urbe Imperiali colatur, danda il-

da illa est conscientiæ libertas: & civibus liberum Augustanæ Confessionis exercitium postulantibus mos gerendus est. Dissentit Friderus lib. 1. de process. c. 31. p. 135.

Vnd sol alles/ das in hievorigen ReichsAbschieden/ Ordnungen/ oder sonst begriffen vnd versehen/ so diesem Friedstand/ in allem seinem Begriff/ Articuln vnd Puncten zuwieder seyn/ oder verstanden werden möchte/ demselbigen nichts benehmen/ derogiren noch abbrechen/ auch dagegen kein declaration, oder etwas anders/ so denselbigen verhindern oder verändern möcht/ nicht gegeben/ erlangt noch angenommen/ oder ob es schon gegeben/ erlangt oder angenommen würde/ dannoch von Vnwürden vnd Vnkräfften seyn/ vnd darauff weder in noch ausser Rechtens/ nichts gehandelt oder gesprochen werden.

Si qvod fortè in prioribus Imperii recessibus continetur, qvod Pacificationi huic contrarium esse videtur, valere id nullo modo potest: nec declaratio permittitur: nec curiosa indagatio de Constitutionis hujus validitate suscepta.

Unde patet, qvid tribuendum illi assertioni noviter in lucem productæ: Constitutionem pacis religionis à tempore Tridentini Concilii finiti, respectu Augustanæ Confessionis expirasse. Vana illa meritò censenda. Non enim isthic duas illas religiones discrepantes, in isto concilio ad aliqvā consonantiam redactas; sed potius crassissimos errores ab Orco revocatos, tenaciterq; defensos esse legimus, ut multis probat Chemnitius tr. de Concilio Tridentino.

In §. pen. & ult. hujus Constit. tam Cæsar, qvàm Status Imperii adstringunt se ad Edicti perpetuam observantiam, uti suprà etiam cognovimus.

Cap. VII.

De Pace Publicâ. Vom Landfrieden.

UT tuta esset inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrenaretur nocendi facultas. c.1. dist.4. Divus Maximilianus I. cùm nulli magis qvàm Cæsari convenire intelligeret, Reip. salutem tueri. l. 3. pr. ff. de off. præf. vig. concordi Statuum suffragio Wormatiæ anno 1495. & Augustæ anno 1500. saluberrimam de pace publicâ Constitutionem promulgavit: qvæ confirmata est à Divo Carolo Wormatiæ Anno 1521. Noribergæ anno seq. Augustæ anno 1548. & 1551. Divo Ferdinando Augustæ Anno 55. Ratisbonæ anno 57. Augustæ anno 59. & Divo Maximiliano II. Augustæ anno 66. Spiræ an.70. Ratisbonæ an.76.

Hæc constitutio vniversalis est: qvemadmodum aliæ leges. l.8. ff. de LL. l.3. §.5. de sepulcro viol. Neminem excusat ignorantia. l.12. C. de jur. & fact. ign. l.11. §.3. ff. de instit. act. Omnes omnino, summos cum infimis comprehendit, etiam fœminas. Geil. 1. de PP. c.1. n.34. Variis autem ex causis pax publica violatur.

1. Si qvis ex qvacunq; causâ ad offensionem alterius delectum militum egerit: & bellum moverit: atq; eo in casu in Camerâ Imperiali mandata avocatoria decerni solent, ut qvi conscripsit milites, eos è vestigio dimittat, & gregariis militibus ne prece vel precio militent, seriò injungitur. Si contra ista mandata proceditur, pœna Banni infligitur: & interim implorato vicini Principis subsidio, & præsidis provinciæ, vis vi repellitur. Omnia enim bella

bella injussu Cæsaris suscepta, reprobata sunt. l.3.ff. ad l. Jul. Majest. l.17. C. de re mil. 12. C.36.Ord.Cam.p.2.t.15. Geil.1.de PP.c.4.n.4.

2. Si qvis alterum dolosâ & atroci violentiâ possessione dejicit & spoliat. Dolosam dico, si qvis præcedente consilio ad hoc ipsum homines colligit armatos, ut damnum det, bonáve rapiat.l.2.§.2.ff.vi bon.rapt. Voluntas enim & propositum distinguunt maleficia l.53. pr.ff. de furt. eaq; qvæ repentino aliqvo metu accidunt, leviora sunt, qvàm ea qvæ mediata & præparata inferuntur. Cic. 1.off. Ergo nisi destinatum animi propositum præcesserit, non violatur pax publica. ar.l.46.§.7.ff.de furt.l.1. §.3. ff. ad l. Corn. de sicar. nisi qvis in actu per se illicito versetur: nam qvi rei prohibitæ operam dat, ipso facto censetur esse in manifesto dolo.arg. l.52.§.1.ff.ad l.Aqvil. Geil.1. de PP. c.7.n.13. sive per se hoc faciat, sive per alios. l.1.§.12. ff.de vi & vi armatâ. l.6.§.1.ff. q. cujusq; univers. l.152. §.1.l.169. ff.de R.J. etiam auxilium scelerosis impartiendo. l.6. C. de defens. civit. l.1.§.35. ff.ad SC.Sillan.l.15.§.8.ff.de injur. Violentiam consideramus hoc loco majorem, qvàm cui resisti possit. l.15. §.2. ff. locati. Ad solam enim vim atrocem pertinet hæc constitutio.ar. l.1.§.3.ff.de vi & vi arm. qvæ est majoris rei impetus, qvæ repelli non potest.l.2.ff. Qvod met.caus. fitq; armatâ manu collectis hominibus. l.2. pr.& §.4. ff.vi bon.rapt. ubi possessor domo agróve suo dejicitur.l.3.§.fin. vel villa expugnatur.d.l.3.§.2.ff.ad l. Jul.de vi publ.

3. Si qvis alteri bellum & extremas inimicitias denunciet: qvæ denunciatio Diffidatio dicitur. **wann einer den andern befehdet / Absags: oder Fehdsbriefe zuschicket.** Ipsa enim per se diffidatio arma parata præsentemq; necem intentat. Qvin & publicâ Imperii lege capitali supplicio diffidator afficitur. Carol.V. **Peinliche Halßgerichts Ordnung** art. 129. his verbis: **welcher jemand wider Recht vnd Billigkeit mutwillig be-**

 fehdet/

fehdet/den richtet man mit dem Schwerd vom Leben zum Tod. Huc pertinent minæ, de qvibus, ſi qvis certis de cauſis ſibi metuat, mandatum de non offendendo impetrabit in Camerâ. Geil. 1. de PP. c. 2. & 3. Melius enim eſt in tempore occurrere, qvàm poſt exitum vindicare. l. 1. C. qvando liceat unicuiq; ſine jud. ſe vin: & jura intacta ſervare, qvàm poſt vulneratam cauſam remedium qværere. l. fin. C. in qvibus cauſ. reſt. in integ.

4. Si qvis hoſtibus Rom. Imperii loricas, ſcuta, arcus &c. vendiderit: nam iſti præterqvàm qvòd incidunt in pœnam fractæ pacis de jure communi plectuntur capitis pœnâ, cum publicatione omnium bonorum. Pernicioſum namq; Romano Imperio, & proditioni proximum eſt barbaros qvos indigere convenit, teſis eos ut validiores reddantur inſtruere. l. 2. C. qvæ res exportari.

5. Si qvis ædificaverit ad æmulationem alterius, & ad novum opus nunciatum non deſtiterit: ea enim res materiam ſeditionis præbet. l. 3. ff. de op. pub.

6. Si qvis contumax fuerit, & jurisdictionis Cæſareæ contemtor. ar. l. un. pr. ff. ſi qvis jus dic. l. 2. §. 1. ff. ſi qvis in jus voc. non ierit. l. 11. §. 4. in fin. ff. de interrogat. l. 9. ff. de jurisdict.

7. Si qvis ſubditos alterius ad rebellionem incitaverit: & tumultum ex tumultu ſeverit, ut loqvitur Saluſt. variisq; artibus imperitam plebeculam impulerit.

8. Si qvis proſcriptos Imperii receptaverit. nam peſſimum genus eſt receptatorum, ſine qvibus nemo diu latére poteſt. l. 1. pr. ff. de recept. par ipſos & reos pœna expectet. l. 1. C. de his qvi latrones. Qvintil. decl. 255. Proximos exiſtimo eſſe eos transfugis, à qvib. transfugæ recipiuntur: Hoc naturâ ſimile eſt, facere ſcelus & probare. Vid. Geil. 2. de PP. 10.

Atq;

Atq; his mediis violatur Conſtitutio de pace publicâ: Videámus de coërcitione.

CAP. VIII.

De Banno ſeu Proſcriptione Imperii.

BAnni vocem deducunt vel à Vandalico **Banner/** qvod vexillum denotat: qvo ſenſu Procopius lib. 4. bell. Perſ. Bannophorum dicit Signiferum: vel à mulctâ: cùm pro ea uſurpetur ſæpiùs. tit. de conſvet. & ſtat. contr. lib. Ecçl. edit. in pr. Vs. F. vel à germanico **Baan** / qvod viam publicam ſignificat, & judicium criminale, unde **Blutbaan**: Sive qvòd Bannitis interdictus ſit publicarum viarum uſus: ſive qvòd criminali judicio plectendi ſint. Eſt autem Bannum ſive proſcriptio, pœna, qvâ violatoribus pacis publicæ aqvâ & igni interdicitur, ita ut à nemine in clientelam & fidem recipi, ab omnibus verò impunè tam in perſonâ qvàm rebus offendi poſſint. Geil. 2. de PP. 1. n. 20. Sunt enim hoſtes Imperii: ἐχθροὶ qvæ vox cùm germanicâ appellatione **Echter** coincidit.

Soli autem Cæſari vel Regi Romanorum, & Cameræ Imperiali jus banni Imperialis cōpetit, ar. l. 1. §. 3. ff. de leg. 3. Geil. 1. de PP. c. 11. n. 3. in omnes Imperio Rom. ſubjectos, tam ſeculares qvàm Eccleſiaſticos, qvi ratione dignitatis, regalium & feudorum Imperialium immediatè Cæſari & Imperio ſubjecti ſunt. Et ideò contra Eccleſiaſticum Imperii ſtatum, pacem publicam manu militari turbantem, citatio ſuper fractâ pace à Cameralibus decernitur: condemnatio verò non eodem modo, ut in ſeculares fieri conſvevit: Neq; enim ſub dio ſententia declaratoria publicatur: ſed in ipſo Conſiſtorio, judice ſedente pro tribunali: Nec ordinaria Banni pœna infligitur, ſed

sed regalia & privilegia Imperii illi adimuntur: qvia Imperatori non competit jurisdictio in personas Ecclesiasticas, nisi ratione regalium & beneficiorum secularium. c. nimis. de jurejur. atq; ideò plus ab iis auferre neqvit, qvàm ipsis dedit: & conseqventer pœnam sangvinis aut vitæ necísq; periculum ipsis irrogare non potest: Illud enim ad forum Ecclesiasticum pertinet. c. si diligenti de foro comp. Sic etiam in fœminas non fertur illa consveta banni sententia, sed qvâdam similitudine Ecclesiasticarum personarum bonis omnibus, beneficiis, favoribus atqve privilegiis juris communis & municipalis privantur. Geil.1. PP.c.1.n.36.Myns.5.obs.58.n.7.

Ut autem qvis bannitus censeatur, sententia declaratoria reqviritur. Geil.2. de PP.3. n.1.& 8. In atrocioribus & manifestis delictis banni declaratio absq; ullâ telâ judiciariâ fit per Imp. ipsis fecialib. bannum publicè sonantibus tubis sub dio solenniter denunciantibus. Geil. ibi. nu. 24. Forma sententiæ hæc ferè est: præmissis præmittendis. **Nach dem Beklagte/ aus denen vnd denen Vrsachen dem Landfrieden zu wieder gehandelt/derhalben** denunciren **vnd erklären wir dieselbe als offenbare Echter in der Keyserlichen Majestet vnd des H. Reichs Acht: Setzen sie aus dem Frieden in den Vnfrieden/ vnd erlauben jhr Leib/ Haab vnd Gütter allermenniglich. Von Rechts wegen.**

Latâ Sententiâ Executio prompta est: Actor immittitur in bona Banniti. Geil. 2. de PP. 17.n. 2. Executio demandatur his, sub qvorum jurisdictione bona sita sunt: Si exeqvi noluerint, mandatis pœnalibus coërcentur. Geil. 2. de PP. 17. num. 25. Præfectis etiam Circulorum, **den Nechstgesessenen Kreißobristen** committi solet. Geil.16.n.28.

Effectus Banni est qvòd omnes obligationes, juramenta, pacta & actiones bannitorum fiunt irritæ. Ord. Cam. part.

part.2. tit. 9. §. 2. **Daß alle Verschreibungen/Pflicht vnd Bündnuß jhnen zustehende / vnd darauff sie Spruch vnd Forderung haben möchten / gegen die jenigen / die jhnen verhafft weren/ab vnd tod seyn sollen.** Geil. 2. de PP. 12. n.4. Banniti etiam Excommunicatis æqviparantur. Sicut enim isti membra Ecclesiæ esse desinunt. c. decernimus. de sent. excom. lib.6. & pro mortuis habentur. c. nihil 11. q. 3. Sic banniti membra non sunt Imperii, sed reputantur pro mortuis. l. 65. §. 12. ff. pro Socio. & similes sunt deportatis. Geil. 2. de PP. c. 1. n. 19. Bannum enim successit in locum Interdictionis aqvæ & ignis. Clar. §. fin. q. 67. n. 8. Universitas bannita amittit omnia privilegia. gl. in c fin. in verb. expressi de procurat. Geil. 2. PP. 12. n. 10. Plerumq; tamen pœna Banni in pecuniariam convertitur, qvando Universitas ob delictum pacis publicæ condemnatur, ne plectantur simul innocentes. Geil. 2. de PP. c. 9. num. 17. Mynsf. 2. obs. 30. num. 1.

CAP. IX.
De Fluminibus.

AMplum & illustre providentiæ divinæ documentum est fluviorum perennitas. Ad locum unde exeunt, revertuntur, ut iterum fluant Sir. 41. & intrant Oceanum omnes. Eccles. 1. tametsi de Jordane diversum statuat Tacit. 5. hist. 2. Miramur, qvod accessionem fluminum maria non sentiunt. Senec. 3. nat. qq. c. 4. Verùm certus illis à Deo est præfixus terminus. Psalm. 104. Tantum effluit semper qvantum influit. Bruno Seid. 2. Phys. 14. Et qvemadmodum per corpus à jecore velut receptaculo sangvis per omnes venas diffunditur: ita per terræ venas, pro qvarum magnitudine vel major vel

minor aqvarum copia exsilit, è medio aqvæ emergunt. Cornel. Valer. lib. phys. c. 26.

Fluvius autem est perennis aqvarum decursus: differt à torrente: qvòd

Flumine perpetuo torrens solet altiùs ire,
Sed tamen hæc subita est, illa perennis aqva.

Freigius lib. 21. Phys. p. 454.

Fluminum qvædam publica sunt, qvædam privata. Publica variè à nostris definiri solent: vel qvòd sint, qvæ in publico oriuntur, & perpetuò fluunt. Wesenb. in π. ff. de flum. n. 3. vel qvod perennia sunt. Cassius in l. 1. §. 3. ff. de flum. qvæ sententia Ulpiano lib. 68. ad edictum, videtur probabilis: vel deniq; qvòd sint, qvæ omnium usibus patent, & censentur jure regalium. c. 1. verb. flum. Qvæ sint Reg: ut navigabilia, & qvæ navigabile aliud faciunt. l. 1. & seq. ff de flum. Privata flumina eorum sunt, in qvorum prædiis fluunt. l. 10. §. 1. ff. Si servit. vind. exemplo riparum. l. 5. ff. de rer. divis. neq; qvisqvam in illis aliqvid moliri potest invito domino: nihil enim differt à cæteris locis privatis flumen privatum. l. 1. §. 4. ff. de flum. Sed qvid est qvod Marcianus ait in l. 4. §. 1. ff. de rer. divis. flumina penè omnia esse publica? fortè hoc voluit, qvòd qvæ privata sunt, magis amnes, rivi vel torrentes ab accolis appellantur, qvàm flumina: nam non solùm magnitudo flumen à rivo distinguit, sed etiam existimatio accolentium. l. 1. §. 1. ff. de flum.

Ex flumine autem perenni & navigabili aqvam ducere non licet: cùm his aqvarum derivationibus minuatur fluminis aqva, atq; ita noceatur usui publico, i.e. navigationi, qvæ Reip. maximè est necessaria. l. qvo minus 2. ff. de flum. Si verò flumen nec per se navigabile est, nec aliud ex eo navigabile fit, qvo minùs inde deducatur aqva, nihil impedit. d. l. 2. Ex privato verò flumine Domi-

nus

nus aqvam ducere concedere poteſt. l. Lucio. 4. ff. de aq. qvot. & æſtiv.

Præterea in fluminibus tria præcipuè conſideranda ſunt: Uſus, proprietas, jurisdictio. Uſus fluminis communis eſt, l. 9. C. de aqvæductu 11. C. 24. Proprietas publica eſt, ad populum ſpectans, §. 2. Inſt. de rer. div. qvia in patrimonio populi ſunt, aliter atq; mare. l. 14. ff. de acqvir. rer dom. Juriſdictio fluminum Principis eſt. c. un. Qvæ ſint reg. l. 2. de flum. Inde delicta in flumine commiſſa Princeps ulciſcitur, vel ejus officiales, qvi ſupremum habent imperiũ ejus territorii. Steph. Forcat. in Necom. Dial. 84. n. 5. Sed hoc cavendum Magiſtratui, ne flumina à naturali ſuo curſu abducere, atq; alio derivare tentet.

Nunqvam enim iſtæ derivationes ceſſerunt feliciter. Necus Rex Ægypti Nilum per foſſam in mare rubrum ducere tentans, in illo opere medio amiſit 120000. ſuorum. Herod. lib 1. Demetrius, Cæſar, Caligula Nero, auſi ſunt Iſthmum perfodere, ſed infelici ſucceſſu: tametſi Periander eodem in opere deſudans, mirantibus reſponderit, μελέτη πάντα δύναται. Selevcus I. cognomento Nicanor cum mari Caſpio conjungere voluit Bosphorum Cimmerium: ſed anteqvàm manum admoveret operi, jugulatur à Ptolemæo. Trajanus à derivatione Evphratis in Tygrim abſtinere coactus eſt. Carolo M. non ſucceſſit conatus conjungendi Danubium & Rhenum. Carolus IV. Imp. à Multaviæ & Danubii conjunctione deſtitit. Neq; enim feliciter res evenit, ubi ipſi naturali rerum curſui ſiſtendo, atq; aliò deflectendo opera impenditur:

Nil mortalibus arduum eſt:
Cœlum ipſum petimus ſtultitiâ, neqve

Per

Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.
Horat. 1. od. 3.

Cap. X.

De Coloniis.

DIctum est de conservando regimine Reip. in tuitione rerum sacrarum, religiosarum, sanctarum & publicarum. Nunc de eodem augendo videbimus. Illud verò augmentum, in accessione vel hominum per colonias, vel armorum, vel arcium, vel propugnaculorum, vel opum, vel consiliorum, est positum.

Civium Romanorum, qvi extra urbem habitârunt, duo fuêre genera: Municipes & Coloni. Municipes sunt cives Romani ex municipiis suo jure & legibus suis viventes, muneris tantùm cum populo Romano honorarii participes, à qvo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neq; ullâ Pop. Rom. Lege adstricti. Gell. lib. 16. c. 13. Unde intelligitur Municipia fuisse civitates à populo Rom. in societates munerum ac honorum receptas, suo interim jure utentes. D. Güddæus ad l. 18. n. 7. de V. S. Coloniarum verò alia conditio erat. Solebant Veteres qvos agros de hostibus capiebant, alios veteranis in præmia assignare, in alios colonias deducere, qvosdam mancipibus in longum tempus locare, ut annuam mercedem Principi darent, & hos vectigales dixére. Juli9 Front. lib. de limitib. agror.

Deducebantur passim legiones cohortesq; veteranæ in agros

agros & oppida: Sæpè etiam provinciales cum omnibus ſuis fortunis provolvebantur in varias terras: alii in ſitientes Afros: Pars Scythiam, & totos diviſos orbe Britannos. Virg. Ecl. 1. Ex Romanâ Civitate igitur qvaſi propagatæ ſunt. l. 1. & 2. l. fin. ff. de cenſib. & jura inſtitutaq; omnia pop. Romani, non ſui arbitrii habebant. Et licet Coloniarum conditio magis qvàm municipiorum obnoxia eſſet, potior tamen & præſtabilior exiſtimabatur propter amplitudinem majeſtatemq; pop. Romani, cujus coloniæ qvaſi effigies parva erant, & ſimul qvia obſcura obliterataq; erant municipiorum jura. Geil. lib. 16. cap. 13. Inſtituebatur autem coloniarum deductio ad frangendum plebis impetum. Liv. lib. 10. nam aliâ ratione haud facilè ſe ſubjecêre exteri Romanis, jam domiti ut pareant, nondũ ut ſerviant. Tacit. in agric. c. 13. Non adſvetæ frenis ſervitutis tumidæ gentiũ inflatæq; cervices facilè aliâs ab impoſito jugo reſiliunt. Flor. lib. 4. c. ult. Seriem omnium Coloniarum à Romanis deductarum, qvarum 163. ſunt, cognoſcere poſſumus ex Onophrio Panvinio, & Godelevéo in not. ad lib. 4. Liv. p. 108. & ſeqq. De Tyro varias deductas eſſe colonias ſcribit Curtius. lib. 4. c. 4. Colonię ejus, inqvit, penè toto orbe diffuſæ ſunt: Carthago in Africâ, in Bœotiâ Thebæ, Gades ad Oceanum.

CAP. XI.

De Armis.

VEriſſimum eſt illud Taciti 15. annal. Non ignaviâ magna imperia contineri, ſed virorum armorumq; faciendum eſſe certamen. Et illud Darii

apud Curt. lib. 5. pr. Ferro geri bella, non auro: Viris, non urbium tectis, omnia seqvi armatos. Qvid enim ad injuriam nobis illatam repellendam tutius? qvid ad obtinendum jus nostrum, si cæteris remediis nihil efficitur efficacius? Sunt arma nobis ipso cariora sangvine: exemplo Hispanorum. Justin. lib. 44. p. 252. Illi enim nullam vitam rati sine armis esse. Livius lib. 34. Nam oppugnamur aut ab exteris, aut à nostris. Si ab exteris, sanè nullum aliud tuendæ libertatis remedium est, qvàm ut simus forti pectore & armis. Virg. 4. Æn. pr. & virtute militari probè exerciti. Publica habeantur armamentaria: & qvisq; civium suis etiam instructus sit armis, ad repellendum repentinum impetum. Suis qvisq; in armis, inqvã, sese ostentet: aliena arma aut ex humeris decidunt, aut sunt gestantibus oneri, aut eos constrictos tenent. Machiavel. tr. de princ. c. 13. Si à nostris periculum est, qvod freqventer evenit: (nulla enim magna civitas diu qviescere potest: Si foris hostem non habet, domi inveniet. Livius lib. 30.) armorum cura ipsâ liberorum caritate nobis antiqvior sit. l. 19. §. 7. ff. de captiv. & postl. reverss. qvibus reduci ad officium possint rebelles: ut ita tranqvillus serenusq; beatæ pacis status efflorescat. Val. Max. lib. 2. cap. 2.

Cap. XII.
De Arcibus.

MAgna in arcibus Imperii conservandi augendiq; munimenta esse nemo diffitebitur: neq; enim ab illo solummodò extruendæ sunt, qvi suos magis qvàm externos timet: ut opinatur Machiavell. tr. de princ. c. 20. Sed

etiam

etiam ab eo qvi externos magis qvàm suos metuit: nempè ut adversus omnem vim tueri se possit. In meditullio regionis ideò consultum est extrui, ut & oportunum & ex æqvo incolarum contra molitiones hostiles habeatur asylum: & commodum principis adversus Subditorum rebellionem præsidium. Nec alibi tutior eligitur regiminis sedes, qvàm in medio principatûs: qvod à Cyro & regibus Cappadocum observatum, ex Strabone lib. 15. & 12. probat P. Gregor. lib. 2. cap. 1. num. 10. Utrum verò tutius, planis an montosis locis collocari arces? In planis spatium est capacius; atq; ita ad fortificandum qvacunq; formâ libuerit aptius: ager fertilior: & ob aqvarum ingruentium colluviem hosti & accessu & obsidione & expugnatione difficilimus. In montanis hoc urget maximè, qvòd qvò sublimior est locus eò munitior. Plato 6. de LL. & salubrior. Vitru. lib. 2. c. 4. tutumq; adversus hostis inseqventis & penè vincentis vim atq; incursiones receptum præbens. Sed hæc prudentis est Architecti inspectio. Illud cavendum, ne omnes regni vires in unam atq; alteram arcem collocentur, qvâ oppugnatâ aut expugnatâ actum de totius regni bono. Ita Darium non satis providè sibi consuluisse legimus, qvòd totius exercitûs opes Arbella congesserat: nam illa regia supellex diti gazâ repleta ad qvatuor millia talentûm ad Alexandrum devoluta est. Curt. lib. 5. pr.

Cæterùm præsidiis fortissimis arces, præcipuè recens occupatas, firmandas esse suo exemplo docet Alexander apud Curt. lib. 5. p. 82. & 24. Mille Macedones præsidere arcis (Susannæ) custodiæ jussit: Babyloniæ septingentos. &c.

CAP. XIII.
De Propugnaculis.

PErpetuò digladiantur inter se politici, præstétne Propugnaculis civitates munitas esse, qvàm iis vacare. Machiavellus lib. 2. disp. c. 24. curiosè magis qvàm fructuosè negativam tuetur: & alii, his fortè adducti rationibus. 1. Omnem ignaviæ occasionem maximè esse evitandam: cives otio torpescere solere, qvi confidunt propugnaculis, eaq; ideò muliebres latebras à Cleomene esse appellata. 2. Securos fieri cives, & faciles ad provocandum hostem: Securitatem verò & contemtum hostium magnoperè officere. 3. Sumtu ingenti tam belli qvàm pacis tempore esse fovenda propugnacula: iisq; interdum exhauriri ærarium, atq; inde præcipitem esse gradum ad qvodvis scelus. 4. Nec satis tuta esse ab insultibus hostium, hoc præsertim tempore, qvo nihil intentatum inausumq; relinqvi solet: Cuniculis & machinis expugnata esse amplissima castella: tormentorumq; bellicorum impetu non urbes modò conqvassatas, sed montes qvoq; ipsos concussis fundamentis subrutos. 5. Populum ad defectionem facilè esse pronum, qvi fidit propugnaculis: eoq; consilio, ne victis adderetur animus ad rebellandum, ab Annibale Saguntum, à Sullâ Athenas, à Severo Bizantium, à Tito Hierosolymas solo æqvatas esse. 6. Principes ipsos impelli fiduciâ propugnaculorum ad exercendam tyrannidem: Ingenerari hoc modo principibus adversus populos, ac populis vicissim erga principes suspicionem ad diffidentiam. 7. Invitari hoc modo hostes ad obsidionem diuturnam, eamq; infinita secum trahere incommoda: interdictum esse civibus commerciorum usu: omniaq; passim compleri populorum strage. 8. Ipsos qvoq; cives ad ferendam obsidionem fieri obstinatos, cùm ignominiæ esse ducant, citiùs cum hoste pacisci, ut obsidione solutâ pacem urbi reddat: obstinationem istam non rarò solere ipsos cives in mutuas animare clades. 9. Hostes, si superiores facti, propugnaculis potiti fuerint, difficulter semel admissos ejici posse: misceri ibi popu-

populos: Religionem moresq; bonos ſusq; deq; haberi: eoq; conſilio qvosdam fuiſſe commotos, ut ſua propugnacula diruerint funditus. 10. Deniq; haud conſultum eſſe civitati, cives inſtruere ad ſuſtinendos labores militiæ: miſeram eſſe eam civitatem, qvæ pace & tranqvillitate ſuâ utifrui non pôſſit: inter arma ſilere leges, omniaq; humana & divina confundi.

Qvid verò ſententiæ alterius aſſertores ad iſta? Sanè non levibus machinis utuntur. Ajunt 1. Urbes ſine propugnaculis omnium latrociniis, libertatemq; civium libidini hoſtili patuiſſe ſemper: ejusq; rei evitandæ causâ primùm conſtitutos eſſe muros, ut non modò univerſorum, ſed etiam ſingulorum fortunæ, uxores, liberi, ab hoſtium incurſionibus tutiores eſſent. 2 à naturâ ipsâ hoc cuiq; animantiũ generi eſſe inditum, ut ſe ſuaq; ab invaſionibus hoſtiũ tueantur: & præſertim homini: beſtias habere ſua luſtra, aves nidificari in locis præruptis & inacceſſis. 3. Eos qvi cincti ſunt propugnaculis poſſe & virtute repellere hoſtes, & in pace & otio vitam tutò degere, qvanqvam non ſine invidiâ: eam tamen alto ſupercilio eſſe contemnendam. 4. Ornatui etiam & magnificentiæ inſervire propugnacula, qvâ de re Ariſt. 7. pol. 11. 5. Parci hoc pacto ſangvini civium: & qvod per lateres & calces effici poteſt, id non debere effici objectu humanorum corporum. Antimach. lib. 3. theor. 33. Hoc intellectum eſt à piis Judææ regibus, qvi munitiones extruxerunt. Rehabeam 2. Chron. 11. ℣. 5. Aſa 2. Chron. 14. ℣. 6. & ſeqq. Joſaphat 2. Chron. 17. ℣. 2. Jotham. 2. Chron. 27. ℣. 3. & 4. Ezechias. 2. Chron 32. ℣. 5. Nehem 2. P. Greg. Toloſ. lib. 2. c. 5. Bodin. lib. 5. c. 5. Reuſnerus 2. Strat. 26. Patric. lib. 8. de rep. tit. 4. Junius q. pol. 64. par. 2. memb. 2. Atq; hæc ſententia ſine dubio veriſſima eſt. In Machiavellicis prioris ſententiæ rationibus parum præſidii eſt: qvid illis tribuendum ſit, prudens Lector per ſe facilè diſpiciet. Nobis digitum ad inveſtiganda altiora intendiſſe ſufficiat.

Cap. XIV.
De Opibus.

NOn ſine causâ exclamat apud Dionem in Veſpaſ. Mucianus: Νεῦρα τῆς ἡγεμονείας τὰ χρήματα εἶναι.
Nervos Imperii pecuniam eſſe.

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa potentius
Ictu fulmineo. Horat. 2. od. 16.

Sed illud civitati maximæ ſit curæ, ne patiatur ſe corrumpi divitiarum contubernio. Multis paraſſe divitias, non finis miſeriarum fuit, ſed principium. Sen. ep. 17. Torqvent ſe, & aſſiduo plura obtinendi deſiderio flagrant.

Creſcentem ſeqvitur cura pecuniam,
Majorumqve fames. Horat. 3. od. 10.

Nunqvam ad ea qvæ jam poſſident, oculos convertunt, ut iis contenti ſint: ſed ad id potius, qvod appetunt, nec adeſt, qvo magis ac magis ſe ſeipſos excrucient. Virtus hebeſcit: Innocentia pro malevolentiâ duci incipit. Saluſt. Catil. p. 12.

Pudor per aurum ſolvitur;
Violatur auro integritas:
Pax occidit: fides perit:
Leges & ipſæ intercidunt. Prudentius.

Catell. Cotta in Memorab. p. 603.
At tu qvi frena regis Reip.
Sis precor, & multo dives tellure licebit,
Tibiq; Pactolus fluat. Hor. epod. od. 16.

Divitiæ tuæ ſint: non tu divitiarum ſis. Opes poſſideas, ſed

as, ſed nulli detractas, nec alieno ſangvine cruentas, ſine cujusqvam injuriâ partas, ſine ſordidis qvæſtibus, qvarum tam honeſtus ſit exitus qvàm introitus, qvibus nemo ingemiſcat, niſi malignus. Senec. de vit. beat. c. 23. Fortunam nec venientem ſentias, nec recedentem: Terras omnes tanqvam tuas videas, tuas tanqvam omnium: Sic vivas, qvaſi ſcias aliis te natum, & naturæ rerum hoc nomine gratias agas. Qvicqvid habes, nec ſordidè cuſtodias, nec ſordidè ſpargas. Nihil magis poſſidere te credas, qvàm bene donata: non numero, nec pondere beneficia, nec ullâ niſi accipientis æſtimatione pendas. Sis amicis jucundus, inimicis mitis, & facilis: exoréris, anteqvam rogéris: honeſtis precibus occurras. Ubicunq; homo eſt, ibi beneficio locus eſt.

Cap. XV.

Qvibus ex cauſis res ad fiſcum deferri ſoleant.

Fiſcus propriè ſignificat ſacrũ ærarium, ſacras largitiones ſive theſauros. l. 3. C. de qvadrien. præſcript. dictus à fiſcis i. e. ſportulis, qvibus pecuniæ publicæ olim concludi ſolebant: deinde trahitur hæc vox ad res ſive largitiones privatas Auguſti vel Auguſtæ. l. 1. C. de locat. præd. civil. vel fiſcal. Ærarium verò propriè denotat pecuniam publicam Imperii, ut fiſcus ſit principis, ærarium populi. Geil. 2. obſ. 20. n. 3. Promiſcuè tamen his utuntur JCti l. 1. §. 5. ff. ad l. Cor. de falſ. l. 13. de jur. fiſc. Corraſ. 6. Miſ. 19. n. 6.

Acqviritur autem Fiſco, vel ex cauſâ inteſtati, vel ex teſtamento, vel ex delicto, vel ex indictione mulctæ, vel deniq; inventione theſauri.

Ex causâ inteſtati acqviritur Fiſco, ſi qvis ſine hærede deceſſerit. l.1.l. vacantia 4. C. de bon.vac. Nam & is, cui nullus eſt hæres, inteſtatus deceſſiſſe intelligitur.pr.t. Inſt. de hær. qvæ ab inteſt. Fiſcus verò tum demum ſuccedit in bonis vacantibus, ſi hæc illi intra qvadriennium fuerint vindicata.l.1.C. de qvadrien.præſcript.l. intra 10. §.1. ff.de diverſ.temp.præſcrip.

Ex teſtamento vel occaſione ejus, Fiſco debetur ſucceſſio, ſi hæres hæreditate ſit indignus. l.1.pr.ff. de jur. fiſci.& ſi qvis capere non poteſt, qvod ei à defuncto relictum eſt.d.l.1.pr. l.un.C.de his qvi ſe deferunt.

Ex delicto, vel omiſſionis, vel commiſſionis. Ex illo, ſi vectigal ſolutum non ſit. d. l. 1. Si non vindicata ſit defuncti mors. d.l.1.nam ſi maritus mortem uxoris necatæ vindicare neglexerit, dotem perdit, eaq́; acqviritur fiſco. l. cùm mortem 27. ff.de jur.fiſci. Ex hoc, ſi reus capitalis criminis ſibi mortem conſcivit. d. l.1.pr.Si qvis in fraudem civilium munerum bona ſua alienavit. l. 15. §. pen.ff.ad Municip.Si qvis rem litigioſam vendiderit: nam & hoc caſu duplum fiſco acqviritur. d. l. 1. pr. Fiſcus etiam ſuccedit nato ex inceſtuoſo coitu. Mynſ. 3. obſ.91.

Ex indictione mulctæ Fiſco qvoq; acqviritur. l. 5. C.de modo mulctar.

Deniq; ex inventione theſauri. d. l.1.pr.l.3.§. pen. de jur. fiſci.

Qvid ſi navis expulſa fuerit ad littus, vel naufragium factum ſit, acqviritúrne fiſco aliqvid? Sanè jure antiqvo ità comparatum erat. l.9. ff. ad l. Rhod. de jactu. Novo jure ſecus eſt. l. 1. C. de naufr. Conſt.Carol.pub. jud.art. 129. pr. Conſvetudo verò in contrarium hodie in plerisq; maritimis civitatibus recepta, qvâ

Qværtus naufragio petitur, corpusqve profundo

Im-

Immiſſum pariter, qvàm præda exqviritur
ipſa.

Manil. lib. 5. Aſtron. & ad fiſcum civitatis devolvitur: irrationabilis eſt. Geil. 1. obſ. 18. neq; enim ſpectandum qvid fiat, ſed qvid fieri debeat. l.12. ff. de off. præſid.

CAP. XVI.

De Advocatis Fiſci.

QUi cauſam Fiſci agit, dicitur Advocatus Fiſci. In illo obvia nobis ſunt, Conſtitutio, munus & privilegia. In Conſtitutione eſt, ut illius qvalitas conſideretur: qvò refertur, ut per ſtatuta tempora legum eruditioni noſcatur inhæſiſſe. l. petitiones. 5. §. 4. C. de advoc. div. judicum. Munus in eo eſt, ne occultet commoda fiſcalia. l. 3. C. de advoc. fiſci: ne fiſci nomine privatos calumniis vexet, d. l. 3. l. 1. C. de lucris advoc. ne patrocinium præſtet contra ipſum fiſcum. l. 1. C. de advoc. fiſci. Finitur ejus officium, ſecundum jus civile biennio. l. ſancimus 12. C. de advoc. div. judic. Privilegia Advocatorum Fiſci ſunt: qvòd immunitatem habent à muneribus. l. 20. §. ut autem. C. eod. Sortiuntur Comitivam dignitatem. l. laudabile 21. pr. C. eod. ædes eorum à metatorum onere ſunt immunes. l. 20. §. ad hæc C. eod.

CAP. XVII.

De Eventu delationis ad fiſcum, qvoad ipſum delatorem.

DElationi certa sunt præstituta præmia: nam primùm is, qvi alium defert, tertiam ejus qvod defert partem præmii loco conseqvitur. l. un. C. de his qvi se deferunt. l. edicto 13. §. extat. ff. de jure fisci. Deinde, qvi seipsum defert, profitendo, sibi, qvod capere non possit, esse relictum, dimidiam partem præmii nomine accipit. l. edicto. 13. in pr. l. Senatus 15. §. Senatus. ff. de jur. fisci. l. un. §. qvòd si. C. de his qvi se deferunt. Qvòd si qvis per errorem seipsum detulerit, hoc illi non officit. l. 13. §. fin. & l. 2. ff. de jur. fisci. Si verò qvis detulerit, & non obtinuerit, puniendus est. l. 5. in fin. C. de delatorib. 10. C. 11. Instructus enim ad deferendum procedere debet: (nam ipse delatus non cogitur dicere titulum suæ possessionis. l. extat. 25. de jur. fisci) & ad finem in delatione persistere l. 22. §. sicut ff. de jur. fisci.

CAP. XVIII.

De Privilegiis Fisci.

POtissima Fisci privilegia sunt. 1. qvòd habet jus pignoris in bonis debitoris sui, & præfertur aliis creditoribus. l. 46. §. fiscus ff. de jur. fisci. l. 3. C. de privil. fisci. l. 1. C. si propter publ. pensitationes. 2. qvòd Fisco agenti reus cogitur edere instrumenta. l. 2. §. 1. de jur. fisci. 3. qvòd contra Fiscum sententia lata intra triennium etiam sine appellatione possit retractari. l. un. C. de sentent. cont. fisc. 4. qvòd qvi à Fisco qvid comparavit, ejus nomine ab alio conveniri non possit, sed detur actio adversus Fiscum intra qvadriennium. l. 2. l. 3. C. de qvadrien. præscript. 5. Fiscus evictionis nomine non in duplum, sed simplum tenetur. l. 5. pr. ff. de jur. fisci.

Civitatibus autem Fisci privilegia non competunt. l. simile 10. l. Lucius 21. §. fin. ff. ad Municip.

CAP. XIX.

De Exactione Tributorum: Qvibus exigendi jus competat.

ILlustre Reip. administrationis munimentum est Tributorum Exactio: In his enim esse Reip. nervos nemini dubiũ est. l. 1. §. 20. ff. de qvæsturâ. Nam neq; qvies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis, neq; stipendia sine tributis haberi possunt. Tac. 4. Hist. Hæc ornamenta pacis sunt, & belli subsidia. Cic. pro l. Manil. Et qvemadmodum totum corpus ad extremam tabem venire necesse est, alimentis ventriculo denegatis: ita tributis non exhibitis, extrema Regimini pernicies. Qvò spectat oratio Menenii Agrippæ apud Livium, lib. 2. p. 78. Magistratus ergo exigendi facultatem habet, non sine auctoritate Principis. l. un. C. de superindicto 10. C. 18. Potest tamen, si velit hoc jus suum remittere, qvod fecêre Romani, qvi bello Punico Secundo pecuniam mutuo à Civibus sumere maluerunt, qvàm tributum extorqvere. Liv. lib. 26. Et M. Antoninus Philosophus Imp. cùm ærario exhausto largitiones, qvas militibus impenderet, non haberet, tributum provincialibus indicere noluit. Aur. Vict. in vitâ illius.

Penditur autem tributum pacis fruendæ gratiâ, ut cives in otio tutò rebus suis superesse possint. Ita victo Annibale stipendium Carthaginensibus imperatum in annos singulos. Liv. lib. 31. Et Reges Idumæorum & Ammonitarum Davidi Regi annua solvebant stipendia. 1. Sam. 8.

Species Tributi est Capitatio, cujus usus in regio Imperii Romani dominatu: Tarqvinius ille superbiæ nomine

mine invisus pro capite cujusq; decem denarios exegisse scribitur, attestante Dionys. Halic. Eaq; tributi species hodie Turcis familiaris est. Sublata est in Romano Imperio à Constantino, l. un. C. de capit. civ. censib. eximendo, 11. C. 48.

Cap. XX.

A qvibus exigenda Tributa.

TRibuta seqvuntur possessionem fundi: & non personis, sed rebus indici solent. l. 3. C. de annon. 10. C. 16. adeo ut præteriti temporis tributa novus possessor solvere cogatur, l. Impp. 7. ff. de publican. l. 5. §. fin. ff. de censib. l. prædiis. 36. de jur. fisci. Nec subditorum est tergiversari, & tributa indicta nolle exsolvere. Britannorum vestigiis insistendum est, qvi dilectum ac tributa, & injuncta imperii munera impigrè obire soliti sunt, si abessent injuriæ. Tacit. in Agric. cap. 13. Tributum enim ideò penditur, ut tesseram qvandam Subjectionis Magistratus habeat. Et ipse Christus tributum illud sacrum solvit pro se & Petro, statére numerato, qvi duos didrachmos, siclum verò unum efficit. Solvit autem exactoribus Judæis non Romanis, ut Hilarius aliiq; rectè censent. Matth. 17. ℣. fin. c. tributum 23. q. 8. Ejusq; exemplo Ecclesia urgente necessitate de suo contribuere tenetur. l. 5. C. de SS. Eccles. Omnes ergo secundum patrimonii vires tributum pendunt, nullâ privilegiorum ratione habitâ. l. 1. C. de indict. 10. C. 17. l. 1. C. de apoch. publ. 10. C. 22. atq; illud etiam Usufructuarius agnoscit. l. 7. ff. de usufr. nisi in legato usufr. testator nominatim eorundem præstationem hæredi injunxerit. l. usufructu. 52. ff. de usufr. Fiscus autem nihilominus fructuari-

ctuarium rectè convenit. Sed præstitis tributis habet contra hæredem actionem ex testamento, l. epistola, §. pen.ff.de pact.

CAP. XXI.

Qvid & qvantum Tributi nomine exigendum.

CErtum est qvemq; teneri pro qvantitate patrimonii l. 2. C.de immunit.nem. conced. Meliorato fundo & aucto, augetur qvoq; ejus tributum. l.2. C.de alluv. nisi sumtibus possessoris id factum sit. l.2. C.de fund.rei priv. Econtrà ob deteriorationem prædiorum relevanda tributa. l. formâ censuali 4. §. illam enim æqvit. ff. de censib. d.l. 2. C. de alluv. nec non ob imminutionem. Mynf. 3. obs.34. Geil.1. obs. 21.n. 18. Hart. Hartmanni tit. 52. obs. 5.n. 1. sicut etiam ob sterilitatem. l. 15. C. de omni agro desert. Et in universum ob qvosvis casus fortuitos. Ita tributis levatæ in tempus Asiæ urbes afflictæ terræmotu. Tacit. 2. annal.n 47.& 4.ann.n.13. factaq; eo auctore SCta, ut civitati Cibyraticæ apud Asiam, Ægirensi apud Achaiam motu terrę labefactatis subveniretur remissione tributi in triennium. Et 12. ann. n. 58. Tributumq; Apaminensibus terræmotu convulsis, in qvinqvennium remissum.

Observandum autem Magistratui, ne tributa indicat sordida. Indignissimum tanto culmine facinus, lucrum ex omni causâ odorari. Amm. Marcell. lib. 22. qvod vel ex avaritiâ principum est, vel indigentiâ. Ista namq; gravium exactionum sunt seminaria. A.Gve-

A. Gvevára in Hor.pr. lib.1. c. 14. Nec effugiet unqvam sorditiei maculam Vespasianus, cum vectigali suo urinario. Sveton. fortè etiam Antigonus, qvi cùm ei objiceretur, qvòd Alexander Asiam tot exactionibus non onerasset, Bene, inqvit, Ille enim messuit segetes Asiæ: Ego autem stipulam colligo.

Deinde non levi ex causâ sive fictâ imponenda sunt. Dissolutionem Imperii doce, si fructus, qvibus Resp. sustinetur, deminuantur. Tac. 13. ann. Istud Tyrannorum est, novos subinde sinus, & varia prædandi vocabula exqvirere. Tac. 4. hist. qvod receptum fuit Julii Cæsaris temporibus. Cæs. lib. 3. de bell. civil. p. 335. In capita, inqvit, singula Servorum ac liberorum tributum imponebatur, Columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, tormenta, arma, vecturæ imperabantur: cujus modo rei nomen reperiri poterat, hoc satis ad cogendas pecunias videbatur.

Mediocritatis in exigendo tributo summa ratio habenda est: Videmus multos principes pecuniis acerbè conqvirendis, plus invidiæ sibi, qvàm virium addidisse. Tac. 3. hist. & plebem pacem exuisse, principum magis avaritiâ, qvàm obseqvii impatientiâ. Id. 4. ann. Nempe Actæonum illorum hoc erat fatum, ut à suis canibus dilaniarentur. Tondére pecus maluerunt, qvàm deglubere. Sveton. in Tib. & ex eo Geil. 1. de pp. c. 2. n. 21. & ideò lana detonsa malè his cessit. Atq; ita ex ordine causarum fieri necesse est: qvippe sangvinem elicit, qvi emungit nimis. Proverb. 30. Execrandi illi Gryphi, corvis & felibus rapaciores sunt. Ab radice exscindunt olera, & rem auferunt cum pulvisculo. Talis Caligula, de qvo Svet. c. 40. Exigebatur

batur pro litibus atq; judiciis ubicunq; conceptis qvadragesima summæ de qvâ litigaretur. Talis Heliogabalus, qvi Diis suis fecit nuptias, ut iis pro dote pecuniam elaboraret. Herodian. in vitâ ejus. Tales interdum etjam Romani, qvi graviter ad hunc lapidem impegerunt. Qvintam partem fructuum ex agro pascuo postulatam esse tradit Appian. lib. 1. decimam ex agro arvo: Occiso Julio Cæs. singuli cives vigesimam qvintam omnium bonorum dependere jussi, & Senatorii ordinis omnes in singulas ædium suarum tegulas sex asses. Dion lib. 46. Augustus exegit octavam. Dion. lib. 50. Ejusq; tempore ex Ægypto Urbi annua ducenties centena millia modiûm frumenti inferebantur. Lips. ad lib. 6. an. Tac. n. 43.

CAP. XXII.
Qvi exigendi modus.

QUi tributa exigit, exactorum est custos & dispensator, ut communium bonorum, non ut suorum. Arist. 5. pol. 11. Et Censitor dicitur l. 4. §. illum ff. de censibus. Forcatul. in Necyom. Dial. 84. n 2. In exactione autem Theséum illud æqvalitatis filum rectè tenendum: nempe ut justa & uniformis sit contributío, nec per bonam malámve gratiam hi subleventur, isti premantur: Commoda Civium non divellenda, omnesq; eâdem æqvitate continendi. Cic. 2. Off. ut sol & dies omnibus in commune nascitur. Plin. Paneg.

Inprimis uno certoq; Tributo defungantur, & in reliqvũ, sit libera nec solicita rei suæ cuiq; custodia. Cic. 2. Off. Evitet Exactor duos scopulos, Violentiam & imposturam. Illa facilimè exulcerat plebejorũ animos: Ipsam vitam parvi faciunt, ademtâ re vel minimi precii. Cogi qvidem ad præstationem Tributorum possunt. Nov. 8. §. proinde: & jure civili, si tributũ nõ solvitur

pigno-

pignora capi & diſtrahi jubentur. l.cùm poſſeſſor.§.5.fin. ff.de Cenſib. l. 1. & 2. C. de capiend. & diſtr.pign. Verum abſint, qvantum licet, extrema illa, ne boves ipſos, mox agros, poſtremò corpora ſervitio tradere (Tac. 4. ann.) cogantur. Tenuiores mirè ſublevat, ſi paulatim & per partes, qvæcunq; ex præſcripto modo debent, inferant. Dion.lib. 52. Alter ſcopulus, Impoſtura ſangvine viperino cautiùs evitandus eſt. Plurimis aurum præſtringit oculos. Varro.1.frag.Usq; adeò

—— ſolus ferrum mortemqve timere
Auri neſcit amor. Lucan. lib. 3.de bell.civili.

Sed amovendi iſti cum notâ infamiæ, & talionis pœnâ. Ereptum alienas pecunias iverunt? perdant has qvas habent. Plin. Paneg. Hi ſpongiarum inſtar exprimendi, poſtqvàm affatim biberunt. Sveton. in veſp.c.16. Argi illi ſunt & φιλάργυροι; Mille pœnarum indagine coërcendi ſunt. Et qvoniam

—— dociles imitandis
Turpibus ac pravis ſumus. Juven. Sat. 14.

Severiſſima in ejusmodi milvios animadverſio parata ſit, ut alii à tantâ ſceleris immanitate abſtinere diſcant. Apochas ſolventibus bonâ fide præſtet. Nov. 128. §. inſuper definivimus. Nov. 17. §. compellas etiam.l.1.§. ſed & aurum.C.de apoch.publ. Et qvod eo pacto exactum eſt, ad provinciæ theſaurarios referat. l. 1. C. de Canone largitional. tit.l.diu.6.C. de ſusceptoribus. l. un. C. de auri publ. perſec. Jure civili ſi qvid Exactor retinuerit, vel in ſuos uſus converterit, in duplum tenetur.l. miſſi.7.§.qvòd ſi ad nos.C.de exactorib.Trib. l.1.2. 3.C.de his qvæ ex publ.coll.illata ſunt. Verùm convenientius eſt arbitrariam pro perſonarum & delicti qvantitate Magiſtratui pœnam eſſe relictam.

CAP.

CAP. XXIII.

De Eventu exsolutionis Tributorum.

QVerulas plebejorum voces fluctuante irâ exasperatas passim audimus, sicubi præter solitum imperatum est tributum. Inde rebellio: & postqvàm non subvenitur, remedium ex bello. Tacit. 4. ann. Docent hoc Frisii, qvibus Drusus tributum jusserat, modicum pro angustiâ rerum, ut in usus militares coria boum penderent, non intentâ cujusqvam curâ, qvæ firmitudo, qvæ mensura: donec Olennius è primipilaribus regendis Frisiis impositus, terga virorum delegit, qvorum ad formam acciperentur. Tacit. 4. annal. n. 72.

Nonnunqvam etiam Defectio inde resultat: nam cùm primi Athenienses sociis injungerent tributum, hi defecerunt. Thucyd. lib. 1. Unde tutissimum, in obseqvio subditos retinendi, remedium est: moderata tributorum indictio: Idq; potissimùm in iis, qvi recens subacti sunt, locum habet. Nam & his in initio tributa aut condonata, aut deminuta sunt. Tac. 2. ann. n. 56. At Cappadoces, inqvit, in formam provinciæ redacti Q. Veranium legatum accepère, & qvędam ex regiis tributis diminuta, qvo mitiùs Romanum Imperium speraretur. Ita Byzantinis in qvinqvennium tributa remissa sunt. Tacit. 12. ann. n. 63.

CAP. XXIV.

De Collectis Imperii.

COllectæ à tributis differunt, qvòd non habent certam ac annuam præstationem, sed incertam ob necessitatem occurrentem: earumq; impositio non fit ob causam ordinariam, sed extraordinariam, qvæ reiterationem non expectat. Tributa autem certam singulis annis, & ordinariam exactionem habent. Collectæ duplices sunt, Imperiales & provinciales. Illæ generales sunt, & ad omnes Imperio Romano subjectos spectant: Reichssteur: oder des Heiligen Reichs Anlagen. Hæ ad certas provincias referuntur, Landsteuren. Imperiales collectas solus Imperator, vi supremæ jurisdictionis imponit, ob necessitatem publicam: Et ferè videntur successisse in locum antiqvarum Indictionum. l. 1. C. de Indict. Geil. 2. obs. 53. n. 8. qvanqvam Indictiones ordinariis muneribus accensebantur: Collectæ verò extraordinariis. Immunitatem ab his collectis nemo habet: atq; adeò is, qvi de Comitatu qvodam sub clausulâ: frey geruhiglich ohne Steur: investitus, licet exemtus sit à præstatione Collectarum provincialium, non tamen immunis erit ab onere Collectarum Imperialium. Modest. Pist. cons. 4. in pr. n. 5. & seqq. vol. 1.

De eo qværitur: An secularis Princeps collectam exigere possit à subditis Ecclesiasticorum principum, ob bona eorum in suo territorio sita? Affirmant Baldus, Decius, Curtius Jun. A. Isern. Castrens. & Alex. Negant Bartolus, Corneus, Rol. à Valle, Natta. Myns. 5. obs. 22. Aut personis Subditorum præcipuè imponitur Collecta: qvod fit vel capitatione, vel singulorum facultates pensitando, & procedit negativa: qvam nonnulli nimis generalem fecerunt, qvod forensibus pro rebus, vel possessionibus sitis in terrâ, vel sub jurisdictione collectantium, pensitatio non possit imponi: cùm collectantes in eos jurisdictionem nullam habeant. Schurff. cent. 1. cons. 59. n. 26. Aut collecta præci-

puè

què & singulariter imponitur iis possessionibus & agris, & procedit affirmativa l. 4.§.2.ff.de censib. atq; eo casu collectam is agnoscit, qvi fructus rei percipit.l.2.l.10.C. de annon.&trib.

Ex variis autem causis Collectæ istæ indicuntur: Si vel necessitas urgeat resistendi Christiani nominis hosti: vel Camerale judicium reformatione indigeat: vel Imperator expeditionem Romanam suscipiat. Priores duæ causæ in omnibus ferè comitiis ventilari solent. Tertia rarior est. Suscepta ejus rei cognitio est in Comitiis Wormatiensibus à Carolo Cæs. primùm habitis anno 1521. In iis obligatio est Imperatoris, se ad adipiscendam coronam Cæsaream, & recuperandas provincias ab Imperio Romano avulsas, expeditionem suscepturum: Status, Cæsari se non defuturos, pollicentur.

Ad provinciales Collectas pertinet, qvòd Principes, Comites & Barones in elocandis filiabus suis collectam exigunt à subditis: atq; ita ex publicâ collectâ dotem paratam habent: qvod an rectè fiat, Dd. disceptationi relictum est. Negant Paul.de Castro, Boer.decis.126.n.6. Vasq. 1.ill. controv. 7.3. per l.3. ibi impensis propriis C.de stat. & imag. l. cùm satis.§. caveant & C. ne rusticani.l. ab omnibus 104. Si Titio.de leg.1. l. jubemus C.de SS. Eccles. Affirmant Zas.Myns. obs.21.& rectiùs.

CAP. XXV.

De Constitutione Vectigalium.

QUod Imperator ait Nov. 149. c. ac sanè Tributis non illatis Remp.conservari non posse; cōmodùm ad vectigalia trahitur. Nam sine illis retineri imperiū nullo modo potest. Cic.in ep.ad Q.Fr. Eo consilio, Neronis, vectigalia omittere statuētis, impetū

 Sena-

Senatores attinuère: dispofitionem Imperii docendo, fi fructus, qvibus Refp. fuftinetur, diminuerentur; qvippe fublatis portoriis, feqvens, ut tributorum abolitio expoftularetur. Tacit. 13. ann. n. 50. Sic Hannibal vetera vectigalia non abolendo, & nova addendo, id effecit, non modò ut effet pecunia, qvæ Romanis ex fœdere penderetur, verùmetiam ut fupereffent, qvæ in ærario ponerentur. Æmyl. Prob.

Eft autem Vectigal pecunia, qvę vel portûs, vel venditionis, vel circumvectionis nomine exigitur: unde Portorii & Decumorum nomina. Pecuniam dixi: confiftunt enim in pecuniâ numeratâ: nec fpecies loco illius folvitur. Gödden. confil. 7. & 8. Differunt à Tributis: nam ratione foli poffeffores tributa inferunt: Vectigalia negociantes propter ufum viæ publicæ.

Conftituuntur Vectigalia à fummo Principe, fine ejus confenfu nec reformari, nec mutari poffunt. l. 10. in pr. ff. de publican. l. 2. l. 3. C. vectigalia nova inftitui non poffe. c. fuper qvibusd. 26. de publican. Receff. Imp. Ratisp. ann. 76. in fin. Si qvis verò fine permiffu Cæfaris nova vectigalia introduxerit, lege Juliâ de ambitu & de vi publicâ tenetur. l. un. §. qvâ lege ff ad l. Jul. de ambitu. l. ult ff. ad l. Julian. de vi publ. Poteft & præfcriptione jus exercendi vectigalis acqviri P. Frid. lib. 2. de mand. jud. c. 43. num. 2.

Rationabili verò ex causâ vectigal imponendum eft: qvæ vel eft in utilitate publicâ, qvod aliter planum & fecurum iter præftari non poteft: vel in fublevandâ tenuitate patriæ, cui vectigalium jus conceditur. Rectè igitur à viatoribus in recompenfationem fumtuum vectigal penditur. Illud difpectione dignum eft, ne vicina nimis inftituantur vectigalia, néve juftam qvantitatem excedant; curandum ne qvid præter confvetudinem

fiat

fiat.l. si publicanus 4.§.fin.ff.de publican. & ne abrogentur facile, qvæ semel introducta sunt. l. vectigalia 10. C de vectig. & commiss. Vectigalia non sint illicita, & nugatoria, qvale illud, qvod pro aëre & umbrâ exactum fuit. Cujac. 10. obs.7. Non omnes simul res vectigalis impositionem ferunt. Sanè à Lysimacho olim in Troade vectigal salinarium constitutum esse, & naturâ qvasi id refugiente statim exaruisse Salinas, ac remisso vectigali rursus prodiisse, refert Athenæus lib.3. Dipnos. c.1. De speciebus ad vectigal pertinentibus Marcianus J. C. differit in l.16.§.7.ff.de publican.

CAP. XXVI.

De Locatione & conductione vectigalium.

SOlent Principes interdum potestatem exercendi vectigalia certo precio locare aliis: & Civitates vectigalia sua locandi licentiam habent.l.ult.C.de vect. non tamen Reip. debitoribus.l.9.§.3.ff. de publican. & Reliqvatoribus. d. l. 9. §.2. non minus triennio. l. 4. C.de vectig. qvo tempore finito, rursus locanda sunt.l.4.§.fin. C. de vect.l.9.§.1.ff.eod. Vectigalia autem penes illum manere oportet, qvi superior in licitatione extiterit. l.4.C. eod. Dum tamen eo nomine satisdationem prę̄stet.l.9.pr.ff.de publican. Ad conducendum verò nemo cogitur invitus. d. l. 9 §.1.l.3.§. Divus ff.de jur. fisci. Expilatores & fœneratores à conductione prorsus repellendi: ne aliqva exinde ad ipsos locatores redundet Invidia.

Cap. XXVII.

De Commissis.

VEctigalis non soluti pœna est, ut rebus amissis illarum dominium Fisco acqviratur & committatur: unde etiam commissæ res dicuntur. l. 14. l. fin. §. si qvis de publican. Germanis **Contrabandt**. Et qvilibet Magistratus rem commissam jure tanqvam suam propriâ auctoritate occupat. l. cùm proponas. verb. fiscum C. de naut. fœn. Ad amittendam tamen possessionem sententia declaratoria, necessaria est. Geil. 2. de PP. c. 3. n. 11. Jure Saxonico pœna commissi est mutata in qvadruplum vectigal. **Landrecht** art. 27. lib. 2. in pr. consult. Sax. par. 4. q. 24. In commissum verò res incidere dicitur, si qvis illicitas merces vendiderit, vel vexerit. l. cotem. 11. §. Dominus. ff. de publican. Qvæ autem illicitæ sint merces, definitur in l. 2. C. qvæ res export. Si vectigal qvis non solverit, l. 14. ff. de publican. vel minorem qvàm habet qvantitatem professus fuerit. P. Friderus lib. 2. de mand. jud. c. 43. n. 11.

Cæterùm ob non solutum vectigal, qvibusdam personis succurritur, ne eorum bona in commissum cadant: utpote minori. l. Imperatores 7. §. fin. lib. 16. §. Divus. ff. de publican. Militi. l. omnibus. 3. C. de vect. Fisco l. locatio. 9. §. fiscus. ff. de publican. Legato. l. 8. C. de vect. Et illi qvi proprii usûs gratiâ qvid vehit. l. 5. C. de vectig. Ei verò, qvi per rescriptum à solvendis vectigalibus immunitatem consecutus est, fiscus non auferre solet. l. omnium 6. C. de vectig. Nec ignorantia aliqvem tuetur, qvo minùs ob non solutum vectigal res ejus in commissum cadant, l. 16. §. licet. ff. de public. &c.

Cap.

CAP. XXVIII.

De Censu habendo.

CEnsus est æstimatio sive descriptio, qvâ cives, omniaq; patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumq; discrimina in tabulas referuntur. Flor. lib. 1. c. 6. Id olim Censorum fuisse munus, ex Cic. 3. de LL. patet: Censores, inqvit, populi ævitates, suboles, familias, pecuniásve césento. Atq; ea res saluberrima magno futuro imperio. Liv. lib. 1. præcipuè verò Civiū descriptio: nempe ideò ut suo se pede metiri discat civitas: ut intelligat, qvantum número militum, qvantum pecuniâ valeat. Liv. lib. 1. ne se gravioribus qvàm ferre possit, bellis implicet. Ita enim comparatum est, ut de facultatibus suis amplius, qvàm in iis est, sperent homines. §. 3. Inst. Qvi & ex qvib. caus. manumit. earumq; fiduciâ majora viribus aggrediuntur. Deinde vel ideò maximè personarum descriptio expediet, ut certa annonæ & rei frumentariæ possit haberi ratio. Talem descriptionem Deus à Moise fieri postulat. Num. 1. ℣. 2. Talem Romani injerunt, & neminem incensum esse passi sunt. Qvi censi non fuissent, venditi sunt, & ideò maximâ affecti capitis diminutione. Ulp. tit. de tutel. §. 10. Cic. pro Cecin.

Patrimonii cujusq; vires adnotandæ sunt. Illud ad multa utile futurum. Plato lib. 12. de legibus. Non loqvor hic de eo, qvantum à qvoqvam exigi debeat, suprà eâ de re actum cap. 21. Describi velim cujusq; possessiones, ut certa sint earum dominia; idq; referatur in matriculam, & ex eâ censitione cuiq; imponatur tributum seu pensitatio.

Dignitatis & Officiorum discrimina deinde obſervanda ſunt: Subjungendi nobiles à plebeis: peregrini à civibus: & hi viciſſim qvi in dignitate ſunt, ab iis qvi ſine eâ degunt. Evitabitur per hanc cenſitionem familiarum confuſio: & qvantum fuci diſtant ab apibus, tantum differre videbis exteros ab incolis: qvæ res haud dubiè commovit Periclem cenſum Athenis agentem, ut qvinq; millia exterorum, qvi ſe in ordinem civium ingeſſerant, exauctoraverit, & ſub haſtâ vendiderit. Plut. in Pericle.

Ætatis cenſus plurimum commodi ſecum trahet: Ad capeſſendos honores certa præfinita ætas eſt, l. 8. ff. de mun. & hon. Latinus Pacatus in laudatione Theodoſii: Non in ampliſſimis, inqvit, magiſtratibus, ſed in præturis qvoq; & ędilitatib. capeſſendis ætas ſpectata eſt petitorum: nec qvisqvam annos comitiali lege præſcriptos feſtinatis honoribus occupavit. Hi fuerunt 30. anni olim, deinde 25. l. 2. ff. de min. Cujac. 21. obſ. 32. Et homines vel majores natu vel minores pro libidine ſe jactitant: & multis hoc pacto imponunt. Id ne fieri poſſet, prudenter juſſit M. Antoninus apud Præfectos ærarii nomen liberorum intra 30. diem ut nati fuerint, edi. Capitol. in Antonin. Præterea qvibusdam ætas tribuit, ne tributo onerentur. Geil. 2. obſ. 52. n. 2. Atq; hanc Cenſitionem ſingulis annis fieri tutiùs cenſet, ob migrationes, mortes, opum augmenta, aut imminutiones. Lipſ. 4. pol. 11.

CAP. XXIX.

De Annonâ.

DE Annonæ copiâ & ratione ſubvehendæ habendęve leges ab unaqvâq; civitate accuratè ferendæ ſunt. Plato 8. de LL. Exemplum Civitas Romana præbet, cui

ſumma & ſevera annonæ cura ſemper fuit. Ex Africâ & Ægypto, aliisq; provinciis Romam vehebatur frumentum ad alimenta civium: qvam vectionem transmarinam dicit Tacitus 13. an. n. 141. Eoq; pacto plebeiorum impetum, qvi in annonæ defectu facilè erumpit, cohibuit. Certum eſt qvod Lucanus lib. 2. ait; ——ſumma favoris Annonâ momenta trahi.

Palàm eſt, ſeveriſſimam coërcitionem iis irrogandam eſſe, qvi annonam flagellant, frumentorumq; & aliarum rerum emtionem-venditionem cariorem reddunt. l. 2. pr. ff. ad l. Jul. de annonâ. Atq; iſtud ne fiat, ſint qvidam juſſu Magiſtratuum, frumento publicè emendo præpoſiti. Hos Sitonas vetuſtas dixit: & Sitoniæ munus, id eſt frumentationis. Budæus in l. numerum §. 1. ff. de mun. & hon. l. 2. ff. de vac. & excuſ. mun.

Officium præfecti annonæ, ſive ædilis Cerealis (ut loqvitur JCtus in l. 2. §. capta. ff. de O. J.) eſt, curare ut incorruptum à fraude advehentium & negligentiâ frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur & concaleſcat, ut ad menſuram pondusq; reſpondeat. Seneca lib. de brevit. vitæ. c. 19. Ita in officio conſeqvetur amorem, in qvo odium vitare difficile eſt. Sen. lib. 1. c. 18. Vide Lazium lib. 2. Com. Reip. Rom. c. 15. Stuck. lib. 2. antiq. Conv. c. 12. Huc pertinet Monopolium, qvod eſt vendendæ certæ mercis jus, qvod unus certíve homines ſibi vendicant; jure civili inhibitum. l. un. C. de Monopoliis. Et in Receſſibus Imp. anno 72. pag. 683.

CAP. XXX.

De Monetâ.

MOnetam à monendo deductam volunt. Isid. lib. 15. c. 17. qvòd vel de nostris temporibus futura secula commoneat. Cassiod. lib. 6. c. 7. vel de valore publico. Corras. 3. misc. 13. n. 3. M. Hostus lib. 1. de re num. c. 4. vel deniq; non esse fraudem in metallo vel pondere. Isid. lib. 15. cap. 17. Nummi verò appellationem vel ἀπὸ τοῦ νόμου derivant, qvòd lege provisum sit, ut nummus tanqvam σύνθεμα qvoddam publicâ formâ cuderetur, qvi usum dominiumq; non tam ex substantiâ præberet, qvàm ex qvantitate. l. 1. ff. de cōtrah. emt. vel à numero, qvod nummi functio non minùs numero constet qvàm pondere: vel à Numâ Rom. Rege. Isid. 15. orig. 17. Cœl. Rhod. lib. 10. Antiq. lect. 21.

Materiam nummorum variam fuisse legimus. Æreos nummos usurpabant veteres. unde ærosa pecunia. l. 102. de solut. & Britanni: de qvibus Cæsar lib. 5. bell. Gall. p. 99. Usi sunt, inqvit, nummo æreo, aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Unde & in LL. æris nomine omne nummorum genus continetur. l. 159. de V. S. l. 26. in fin. de pign. act. Spartani ex instituto Lycurgi, abrogantis omne aureum argenteumq; numisma, ferreo utebantur. Plut. in Lyc. Illud solitum aceto tingi simul ac igne exemtum, ne posset procudi, sed ob tincturam minus duceretur, vel malleo esset tractabile. Plut. in Lysand. apud eosdem Corium habuisse nummorum usum scribit Seneca 5. de benef. 14. Æs, inqvit, alienum habere dicitur, & qvi corium publicâ forma percussum, qvale apud Lacedemonios fuit, qvod usum numeratæ pecuniæ præstat. Stob. ser. 145.

Forma nummi consistit in valore publico, qvi dependet à pondere, charactere & precio. Jac. Bornitius lib. 1. de nummis c. 7. Character nummi varius esse potest. Olim argen-

argentum signatum non est. Liv. lib. 4. p. 199. progressu temporis pecudis nota ei impressa. Plin. lib. 15. c. 3. & vetustissimos repertos esse nummos, in qvibus signum ovis bovisq; confectum, testatur Plut. in Publicolâ. Augustus Cæsar nummum argenteum notâ Sideris Capricorni, qvo natus est, percussit: Sveton. in Octav. c. 94. Olim etiam Janus geminus alterâ ex parte, ex alterâ rostrum navis figuratum. Plin. lib. 33. c. 3. Hodie ferè signatur imagine ejus cujus auctoritate cuditur. Privati cujusq; effigiem auro insculpi prohibuerunt Impp. Rom. Niceph. lib. 8. c. 3. & hodie illud prohibitũ est.

Cæterùm ut in antiqvâ Rom. Rep. receptum fuit; ita prudens Magistratus ad suam Remp. noverit applicare salutares rei nummariæ leges. Nummos legitimos reprobare nulli fas esto. Numisma publicè signatum nullus violato: neq; ad exteros mercandi causâ transferto. Marq. Freher tr. de re mon. p. 20. Jure novissimo, qvi monetam falsam cudit sub formâ & imagine Imperatoris, exurendus est igni. Peinliche Halsgerichts Ordnung art. 120. l. 2. C. de fals. mon. Damhoud. in prax. crim. c. 65. Dan. Moller. 2. Semestr. 35. In Galliâ cacabis oleo bulliente plenis injiciuntur. P. Greg. lib. 31. Syntag. c. 15. n. 3.

Cap. XXXI.
De Nundinis.

Nundinæ à nono die dictæ, qvasi novendinæ, qvòd eæ celebratæ fuerint. Macrobius 1. Saturnal. 16. Columel. 1. de re rust. Sunt mercatûs qvi habentur incolarum & mercatorum res suas freqventi concursu deferentium causâ. Atqve illi non possunt ex antegesto in nundinis conveniri. leg. un. Cod. de Nund. qvi

verò

vero in illis contrahunt, forum ibi sortiuntur. l. 19. §. 1. ff. de Judic. c. Romana §. contrahentes de for. comp. in 6. Usus autem nundinarum non utendo decem annis amittitur. l. 1. ff. de nund. Geil. 2. obs. 60. n. 1. Jure verò Saxon. annis demum 31. per non usum Nundinæ, ut reliqva privilegia, amittuntur. Eodem jure qvoq; civitas hoc privilegio munita est, ne intra milliare circumcirca exerceantur mechanica. Jus Saxon. art. 66. lib. 3.

Cap. XXXII.

De Ærario.

ÆRarium esse populi, fiscum Principis, suprà cap. 15. dictum est. Postremis tamen temporibus de solo principe usurpatum est, fuitq; duplex, alterum largitionum, sive rerum privatarum Augusti, Augustævé. l. 1. C. de loc. præd. civil. alterum sacrarum largitionum, sive thesaurorum. Utriusq; ærarii proprii erant susceptores, rationales Comites.

Delata autem in ærarium est pecunia publica, futuris necessitatibus reservanda. SCta etiam eò declarata esse legimus. Liv. lib. 35. Tac. 3. ann. p. 65. Igitur factum SCtum, ne decreta patrum ante diem decimum in ærarium deferrentur: Nec rata erant, anteqvam in ærarium deferrentur. Erat prætereà Romæ sanctius ærarium, in qvo pecuniæ ad ultimos casus reservabantur. Liv. lib. 27. Cæs. lib. 1. de bell. civ. Cic. ad Att. 7. ep. 20. Appianus 2. de bell. civ. fuisse ait, in qvo pecuniæ bellici tantùm tumultus causâ asservabantur, si qvis attigisset, ejus caput sacrum fuisse. Idq; tempore belli civilis jussit effringi Cæsar: censumq; & patrimonium pop. Romani antè rapuit, qvàm imperium, Flor. lib. 4.

c. 2.

c. 2. Erat & aliud militare ærarium, de qvo infrà lib. 6.c.6. dicemus. Ærario olim præfecti qvæstores: qvod immutatum sub Julio Cæs. & ærarii cura duobus ædilibus commissa est. Augustus prætorios substituit. Dion. lib. 53. Auctor ille fuit, referente Sveton. cap. 36. ut cura ærarii à qvæstoribus urbanis ad prætorios prætoresq; transiret. Qvod comprobat etiam Tacitus 13.ann.p.155. Claudius qvæstores rursum imposuit: iisq; ne metu offensionum segniùs consulerent, extra ordinem honores permisit. Tac.ib. Sveton. in Claudio c. 24. nempe præturas. Dion.in Claud. Nero hoc immutans, Præfectos reduxit, qvos è prætoriis elegit. Horum in jure freqvens mentio. l.12. ff. de his qvæ ut indign.l.15.l.42.de jur.fisci.

Cæterùm præfectis ærarii incumbit, curare sedulò, qvâ ratione locupletari possit ærarium. Locupletior autem vel ex hostium devictorum spoliis: vel ex annuis sociorum pensionibus: vel ex hæreditatibus: vel deniq; ex prudenti opum ærarii dispositione.

Ex devictorum hostium pecuniis augeri ærarii vires convenit: nam qvod hostibus pop.Rom.acqvisitum est, in usum publicum ejusdem asservari debet. Hoc pacto suum Romani ærarium mirificè locupletarunt: ut ideò ærarium eorum, cruentarum prædarum receptaculum sit dictum. Plin. in Paneg. Porcius Cato Cos. cùm triumpharet ex Hispaniâ, tulit in eo triumpho argenti infecti 25000. pondo: bigati 123000. Liv. lib.24. p.109. De Claudio Censore id. Liv. lib.1.dec.5.in fin. De Scipione id. dec. 3. lib. 8. p.329. P. Æmilius devicto Perseo sestertiûm millies & ducenties in ærarium intulit: Cæsar subactâ Galliâ qvater millies sestertiûm. Appian.

Ex annuis sociorum pensionibus, eo fine ærarium

augen-

augendum, ut fi bellum ab hoftibus inferatur, militem fociis imperare liceat. Ita reges Galliæ annua mille aureorum ex fœdere dependere confveverunt Helvetiorum & Rhetorum civitatibus, eâ lege, ut reges Galliæ exercitus imperare, & auxiliaribus eorum copiis uti ad imperii fui tutelam, prætoriasq; cohortes ad corporis obfeqvium & cuftodiam inde confcribere poffint. Bodin. 6. de rep. 2.

Ex hæreditatibus augetur ærarium, fi extraneus hæreditatem in Rep. adeat, & priùs pendat aliqvam hæreditatis adeundæ partem ærario. Olim introducta erat vicefima. l. 2. §. fervus. de orig. jur. Forcatulus in Necyom. dial. 22. n. 1. Alciat. lib. 3. dispunct. 6. Zafius ad l. 2. §. ab hoc plur. ff. de orig. jur. Erat & alia vicefima eorum qvi manumitterentur. Cic. 2. ad Attci. 16. Eâ re haud parvum vectigal inopi ærario additum eft. Liv. lib. 7. Unde aurum vicefimarium, qvod in fanctiore ærario Romanis fuit. Liv. lib. 27. Arrian. lib. 3. diff. Epict. cap. 26.

Deniq; ærarii vires fuftinentur, fi prudens fit opum illius difpofitio & erogatio. Magiftratus fua habeat rationaria & breviaria, in qvæ accepta & expenfa referant, ne plus erogent & profundant, qvàm ferendo fit Resp. Et plerumq; Magiftratus acrioribus oculis fuos intuetur reditus, connivet ad erogationes & fumtus. Dion. lib. 52.

Concludo caput hoc dicto Conftantii Imp. qvòd retulit Polyd. Verg. lib. 2. hift. Angl. lib. 10. c. 1. Meliùs opes à privatis poffideri, qvod apud illos fructum redderent, in arcis verò principum claufæ fteriles effent & infructuofæ.

CAP. XXXIII.

De Comitiis*.

Dictum hactenus est de augendo regimine Reip. qvod augmentum consistit in accessione hominum, armorum, arcium, propugnaculorum, & opum. Harum in Rep. usum, acqvisitionem & possessionem docuimus. Ultimum augendi præsidium est in fideli consiliorum communicatione, qvæ cùm nostris moribus inter Imperii proceres fieri soleat in Comitiis solenniter indictis, paucis complectar tum veterum, tum recentiorum Comitiorum, eorumq; tum universalium, tum particularium, qvædam reqvisita. Comitia à coëundo vel comeundo dicta sunt.

In Rep. Romanâ Calata comitia erant, ubi calabatur, id est, convocabatur totus populus per cornicinem. Viglius ad tit. Inst. de testam. §. 1. n. 6. Fiebant Romæ: nec enim alibi poterant agi. Ulp. in frag. de adopt. §. arrog. Liv. lib. 9. dec. 1. & lib. 1. dec. 1. In campo scil. Martio, at non in urbe: In eâ enim nefas erat procinctum habere exercitum. Nic. Gruchus lib. 1. de Comit. c. 5. In Curiatis Comitiis populus per curias divisus suffragium ferebat: In tributis per tribus: In centuriatis per centurias. Et penes populum omne Comitiorum jus resedit in statu libero. Julius Cæsar primus cum populo hoc jus divisit. Sveton. c. 41. qvod cùm per bella civilia & impotentem Triumviratum abiisset in desvetudinem, reduxit Augustus Sveton. c. 40. Dion. lib. 53. Tiberius jus omne sibi & Senatui sumsit, excluso populo. Tum primùm Comitia (inqvit Tac. 1. ann.) è campo ad patres translata sunt: & paulò post, Nec populus ademtum jus qvestus est: Illud populo restituere tentavit Caligula. Sveton. cap. 16. sed frustrà. Sanè locum hic habet

Tibe-

Tiberiana illa exclamatio de pop. Rom. aliqvoties iterata. ô homines ad servitutem natos! Nempe in fatis erat, enervari populi potentiam, qvam tot annis obtinuerant inconcussam, & vegetam. Cæterum de Rom. Comitiis vide Gruch. in trib. libris eâ de re scriptis. Anton. Augustin. lib. de LL. c. 7. & 8. Macrob. lib. 3. c. 16. Alia ratio habendorum Comitiorum in Spartanâ Rep. recepta est. Candidati per Campum Comitiorum transeuntes populi applausum captabant. Cui plures acclamassent, is vincebat competitores. De his Thucyd. lib. 1. κρίνουσι βοῆ, καὶ οὐ ψήφῳ. Clamore decernunt, non calculo. Plut. in Lyc. Concione, inqvit, advocatâ delecti viri includebantur propinqvâ domo, qvi neminem videbant, neq; ipsi conspiciebantur, sed clamorem exaudiebant, &c. Sed his missis hodiernæ Reip. Comitia contemplabimur. Ea sunt universalia & particularia. Universalia sunt Cæsaris & Statuum Imperii conventûs, suscepti causâ Reip. ein Reichstag / oder gemeine Reichsversamlunge. Particularia, qvibus pars tantùm Statuum conventum agit. De generalibus priore loco disserendum est. In his notanda. 1. Convocatio Statuum. 2. Personæ convenientes. 3. Qvibus de rebus haberi soleant. 4. Qvæ eorum habendorum forma. 5. Qvi effectus.

I. Qvod primum membrum attinet, nempe convocationem Statuum, sciendum est, Imperatorem habere potestatem convocandi Status Imperii ad Comitia, accedente tamen Electorum suffragio: ideoq; in convocatione, im ausschreiben eines Reichstages hæc ferè solet addi clausula: wann dann sambt uns und des Heiligen Reichs Churfürsten / nach reiffer stattlicher Erwegung unvermeidentlich und unumbgenglich zu

ſeyn befunden/einen allgemeinen Reichstag anzuſtellen / darzu vns wolermelte Churfürſten einhellig jhren Conſens /dem Herkommen gemeß / vnder jhrer Liebden Handſchrifft vñ Siegeln gegeben/ die beſtimmung des Tages hinein geſetzt / vnd als viel die Malſtad betrifft / in vnſer vnd des Heiligen Reichs Stadt. N. vmb erheblicher Vrſachen gefallen laſſen/ etc.

II. Conveniunt ipſe Cæſar,omnesq́; S. Romani Imperii Status & proceres, vel per ſe, vel per ſuos Legatos. Summa Imperii poteſtas in duas ſemiſſes tribuitur, qvarum unam Cæſar, reliqvam Ordines univerſi habent. Ordines diſtinguuntur in tres claſſes: prima eſt Electorum: altera Principum,Comitum, Baronum, Prælatorum: tertia Liberarum Imperii Civitatum. Separatæ ſingulis ſedes: Civitates verò unum conſtituentes corpus in duo latera diſtingvuntur: in die Reyniſche vnd Schwäbiſche Banck.

III. Inſtituuntur ibi de graviſſimis ad publicam Imperii tutelam pertinentibus cauſis deliberationes: de firmandâ pace publicâ,de curſu ſummi Tribunalis Imperii: de Collectis: de moderatione indictarum penſionum, de ineundis fœderibus: de re monetariâ: de redintegrandis Rom. Imperii viribus, & avulſis membris recuperandi &c. pro variâ rerum emergentium copiâ.

IV. Modum habendi Comitia breviter complexus eſt teſtis αὐτόπτης Tob. Paurmeiſterus lib. 2. de jurisd. c.2.n.31. Legati à Principib. & reliqvis Statibus miſſi nomina ſua profitentur apud Electorem Moguntinum Imperii Archicancellarium,& literas credentiales exhibent. Ad præſtitutum diem Cæſar exqviſitiſſimâ cum pompâ pâocedit in palatium: præfert Elector Saxonicus ſtrictum gladium:Seqvuntur Electores reliqvi, & Principes longo ordine: Conſidet Cæſar loco excelſiore & auguſtiore:pau-

lò inferiore ordine ad dexteram eſt Elector Moguntinus, qvem ſeqvitur Colonienſis: Trevirenſis è regione Cæſari opponitur. Ad ſiniſtrum Cæſaris latus ſunt Rex Bohemiæ: Elector Palatinus: Elector Saxonicus: & Elector Brandeburgicus. Pro principibus reliqvis duo ſunt ſubſellia, uno gradu Electorum, duobus verò Cæſaris inferiora, magnificentiſſimè exornata: in qvorum dextro conſident Archiepiſcopi: Legati domûs Auſtriacæ & Burgundicæ: In ſiniſtro reliqvi principes ſecundum dignitatis cujusq; prærogativam. Facto conſeſſu unus Principum, nomine Cæſaris gratias agit Statibus, qvòd ad Comitia freqventes convenerint: Deinde ipſe Imperator gravi breviq; oratione gratiarum actionem repetit: & cauſas indictorum Comitiorum commemorat, atq; ut in medium conſulant, omnes hortatur. Cæſaris Secretarius Propoſitionem de ſcripto legit: eâq; finitâ conſurgunt Status, & paululum collocuti reſpondent per Electorem Moguntinum, cognoviſſe ſe cauſas coactorum Comitiorum: agere ſe Cæſari gratias pro exqviſitâ Imperii tutelâ, deferre ſe officia ſua in omnibus qvæ ad Imperii dignitatem pertinere exiſtimaverint; petere ſe ſubmiſsè prælectæ Propoſitionis copiam. Poſt hæc Cæſar iterum Statibus pro delatâ operâ gratias agit, ac ut de ſingulis propoſitionis capitibus primo qvoqvo die ſuam explicent ſententiam, denuò hortatur. His peractis reducitur Cæſar cum ingenti pompâ ad ſuum palatium, & qvisq; principum ad diverſorium ſuum revertitur. Indicitur deinde dies ab Electore Moguntino, qvo Status ad deliberandum conveniunt. Ineuntur ſuffragia, ſecundũ cujusq; Statûs præeminentiam. Si omnium trium claſſium, vel duarum major pars conſenſerit, ex parte ordinum res confecta eſt. Si verò ſingulæ ſingulas tueantur ſententias, ulteriùs progredi non poſſunt, nec ſi plures ex omnibus Claſſibus in idem conſentiant: non enim perſonarum, ſed claſſium vincit numerus. Paurmeiſt. ib. p. 347.

V. Effectus celebratorum Comitiorum eſt, qvòd pacta conventa inter Cæſarem & Statûs legis vigorem ha-

bent: & tam Cæsar qvàm proceres omnes Imperii obligant se ad decreti Comitialis observantiam, qvod scripto cõprehēditur, & publicatur. Atq; hæc de universalib. Comitiis sufficiant. Particularia subjungimus. Horum qvatuor sunt species: Sunt enim Conventus vel Electorũ, vel Regimenti, vel Deputatorũ, vel Circulorũ.

Electorum Conventus, tum ad eligendum Regem Romanum, tum alias ob causas extra ordinem indicitur. Jus autem eligendi Cæsarem ad integrum Electorum collegium sive corpus pertinet, non ad singulos; qvod qvidem visum est Hostiensi in c. venerabilem ext. de Elect. Lipold. de Babenberg de jure Imp. Rom. c. 6.

Regimenti conventus institutus est à Maximiliano I. Imp. in Comitiis Augustanis an. 1500. In eo erant 20: Personæ loco Senatûs Imperii: his plena data erat potestas de qvibuscunq; subditorum qverelis cognoscẽdi, bella contra Turcas suscipiendi: Verùm hæc Regimenti constitutio sub Carolo V. Cæs. in desvetudinem abiit.

Deputatorum conventus primùm institutus est Augustæ an 1555. In eo sunt Commissarius Cæsaris: Sex Electores: ex principibus qvatuor: Archid: Austriæ: Episcopi Herbipol. & Monasteriens. Dux Bavariæ: Ex liberis Imperii Civitatibus: Colonia Agrippina & Noriberga. Et cùm personale anteà esset horum munus, decretũ est Augustæ an. 1559. ut ad hæredes eorum esset transitorium: & prioribus adjecti sunt Dux Juliacensis, Landgravius Hassiæ, Episcopus Constantiẽsis, Dux Burgundię, Dux Brunsvicens. & Duces Pomeraniæ. Causa hujus Conventus est, si motus in Imperio graves oriantur, qvibus compescendis vires aliqvot Circulorum non sufficiant: hi rem ad Electorem Moguntinum deferunt: Is deputatôs Francofurtum ad Mœnum convocat. In Conventu eadẽ penè solennitas observatur, qvæ in comitiis universalib. Deputatorũ nomina eduntur apud Moguntinos: Commissarius Cæsaris capita deliberationis scripto comprehensa proponit,

deinde universi in duas classes discedunt Electorum ac Principum, & in singulis classibus singuli viritim suffragia ferunt, &c.

Circulorum conventûs die Kreyßtage indicuntur ob causam peculiarem istis Circulis: Eliguntur Duces, eorumq; Legati & Consiliarii KreyßObriste/ Räthe vnd zugeordnete. Paurmeist. d. loco p. 365. P. Dennais. in J. Cam. tit. 212. verb. pacis publ. conservatio. Atq; hæc de particularibus Conventibus: & in universum de munimentis Rerump. qvarum domi usus esse potest. Seqvitur de his, qvæ foris sunt, qvalia sunt fœdera, &c.

Cap. XXXIV.

De Fœderibus: Qvo fine, qvibúsve de rebus iniri soleant.

SUmma fœderum in Rep. necessitas est, summa utilitas. Si tutiore loco Remp. consistere volueris, si fortiorem Civium manum, audacioremq; animorum impetum desideraveris, nullum aliud remedium est, qvàm fœderum sancta custodia. Juncti sumus omnes in hac mundanâ Statione, ad præstandum mutuum auxilium: nihil tam humanum est, qvàm alterius infortunium suum ducere: Ad varias fortunæ vicissitudines levandas societate hominum opus est, ut æqviore animo fortuita toleremus. Unita virtus validior est, & hosti terribilior. Neutrales isti & in seipsos nihil possunt statuere atrociùs, & vicinos non aliâ ratione ad invadendum alliciunt. Sanè isti qvi societatem alterius palàm induunt, ad alterum per occulta & fida magis inclinant. Tacit. 12. ann. in utriusq; partis enses & insidias incurisse videntur. Nam qvod

qvod tanqvam mediam & tutiſſimam conſilii viam, ut qvieſcant, abſtineantq; armis eligunt: ea verò non media ſed nulla eſt. Liv. lib. 32. Nusqvam inveniunt gratiam ſtabilem, qvi inter duas ſunt partes penduli; fortunam auſis ſuis parem experiuntur: Expectant & liberant geminas eventu vindice vires. Claudian. ut fortunæ ſua applicent conſilia. Inde præda victori fiunt. Qvosdam ignavia, qvosdam prava calliditas, ut alienis laboribus tuti eſſent, armis abſtinuit. Verùm utrosq; Nemeſis juſta inſeqvitur. Ergo ubi vel de religione defendendâ, vel conjungendis contra communem hoſtem viribus occurrit conſultatio: impigrè ad alterutram partem accedendum eſt. Religionis causâ videmus ictum eſſe fœdus Smalcaldicum: Ad reſiſtendum hoſtili violentiæ, innumera paſſim extant ſancita fœdera, qvæ eò firmiora ſunt, qvò honeſtior eſt cauſa, qvæ contrahentes in illâ animavit.

CAP. XXXV.

De formâ ſanciendorum fœderum.

FOederum variam apud varias gentes pangendorum rationem legimus: Solennia certa iis adhibita, ut eo firmiore nexu ſe mutuò obſtringerent. Horum aliqva enumerabimus. Scythæ hauſtu mutui ſangvinis fœdus ineunt. Solin. c. 35. Florus lib. 4. c. 1. Herodot. lib. 4. Sauciant ſe, exceptumq; ſangvinem, ubi permiſcuêre deguſtant, id putant manſuræ fidei pignus certiſſimum. Pomp. Mela lib. 2. Geogr. p. 42. Daci cùm ad bellum proficiſcerentur, de Iſtro certum modum haurientes ore, in modum ſacri vini, jurarunt ſe ad patriæ fines non regreſſuros, niſi hoſtibus neci datis: qvo ſenſu Virg. 2. Iſtrum conjuratum dixit: Baucæi feriebant fœdus ſuper occultam foſ-

fam, & qvoad humus ea ita fe haberet, tamdiu fœdus in eâ regione ratum fore fentiebant. Herodot. lib.3.4.& 5. Arabes qvaliter fœdere fe obftrinxerint, vide apud eund. Herod. lib. 3. p. 160. Itemq; Romani & Alani apud Livium lib. 1. p. 30. Pannonii apud Aventin. lib.2. an. Bojor. Tartari apud Cromer. lib 30. Rer. Pol. Rhadamiftus & Mithridates apud Tacit. lib. 12. ann. pag. 249. Clearchus Laced. & Rex Calangiorum apud Bodin. 5. de Rep. p. 952. De Armeniis Valerius Max. lib. 9. cap. 11. Sariafter, inqvit, adverfus patrem fuum Tigranem Armeniæ Regem ita cum amicis confenfit, ut omnes dextris manibus fangvinem mitterent, atq; eum invicem forberent. Et Tertull. in Apologet. Legite necubi relatum fit, diffufum brachiis fangvinem ex alterutro deguftatum, nationes qvasdam fœderi comparaffe. Nefcio qvid & fub Catilinâ deguftatum eft. Pofterioribus his Tertulliani verbis lucem præbet Saluftius in Catil. Fuère, inqvit, qvi dicerent, Catilinam humani corporis fangvinem vino permixtum in pateris circumtuliffe: inde cùm poft exfecrationem omnes deguftaviffent, ficuti in folennibus facris fieri confvevit, aperuiffe confilium fuum. Agathocles Hamilcari expofitis ignibus cereis tactisq; in obfeqvia Pœnorum jurat. Juftin. lib. 22. p. 154. Et Regibus morem effe refert Tacit. in Ner. qvoties focietatem ineunt, implicare dexteras, pollicesq; inter fe devincire, nodoq; perftringere, ubi mox fangvis in extremos artus fuffuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atq; invicem lambunt. De Germanis, Pofidonius apud Athenæum lib. 2. c. 2. Dipnof.

Ferunt

Ferunt, inqvit, hos in ſympoſiis benignè comple-plexos, venas in fronte abſcindere, & ſangvinem defluentem in poculo miſcentes bibere, ſummum amicitiæ terminum attigiſſe exiſtimantes, cùm ſangvinem viciſſim inter ſe deguſtarint. Fuerunt præterea apud antiqvos duo maximè inſignia fœderis & amicitiæ ſymbola, panis nimirùm & ſal, qvorum qvidem uſu & eſu fœdera confirmare ſolebant. Unum alimenti, alterum condimenti inſtar obtinet: utrumqve verò φιλαδελφίας & benevolentiæ teſſera & ſignum eſt. Macedones patrio ritu fœdus, qvod ſanctiſſimum vellent haberi, ſic inibant, ut panem gladio diviſum uterq; libaret. Curt. lib. 8. Cœl. Rhod. lib. 28. antiq. c. 15. Eandem apud Moſchos conſvetudinem receptam eſſe teſtatur Sigism. Baro ab Herberſtein in deſcript. Moſc. Sal non tantùm in gentilium ſacrificiis adhibitum eſſe comprobat Plin. lib. 31. c. 7. Tibull. el. 4. lib. 3. Horat. 3. odar. 23. Et illud Livii lib. 26. ut ſalinum patellamq; Deorum causâ habeant: Sed etiam gentis Iſraëliticæ. Levit. 2. ℣. 13. Num. 18. qvod tum vitæ morumq; puritatem, tum divini fœderis cum iſto populo firmitatem & ſtabilitatem adumbrat. Hoſpitibus autem ante omnia ſal apponitur, ut unionis & amicitiæ ſymbolum exiſtat: & profanam absq; ſalino menſam eſſe cenſet Lipſius 1. Saturn. cap. 2. Unde fortè proverbia orta; multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut amicitiæ munus expletum ſit. Cic. in Lœl. & ex effuſione ſalis portendi alicui jurgium & diſſolutionem contractæ amicitiæ. STUCK. lib. 1. antiq. con. c. 30. De aliis fœderum ritibus v. Stuck. d. c. & Virg. 8. Æn. &c.

Cap. XXXVI.

Cum qvibus pangenda ſint fœdera.

SApiens eſt illud effatum Senecæ ep.109. Sapientem non poſſe in habitu ſuæ mentis ſtare, niſi amicos aliqvos ſimiles ſui admiſerit, cum qvibus virtutes ſuas communicet. Similes ſui admittere debet: magnam enim vim habet ad conjungendas amicitias ſtudiorum ac naturæ ſimilitudo. Cic. pro Cluent. diſpares mores diſparia ſtudia ſeqvuntur. Id. in Læl. Unde neceſſe eſt diſſolvi ſocietatis & fœderum jura, qvemadmodum in teſtudine, ſi vna ſolummodò chorda diſcrepet, totam harmoniam turbari deprehendimus.

Is igitur qvi valet potentiâ, tales etiam & fortè potentiores ſibi adſciſcat, qviq; in proximo habitent. Ariſt. Rhet. ad Alex. cap. ult. Qvi imbellium ſocietatem ambiunt, qværunt, cùm qvâ gente cadant, ut loqvitur Lucanus lib. 8. & inclinant in caducum parietem; ut Hadriani Imp. utar verbis. Econtrà illi, qvi jungunt ſe felicitate & potentiâ florentibus, adamantinos pro incolumitate ſuâ clavos mihi figere videntur. Eo conſilio Abimelech Philiſtinus Iſaaco fœderatus eſſe voluit. Gen. 26. Et Mileſii Ionum ſocii, cùm viderent Cyri bellum contra Ionas meditantis, ſucceſſus deficiunt, & pacem fœdusq; ineunt cum Cyro. Herod. lib. 1.

Sed qvid de Infidelibus dicendum eſt? fœdúsne cum illis facere permiſſum eſt? Ita qvidem multis videtur. Laudenſ. conſ. 71. Corſet. de poteſt. regiâ part. 4. q. 33. Socin. conſ. 20. Afflict. de feud. tit. de pac. jur. fir. in verb. Conventicula n. 32, qvorum argumenta conſiderabimus.

Dicunt

Dicunt 1. Defensionem cuiq; à naturâ permitti: neq; interesse, qvâ qvis ratione se defendat, per se vel per alium: & ignoscendum esse ei, qvi sangvinem suum qvalitercumq; redimere satagit. l. 1. in fin. ff. de bon. cor. qvi ante sent. 2. Deum ipsum in ulciscendis Judæorum peccatis gentium ministerio esse usum. c. remittuntur. §. hinc notand. 23. q. 5. Et Paulum suppetias petiisse à Centurione. Act. 23. c. sex differentiæ in fin. & c. seq. 23. q. 3. 3. Illam confœderationem eo æqviore animo ferendam esse, qvo majore necessitate urgente contrahitur, qvæ legi subjecta non est. c. qvod non est licitum: de R. J. 4. Hostes propulsandos esse qvovis modo adhibito, sive virtute, sive insidiis: qvod cùm liceat, Infidelium qvoq; auxilium implorare concessum esse. 5. Talionis legem hoc reqvirere: Fideles posse succurrere Infidelibus. c. Julianus 11. q. 3. Ergo econtrà infideles etiam posse licito jure adesse fidelibus. 6. Nasci solere ex istâ cum infidelibus confœderatione dissensiones inter ipsos infideles, qvibus se mutuò conficiant: adeoq; magis in tranqvillo futuros Fideles. 7. Exemplis illustribus hanc sententiam reddi planiorem: Justinianum Imp. apertè profiteri, lætari se, qvòd pacem perpetuam cum Rege Persarum inierit. l. 2. C. de off. præf. præt. Alia exempla lubens prætereo.

Verùm enimverò licet infinitis exemplis opinionem suam plausibiliorem reddere conentur, nihil tamen efficient. Potiora sunt argumenta negantis sententiæ, ut planè statuam, fœdus omninò nullum cum Infidelibus contrahendum esse. Idem talis esse censetur, qvi sese jungit Christianæ religionis inimico. c. qvisqvis 23. q. 4. nempè cum perverso perversus fiet. Psal. 17. Aconiti ea natura est, ut etiam contactu necet. Ita qvorundam convictus protinus inficit, aut si vel tantillum cum illis inceptes commercii. Plin. lib. 29. c. 2. Serpunt vitia, & in proximum qvemq; transiliunt, & contactu nocent. Senec. de tranq. an. c. 7. Illicitum Hebræis erat, cibum

cum Ægyptiis capere. Gen. 43. nobis nefas sit, qvicqvam consilii iis concredere: aut viis eorum incedere. Ps. 1. An Judæorum ullum fuit cum Samaritanis commercium? Johan. 4. annon abominabile illis accedere ad alienigenas? Act. 10. annon in ipso rerum humanarum principio Deus hanc legem sanxit hominum generi, ut inimicitiæ perpetuæ illi intercederent cum fece infernali, qvæ callidi serpentis sibilum libenter audit, & melleum venenum avidissimè haurit? Audiamus vocem Dei, & plana erit res ista. Cave, inqvit, ne unqvam cum habitatoribus terræ istius jungas amicitias. Exod. 34. Non inibis cum eis fœdus. Deut. 7. pr. Me qværite, & vivetis, nolite in Bersabe transire. Amos c. 5. In viis gentium non incedite. Matth. 10. Exod. 32. in fin. Væ illis qvi hoc fecerint. Esa. 31. Ecce severissimam prohibitionem. Jud. 2. Eam tamen Israëlitæ violant, qvo eventu? Facti sunt illis Philistini fovea in qvam ceciderunt, laqveus qvo implicati sunt, festuca & offensio, qvo oculi illorum corrupti sunt: privati usurâ suæ terræ. In ipso fœdere in eos, cum qvibus initur societas, qvædam amoris & voluntatis communicatio est: At qvæ potest esse cum filiis Belial copulatio? qvi amor in eos, qvi ipsius Christi & membrorum ejus jurati sunt hostes? Sanè exemplo Davidis hostes Dei, ut hostes nostros aversamur & odio prosеqvimur. Nónne qvi te oderant Domine, oderá? & super inimicos tuos tabescam. Psal. 118. Profitemur in Baptismo, nos pugiles & palæstritas strenuos futuros adversus eos, qvi Christum vel eius membra aut apertè petunt, aut insidiarum cuniculis occultè tentant. Tertul. de cor. mil. Ergo fœdifragi sumus & perjuri, si aliter facimus. Age verò ex aliorum infortuniis nostram precavere discamus ruinam: contemplemur paucis eos, qvi contra divinam prohibitionem, propriamq; obtestationem fœderi ejusmodi se implicuerunt: qvò eventu negotium

ges-

geſſerint. Trapezuntini principes, qvòd Paulum noluerunt audire monentem: Nolite jugum ducere cum infidelibus: meruerunt Infidelium ſubire jugum. Palæologi contra Dei vocem exiſtimantes participationem eſſe poſſe juſtitiæ cum iniqvitate, ſocietatem lucis cum tenebris, ita abierunt in pulverem, ut Imperium eorum ceſſerit prædæ Turcis; & Conſtantinopolis, qvâ nihil habuit orbis poſt Romam majus, qvæ fuit Palæologorum, horum ſcelere Chriſto perierit & cœlo. Franciſcus Galliarum Rex ſic potens, ut cum potentiſſimo orbis dimicaret de Orbe, & unâ verâq; curâ ſic complexus univerſos ſuos, ut lis fuerit in Galliâ, debeátne illi plus Mars an Minerva: Nobilitas an Plebs: Miles an Mercator. Tantus heros videretur ſummæ felicitatis humanæ apicem attigiſſe, niſi moriens exclamaſſet: Perii heu perii, qvòd volui eſſe fœderatus ei, qvi hoſtis eſt Chriſtiani nominis! Sleidan. lib.15. p.332. Cardinali Gviſio ſuggerenti conſolationē ex ſacris literis, Omnis, inqvit, miſericordia mihi clauſa eſt; qvi ut æmuli mei vel gloriam infuſcarem, vel vindicarem injuriam, fœdus pepigi cum Turcâ, & Chriſtianorum capita tanqvam armenta ad Mahometanam ſervitutem vivus vidensq; paſſus ſum abigi. Non puto has voces eſſe deſperātis, ſed extremè potius dolentis. Sanè præter bellum, qvod florentiſſimam Galliam exercuit, aliis etiam modis ad pœnam tractus eſt Franciſcus. Poſteritatem illius videmus extinctam: Henricus filius in publico ſpectaculo factus eſt Orbi ſpectaculum: Nepotes dolor, bellum, venenum, cultellus, ita brevi abſumſit omnes, ut una eademq; ætas Valeſiam gentem viderit & ſummam, & propter fœdus Turcīcum nullam.

Igitur, inqvis, cum Turcis nullæ prorſus induciæ, nulla fœdera iniri poſſunt? an culpandi ideò, qvibus pacis jura & amicitiæ cum illis intercedunt? Simpliciter iſtud non dixerim: neq; adeò ferreus & rigidus ſum, ut fœdus cum Turcâ non admittendum cenſeam, qvod neces-

neceſſitate extremâ impoſitum non potuit aut arte eludi, aut commodè declinari: Illud improbo, qvod qvidam absqve ullâ urgente legitimâ causâ, ad pangendum fœdus cum Infidelibus qvibuscunq;, velut ad jocum & ludum, tranſiliunt: Deus Deus diſſipabit eorum conſilia. Pſ. 32. & idololatriam iſtam, ſive potiùs defectionem acerrimè vindicabit. Sed qvò delabor? Revoco me eò, unde digreſſus ſum. Paucis contrariæ ſententiæ argumenta diluenda ſunt.

Qvod dicitur primò, Defenſionem qvalicunq; modo permiſſam eſſe; atq; ideò videri qvoq; conceſſum, Infidelium ambire ſocietatem, noſtræ defenſionis gratiâ: ſimpliciter intellectum non obtinet: Omnis enim defenſio legitimis terminis ita incluſa eſt, ut ſi paululum extra illos verſetur, pro illicitâ & injuſtâ illicò haberi debeat.

Qvod ſecundò adducitur, Deum gentium eſſe uſum miniſterio, atq; inde videri idem nobis licére debere: Leve eſt: Nam Deus non jure fœderis, ſed jure abſolutæ poteſtatis illis uſus eſt. Impar eſt noſtra poteſtas divinæ: Illa immenſa, univerſalis & plena juſticiæ: Noſtra tenuis, reſtricta, ſcatens innumeris ſcelerum ſordibus. Uſus eſt Deus Pharaonis & Attilæ miniſterio ad plectendum & flectendum: Nobis illorum ſodalitas & auxilium, ſi Chriſtiani non dici tantùm, ſed eſſe voluerimus, evitandum eſt.

Qvod tertiò de neceſſitate adfertur: poteſt aliqvo modò dari, ſi urgens illa ſit & evidens: nam ut paulò antè attigi, non ſtatuo rejiciendum omnem pactionem cum iſto hominum genere initam, præſertim ſi aliter fieri nullo modo poſſit: ſed levi ex causâ ſusceptam.

Qvod qvarto loco agitatum eſt, Licere inſidias hoſti ſtruere qvovis modo, & per conſeqvens etiam Infideles in ſocietatem ejus rei perficiendæ gratiâ eſſe admittendos: valde debile eſt: nam Chriſtiani hoſtibus ſuis ita ſtruunt inſidias, ne qvid contra Deum faciant. Poteſt inſidiis eſſe

locus

locus, dum ne aliqvid ſcelerati fiat. Ubicunq; vel Dei majeſtas lęditur, vel conſcientiæ parum probè conſulitur, nemo tam ſimplex eſt, qvi verſutiam iſtam intempeſtivam tolerandam non eſſe intelligat.

Qvintum ex naturâ relatorum dependet. Sed infirma conſeqventia eſt: Neq; enim fidelibus ea impoſita eſt neceſſitas, juvandi infideles: qvis enim hoſtes ſuos juvet, qvos in perniciem ſuam novit eſſe animatos? an non hoc pacto arma contra ſeipſum ferret? Juliano Imp. infideli militabant fideles. c. Julianus 11. q. 3. Obediebant ei, qvotiescunq; defendenda eſſet resp. Si adverſum confratres ſuos inſurgere juſſi eſſent, recognoſcebant Imperatorem cœli. Major qvippe & ſanctior eſſe debet divinæ, qvàm temporaria majeſtatis reverentia.

Qvod ſexto loco propoſitum eſt, diſſenſionum ſemina hoc pacto ſpargi inter Infideles, qvibus ſe mutuò enecent: itidem non firmo talo incedit. Qværo, qvo conſilio ſoleat cum Infidelibus iniri pactio? Sine dubio hæc cauſa eſt, ut qvi potentiorem ſe futurum ſperet, cùm ſeptus eſt peregrinorum populorum favore & fœdere? Jam verò fieri poteſt, ut nunqvam de diſſenſionibus inter eos, qvibus cum contrahit, cogitarit: & ex accidenti illud contingit: Sed rarum hoc eſt & infreqvens, & aliis modis ad mutuam discordiam adigendi ſunt, ut facilius debellari poſſint.

Qvod ultimo loco de exemplis dicitur, nihil officit. Qvantacunq; eorum ſit copia, non tamen evertent regulam ex ipſius Dei ore profectam: neq; multitudo delinqventium parit ſceleri patrocinium. Juſtinianum extrema compulit neceſſitas, ut pro ſalute & tranqvillitate reip. pactiones cum Perſis iniret. Idem de aliis ferendum judicium.

CAP.

Cap. XXXVII.


De effectu Fœderum.

FOederum initorum hic est effectus, ut mutuâ animorum conjunctione alter alteri in discrimine succurrat: Eaq; firmiter & sanctè custodienda sunt. Nam & summa fœderum Romanis religio est. Flor. lib. 2. c. 6. Invicta autem erunt, si vinculum adhibeatur prudentiæ. Paradin. in symb. vis nescia vinci. pag. 198. Qvotiescunq; rupère fœdus, impius lucri furor, & ira præceps. Sen. in Hipp. Nulla tam gravis excogitari potest coërcitio, qvâ non dignè ruptores isti afficiantur. Qvo fine Tullus Hostilius ruptorem fœderis Metium Suffetium religatum inter duos currus pernicibus eqvis distrahit. Flor. lib. 1. c. 3. In eos verò, qvi per rationem justam discedunt à fœdere, nihil temerè statuendum est. ar. l 14. 15. & 16. ff. pro soc. Qvòd si semel rupta sint arctissima fœdera, dissidia oriri solent, haud facilè sopienda. Ut enim adamas, si frangi contingit malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeò ut vix oculis cerni qveant: ita arctissima necessitudo, si qvando contingit dirimi, in summam vertitur simultatem Plin. lib. 37. c. 4. Atq; hæc de fœderibus. Plura Warem. ab Erenberg tr. eod. complexus est. &c.



Finis Libri IV. Politicorum.

GEOR-



GEORGII Schönborner / Silef. Phil. & J. U. D. Confil. & Cancellarii ZOLLERINI.

Liber V. Politicorum.

CAP. I. De Statu Monarchico.



N adminiſtratione Rerump. perpendimus hactenus cauſas, ſubjectum, formam & adjuncta. Nunc ad ſpecies ejusdem & deſcriptionem Status S. Rom. Imperii accedimus. Species adminiſtrationis Reip. tres ſunt: Eſt enim aut Monarchica, aut Ariſtocratica, aut Democratica.

Monarchicam regiminis perficiundi rationem antiqviſſimam eſſe nemo negaverit. Principio rerum, gentium, nationumq; imperium penes reges erat. Juſtin. lib. 1. Cic. 3. de LL. Idq; in terris nomen Imperii primum fuit. Saluſt. in Catil. & apud omnes ferè gentes comprobatum, uſuq; receptum. Imperium Romanum ſuos habuit Monarchas inde à Julio:

Galli

Galli inde à Pharamundo Reges habent. Athenienſes à Cecrope usq; ad Codrum: Lacedemonii à Lelege usq; ad Cleomenem: Hungari ab Attilâ: Hiſpani ab Athalarico: Angli à Britone: Poloni à Lecho: Bohemi à Zecho: Dani à Dano: Sveci à Magosâ: Scoti à Fregufio. Atq; his populis hæc gubernandi ratio fortè ideò convenientior viſa eſt, qvod ad ipſius naturæ curſum qvàm proximè accedit. Eiusq; rei veſtigia non in hominibus tantùm, ſed etiam in brutis cernimus. In apibus rex unus eſt. Plin. lib. 11. nat. hiſt. c. 17. & dux unus in gregib. & in armentis Rector unus. Cypr. tr. de idol. van. Inter grues unus veluti conſenſu reliqvorum princeps electus regit & moderatur gregē. Ariſt. 1. de hiſt. ani. cap. 1. Freigius in Ornithog. p. 982. Et ut partes hominis in uno corde maximè vigent: ita & partes civitatis ſub uno rege. Utq; ſolem unum in cœlo eſſe, non plures expedit: ita & unum Imperii corpus unius animo regendum videtur. Tac. 1. annal. Qvod Lydii objecerunt Crœſo, cum fratrem adſumſiſſet in conſortium Imperii. Stob. ex Serino ſerm. qvòd opt. ſit Mon. Et Alexander Darii legatis reſpondit, Mundum à duobus ſolibus non poſſe regi. Curtius lib. 4. Idq; eò magis ſui valiturum eſt momento, qvo pacatior tranqvilliorq; hic futurus eſt Status: εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς: Homer. Iliad. β. Et pacis intereſt omnem poteſtatem ad unum conferri. Tacit. 1. hiſt. Neq; aliud qvandoqve diſcordantis patriæ remedium fuit, qvàm ſi ab uno regerêtur. Tacit. 1. ann. Cujus rei illuſtre documentum eſt, qvòd Romæ in tantâ perturbatione ſumma rerum rediit ad Octavium: qvi ſapientiâ ſuâ atq; ſolertiâ perculſum undiq; & perturbatum ordinavit Imperii corpus: qvod ita haud

haud dubiè nunqvam coire & conſentire potuiſſet, niſi unius præſidis nutu qvaſi animâ & mente regeretur. Flor. lib. 4. c. 3. Nec tantùm tranqvillus eſt hic regiminis modus: verùm etiam conſtans, & minùs mutationi obnoxius. Hippol. à Coll. tr. de princ. c. 1. p. 13. Junius part. 1. pol. 4. Rariùs unus, ſecum multi diſſident. Caſus lib. 3. Sph. civ. c. 7. Et plures gubernatores, licet artem noverint, tamen invicē ſibi ſunt impedimento. Bodin. lib. 6. de rep. c. 4. atq; ideò ſapiētes turbatâ rep. ad hanc regendi rationem, velut ad ſacram anchoram confugerunt. P. Gregor. lib. 13. de Rep. c. 12. n. 17. Ea igitur magnifacienda eſt. v. Patric. lib. 1. de regno. t. 3. Simanca de Rep. lib. 3. c. 2. Lipſ. 2. pol. 2.

Cap. II.

De Ariſtocratiâ.

EX hypotheſi fortè alia politiæ forma cuidam civitati poteſt eſſe accommodatior, eaq; vel Ariſtocratica vel Democratica. Ariſtocratica eſt, in qvâ optimates præſunt: Democratica in qvâ populus. Optimatum in Rep. gubernatio eò eſt nobilior, qvò uſus eorum illuſtrior. Nam & in unius imperio, & in omnium dominatione ſemper Senatui ac ſapientibus arcana, ſummamq; rerum committere, aut omnia deorſum ſublapſa ruere neceſſe eſt. Bodin. 6. de Rep. c. 4. Et ab optimis prudentiſſimisq; viris probabile eſt, ſaluberrima proficiſci conſilia; qvemadmodum Megabyzus apud Herodotum lib. 3. diſſerit. Unde cōmoti qvamplurimi populi, hanc gubernandi formam civitatibus ſuis accommodarunt. Romani exactis regibus, ſummam rerum ad optimates detulerunt.

Liv.lib.2. Halic.lib.4.Bodin. lib.6.c.4. Itidem Spartani. Arist.2.pol.7.Plut.in Lyc. Galli. Cæf. lib.6. & Ædui. Id. lib.7. bel. Gal. p.158. Nec non Maſſilienſes.Strab.lib. 14. Veneti & Norici. In iſtâ autem gubernandi ratione qvædam monita capienda ſunt.

I. Patricii & optimates dignitatem ſuam illæſam conſervent: neq; matrimonia cum plebeiis ineant. Dionyſ. Halic. lib. 10. Liv. lib. 4. Iſta enim matrimonia colluviem gentium, perturbationemq; familiarum afferunt, ne qvid ſinceri, ne qvid incontaminati ſit, ut diſcrimine omni ſublato, nec ſe qvisqvam nec ſuos noſcat: neq; aliam vim iſta promiſcua connubia habent, niſi ut ferarum propè ritu vulgentur concubitûs plebis patrumq;: ut qvi natus ſit ignoret cujus ſangvinis, qvorum ſacrorum ſit; dimidius plebis, ne ſecum qvidem ipſe concors.

II. Plebis conventûs inhibeantur, præſertim nocturni: ne pernicioſa coqvere conſilia contra optimates poſſint. Ita inhibitos plebis Romanæ cœtûs refert Livius lib.2.

III. Familiis extinctis ſurrogentur novæ, qvæ patriciatûs honore gaudeant: exemplo Claudii, qvi in numerum patriciorum adſcivit vetuſtiſſimum qvemq;. Tacit. 11. ann.

IV. Patribus in munito aliqvo loco ædificare non liceat. Ita enim Romæ ad populum latum eſt, ne qvis patricius in arce aut Capitolio habitaret: poſtqvàm Valerius ædificaſſet in ſummâ Veliâ: Atq; ideò in affectati regni ſuſpicionem venit. Liv. lib. 2. Multis ſuperant divitiæ, qvas profundant in extruendo mari, & montibus coæqvandis: binas aut ampliùs domos continuant: tabulas, ſigna, torevmata emunt, nova

diru-

diruunt, alia ædificant. Saluſt. in Catil. p. 19. Verùm iſta ædificiorum magnificentia egenorum perſtringit animos, & nonnunqvam ad ſeditiones concitat.

V. Optimates turbatâ Rep. urbem non deſerant. Ita cùm plebs Romana Vejos migrare vellet, optimates reſtiterunt, & ſedem avitam ſe retenturos etiam in extremo diſcrimine. Cic. lib. 8. ad Att. ep. 1. Ariſtocratia autem aliqvando in Oligarchiam degenerat; cujus incommoda exaggerat Catilina apud Saluſt. p. 18. qvemadmodum Monarchia in Tyrannidem, Maximè adducuntur pleriq; , ut eos juſticiæ capiat oblivio, cùm in imperiorum, honorum gloriæve cupiditatem inciderint. Cic. 1. Off. At viri boni in conficiendis Reip negotiis, reſpiciunt ad eũdem finem communem, videlicet civitatis utilitatem & felicitatem. Ariſt. 3. pol. 11.

Cap. III.

De Democratiâ.

DEmocratiæ, ſed moderatiori, patrocinatur Ottanes apud Herodotum lib. 3. Agrippa apud Dionem lib. 52. tum qvòd ipſa poſtulet æqvitas, officia iis competere, qvi omnia ad ſalutem patriæ conferunt, tum qvòd hoc pacto ἰσονομία introducitur: & libertas omnium civium ſtabilis efficitur. Ex Democratiâ erat, ne cui civem Romanum interficere liceret: atq; ideò Cicero Cos. cùm ſupplicium ſumſiſſet de hoſtibus patriæ, ejectus eſt in exilium: Plerunq; tamen in Democratiis dominantur factioſi & inqvieti, qvi facũdiæ fiduciâ populũ concitant: qvales

in Rep. Atticâ Demofthenes, Demades, Pericles, Alcibiades: & Romæ Tribuni plebis, qvi labefactatâ Optimatum auctoritate calumniosè accufarunt multos de Rep. optimè meritos. Præterea hic Status ad mutationem & feditionem vehementer inclinat: qvod evincit trina plebis Romanæ fceceffio, una in montem facrum. Val. Max lib. 8. c. 9. altera in Aventinum. Flor. lib. 1. c. 24. tertia in Janiculum; unde priùs redire noluit, qvàm lege Hortenfiâ latum effet, ut plebis fcita legis vigorem obtinerent. Gell. lib. 15. c. 25. Plin. lib. 6. c. 10. §. 4. Inft. de jur. noviff. gent. & civ. Incenduntur plebejorum animi regnandi cupiditate: qvâ nihil tetrius, nihil fœdius excogitari poteft. Cic. 3. Off. Democratiæ igitur ex omnibus his fpeciebus qvàm minimum tribuerim. Vid. Bodin. 6. de Rep. c. 4 P. Greg. lib. 5. c. 3. Arift. 3. pol. 7. Patric. lib. 1. de Rep. t. 4.

Cap. IV.

De S. Rom. Imperii Conftitutione, & ad Germanos translatione.

TRes dixi effe adminiftrationis fpecies, nec funt plures: mixtas tamen, & aut remiffas aut intenfas qvandoq; deprehendimus: ita tamen ut femper una aliqva præemineat, ex qvâ denominatio facienda eft. Videmus & in S. Rom. Imperio iftarum formarum veftigia: In ipfo Cæfare Monarchia fpectatur: In Electorum collegio Ariftocratia: In aliqvib. Imperii civitatibus Democratia. Igitur harum fpecierum declarationem fufcepturi, præmittamus qvædam de S. Rom. Imperii conftitutione & vigore. Sanè ad conftituendum hoc imperium, contendiffe virtus & fortuna videntur. Flor. lib. 1. in prol. Felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus

bus omnibusq; gentibus dominari meruit. l. un. pr. C. de Justin. Cod. confir. non qvidem illicitis artibus, qvemadmodum Oldradus cons. 79. censuit, sed armorum & legum solerti curâ: Nos populum Romanum qvasi hominem considerabimus, totamq; eius ætatem percensebimus, ut cœperit, utq; adoleverit, ut qvasi ad qvendam juventæ florem pervenerit, ut posteà velut consenuerit. Et qvemadmodum Aqvila annosa ad solem pennas exurere dicitur, pòst verò se salubri lymphâ mersare: unde renovantur pennæ. Ps. 103. ℣. 5. Ita populus Romanus variis bellorum æstibus vires labefactavit suas: qvæ aliqvomodò reductæ & restitutæ, ubi salutaribus undis cœlestis doctrinæ renovatus est. Ideoq; de singulis populi Rom. ætatibus, & qvomodo Aqvila ista à tempore Caroli M. revixerit, nonnihil attingam.

I. Infantia est annorum 245 qvibus populus Romanus sub Regum imperio, circa ipsam matrem suam cum finitimis colluctatus, circummurana pertulit bella. Atq; in hac primâ populi Romani ætate Reges isti septem tam varii ingenio fuerunt: ut postulabat Reip. ratio & utilitas. Nam qvid Romulo ardentius? tali opus fuit, ut invaderet regnum. Qvid Numâ religiosius? talem res poposcit, ut ferox populus Deorum metu mitigaretur. Qvid ille militiæ artifex Tullus? bellatoribus viris tam necessarius, ut acueret ratione virtutem. Qvid ædificator Ancus? ut urbem coloniâ extenderet, ponte jungeret, muro tueretur. Jam verò Tarqvinii ornamenta & insignia, qvantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem! Actus à Servio census, qvid effecit, nisi ut ipsa se nosceret Resp? Postre-

mò Superbi illius importuna dominatio nonnihil, imo vel plurimum profuit; ſic enim effectum eſt, ut agitatus injuriis populus cupiditate libertatis incenderetur. Flor. lib. 1. c. 8.

II. Adoleſcentia Romani Imperii annorum eſt 244. à tempore exactorum Regum usq; ad primum bellum Punicum. Hac ætate populus Romanus orbi terrarum in poteſtatem redigendo par eſſe didicit. Summis laboribus & periculis exercitus eſt, tam in otio, qvàm negotio. In otio, ut tranqvillior eſſet Reip. ſtatus, leges latæ ſunt XII. tab. anno U. C. 302. Feneſtella lib. 2. c. 14. Solin. c. 2. Inde Magiſtratûs legibus cuſtodiendis electi: primi Cenſores anno U. C. 312. prætura & ædilitas 388. Flor. lib. 1. c. 26. In negotio, mirandum eſt, ſufficere potuiſſe pop. Romanum in tot hoſtium conflictibus & aſſultibus. Erant Tarqvinienſes, Sabini, Vejentes, Latini, Cærites, Tiburtes, Caleni, Privernates, Volſci, Æqvi, Hetruſci, Antiates, Ardeates, Faliſci, Capenates, Saſſinates, Picentes, Henrici, Galli Senones, Aurunci & Samnites: erant qvoq; domi hoſtes, qvoties deeſſent foris: Varii plebis tumultûs contra patres: varia ſeceſſio: variæ interneciones, veluti trecentorum Fabiorum ad Cremeram. Gell. lib. 17. c. 21. Macrob. lib. 1. Sat. 16. Plut. in Camil. Flor. lib. 1. c. 12. & ignominioſa illa pax Caudina. Val. Max. lib. 5. c. 1. Oroſ. lib. 3. c. 5. Cic. 3. off. Gell. lib 17. c. 15. Flor. lib. 1. c. 16. Sed his omnibus neglectis, impensè gloriatur hæc ætas, ob inſignia fortitudinis & magnanimitatis Romanæ exempla edita, Horatii, Mutii, Clœliæ virginis. Val. Max. lib. 3. c. 3. M. Curtii, Manlii Torqvati, M. Valerii Corvini, M. Coriolani, Camilli, utriusq; Decii, M. Curii, Appii Claudii Cœci, & Fabricii, qvi Pyrrho medicum transfugam animosè remiſerat. Gell. lib. 3. cap. 8. Senec. ep. 121. Cic. 3. off. & 5. de fin.

Plut.

Plut. in Pyrrho. Val. lib. 6. c. 5. Et qvid de Dictatoribus hujus ævi commemorem, qvorum facta cedris inſculpta ſunt? Qvinctius Cincinnatus, Servilius Ahala, Papyrius Curſor, A. Poſthumius, omnes ex virtute compoſiti videntur fuiſſe. His accepto ferendum eſt, qvòd populus Romanus adoleſcentiæ ſuæ annos feliciter exigere potuit.

III. Tertia populi Romani ætas eſt Juventus, à primo bello Punico usq; ad mortem Auguſti Cæſaris, annos continet 262. Aqvila ſolem irretorto oculo contueri dicitur: at populus Rom. cùm ejus eſſet ætatis, ſublimi feriit ſidera vertice. Non intuebatur ſolùm ſummi faſtigii regna & provincias, ſed etiam aliis excuſſis & ſede dejectis, ipſe conſcendit ſolium, & longè lateq; extendit imperium. Vegetam hanc ætatem fuiſſe, & ad omnia pericula fortiter ſuſtinenda paratam, tot tantaq; bella feliciter confecta demonſtrant. In trib. iſtis Punicis bellis, dubium utrum plus ſibi virtus an fortuna vendicet. Sed ne caſibus humanis exemtum ſe dicere poſſet, en clades penè irreparabiles: Lacum Thraſimenem qvid memorem? qvid Cannas? qvid Drepani portum in Sicilia? qvid Ticinum? qvid Trebani? Verùm ex alterâ parte vide tot deductas colonias: Vide devictam Sardiniam, occupatam Macedoniam, debellatam Illyriam & Dalmatiam: contuere tot funeſta urbium excidia, Carthaginis, Corinthi, Numantiæ: cogitatione complectere ferociſſimas tot gentes, qvæ torrentis inſtar irruerunt in Italiam, ut vegetæ populi Romani Juventutis creſcentem gloriam vel obfuſcarent, vel tollerent. En Cimbros & Teutones: en Ligures: en Gallos: en hoſtes domeſticos & in ſinu educatos. Qvorſum enim ſeditiones iſtæ, Grachana, Apulejana, Druſiana, niſi ad deprimendum hunc ſplendorem? qvorſum Catilinaria illa conjuratio, niſi ad frangendam optimatum libertatem?

qvorſum bella civilia? Iſta tamen omnia ad nihilum redacta ſunt: nempe fames illa aqvilina exſatianda erat; qvâ ſedatâ tantum ad culmen Romana potentia evecta eſt, ut omnes alios exteros Reges longo poſt ſe intervallo reliqverit. Tanta verò apud exteros Romani nominis veneratio ſemper fuit, ut ſocietatem eorum magno precio redemerint.

IV. Qvarto loco ingraveſcens populi Romani ætas ſpectanda eſt, qvæ annorum eſt 213. Hic verò populus Romanus ad ſenium vergens, Monarchiâ confirmatâ ad vitæ tranqvillioris otia conceſſit, & ſolo duntaxat nomine aliqvoties viciſſe ſcribitur. Actum ibi de libertate patrum & plebis: Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Vitellius, Domitianus, Commodus, Heliogabalus, non ut hominibus his uſi ſunt, ſed ut mancipiis. Conſulum poteſtas erat enervata. l. un. de off. Coſ. Senatûs auctoritas humi depreſſa jacebat; omniaq; gerebantur nomine principum, non populi. Accedebant defectiones devictorum: Britannia ſubigebatur ſub Claudio: eadem ſub Hadriano deſcivit; Judæa ſub Veſpaſiano; mox ſub eodem Adriano contumaciter reſtitit. Aſſyria & reliqvæ Orientis provinciæ, ſtatim atq; à Trajano occupatæ ſunt, ab impoſito jugo reſilierunt. In Daciâ idem ferè contigit. Illud admiratione dignum eſt, in hac decreſcente populi Romani ætate, in ſummo culmine perſtitiſſe literarum ſtudia: Aluit hæc ætas συγχρόνους T. Livium, Ovidium, Tacitum, Strabonem, Plinium, Perſium, Valerium Maximum, Lucanum, Dionem, Senecam, Martialem, Aſcon. Pædianum, Proclum, Qvinctilianum, Svetonium, Statium, Frontinum, Florum, Plutarchum, Celſum utrunq; J.C. Labeonem, Neratium, Julianum, Juſtinum, Galenum, Ptolemæum, Pauſaniam, Gellium, Julium Africanum,

canum Chronographum, Ulpianum, Papinianum JC. & alia ſcientiarum lumina.

V. Ad extremum Senectus conſideranda venit annorum 247. uſq; ad Occidentis ab Oriente avulſionem, & occupatam ab Herulis Italiam. Hîc verò populus Romanus Impp. inertiâ & ignaviâ totus enervatus, non ſolùm variis populis deſpectui eſſe cœpit: Sed & ipſa Urbs ab externis gentibus aliqvoties capta, totq; ruinis ac ruderibus paſſim deformata eſt, ut jam non ampliùs lapidea aut marmorea, qvalem ſe olim Auguſtus Cæſar relicturum gloriatus eſt, ſed terrea & lateritia rurſus eſſe incipiat: neq; mirum videri debeat, ſi qvis Romam in ipſâ Româ reqvirat.

En ſuis & ipſa Roma viribus ruit. Horat. epod. od. 16. En victricem illam Orbis dominam captam à barbaris: En miſerè fœdatam ab Athalarico. Socrat. lib. 7. c. 10. qvæ res Auguſtinum compulit, ut eruditiſſimos ſuos de Civitate Dei libros conſcriberet, nempè ut eos, qvi cladis hujus cauſam in Chriſtianos transferrent, confutaret. En laceratam à Genſerico. Evgar. lib. 2. c. 7. & direptam ab Odoacre Herulo. Qvid verò ad Urbis deformationem potuit addi majus, qvàm qvòd Orbis Chriſtianus, ſub hac populi Romani ſenectute innumeris cædibus, perſecutionibus & ſuppliciis eſt affectus? Magna ſub Maximino eorum atrocitas. Evſeb. lib. 6. c. 27. Oroſ. lib. 7. c. 12. Major ſub Decio, in qvâ Martyrum numerum non magis qvàm arenam maris recenſeri potuiſſe ſcribit Niceph. lib. 5. c. 29. Inter eos exqviſitiſſimo ſupplicio necati ſunt Laurentius, Babylas, Macarius, Agatha & Apollonia. Evſeb. lib. 6. c. 38. & 40. Secutæ ſunt ſub aliis Impp. omnium atrociſſimæ perſecutiones, veluti ſub Valeriano. Euſeb. lib. 7. c. 9. Niceph. lib. 6. c. 10. Sub Aureliano. Oſor. lib. 7. c. 23. Et catholica illa Dio-

cletiani, per totum Romanum Imperium decennalis: qva intra 30. dies 17000. Christianorum ad varia supplicia rapta sunt: & cum his ipsa qvoq; Imperatrix Serena. Evseb. lib.8.c.3. Zonar. tom.2. Sub Licinio: sub Juliano Apostatâ. Theodoret.lib.3 c.7. Ruffin. lib.10. c.32. Verùm in tot tantisq; persecutionibus mirum est, qvantæ hæreses enatæ fuerint: usq; adeò ut vel solam hanc ob causam, istam populi Romani ætatem, senectuti adscribamus. Sanè nulla ætas hæresium tam fuit ferax, pleræq; tamen repressæ sunt. Excitavit Satan inqvieta, curiosa, & ingenii fiduciâ prolapsa ingenia, Novatum, Sabellium. Epiph. hær. 42. Samosatenum. Id.hær.65. Arium hist.trip.lib.1.c.13. Ruffin. lib.10.c.12. Sozom. lib.2.c.29. Manichæos, Donatistas, Photinum. Socrat.lib.2.c.18. Aëtium & Evnomium. Id.lib.2.c.45. Macedonium & Apollinarem. Id.lib.2.c.35. Anthropomorphitas. Theodoret. lib. 4.c.11. Pelagium. Prosp. Sigeb. Jornand. Nestorium. Zonar. Cedren. Socrat. lib.7.c.34. Niceph.lib.14. cap.36. Evtychen. Evagr.lib.1.c.9. Niceph.lib.14. cap.47. &c. Ad extremum hanc Imperii Romani senectutem miserabiliorem facit ista Occidentis ab Oriente avulsio: qvæ præfigurata est divinitus, vel per alas aqvilinas, vel pennas evulsas. Dan. 7. Et qvemadmodum aqvilæ ἄσπονδον bellum est cum serpente: Ita Romanis conflictatio fuit cum barbaris immanissimisq; gentibus, qvæ Italiam & Occidentale Imperium usq; ad Carolum M. tenuerunt. Igitur Imperii nomen qvod in Augusto cœperat, in Augustulo penitus est extinctum. Evagr.lib.3.c. 6. obfuscatâ tantâ regiminis gloriâ, per Herulorum Gothorumq; irruptiones: qvi 77. annos tenuerunt Italiam usq; ad annum Christi 553. Paulò post à Narsete evocati sunt Longobardi in Italiam, qvi rerum potiti sunt in Ita-

liâ

liâ annis 206. uſq; ad annum Chriſti 774. Interim in Oriente aliqva Romani Imperii viguit dignitas, ſub Anaſtaſio, Juſtino I. Juſtiniano, Juſtino II. Tiberio Conſtantino, Mauricio, Phocâ, Heraclio, & reliqvis: Atq; ab iſto tempore extincti Occidentalis Imperii usq; ad ejectos ex Italiâ Longobardos, pop. Rom. virtus oppreſſa & qvaſi ſepulta jacuit: inſtar igniculi latitantis ſub cinere, donec divinâ clementiâ Carolus M. expeditionem Longobardicam ſusciperet, & Longobardi, Deſiderio rege capto, & in exilium miſſo, Italiã victori reſtituere cogerentur. Aliorum ſententia eſt, conjurationem eſſe initam adverſus Leonem Pontificem, eumq; urbe expulſum: exinde Legatos ad Carolum veniſſe, multis precibus pro Rom. Pontif. auxilium adverſus conjuratos petentes: annuiſſe Carolum, & cum exercitu profectũ ſedaſſe motûs, noxiis ſupplicio affectis, & reſtituiſſe Pontificẽ: eumq; pro tantis meritis Auguſtũ eſſe declaratum, & axioma Occidentalis Imperii, aſſenſu & applauſu pop. Rom. ſuſcepiſſe. Donat. Acciajolus in vitâ Caroli M. Qvicqvid ſit, duplici jure Carolum & ſucceſſores ejusdẽ obtinuiſſe Rom. Imperiũ conſtat, videlicet, jure belli & transactionis: Illo, qvòd Italiã & Longobardos armis ſubegerit; reſtitutâ pace, & legib. præſidiisq; munitâ: hôc, qvòd cum Imperatorib. Orientis pactiones inierit, qvi ut veri Domini omne jus, q. habuerunt in Imperiũ Occidentis, Carolo conceſſerunt. Idq; ad Succeſſores ſtirpis Carolinæ, Saxon. Svevicę, Franconicæ & Auſtriacæ, cõtinuâ ſerie devolutũ eſt. Nec curiosâ indagatione opus eſt, num hodie ſit Romanũ, aut potiùs Germanicum Imperiũ. Zoan. tr. de R. Imp. n. 142. Illud ad hanc dubietatẽ tollendã ſufficiat, etiã olim translatâ Rom. Imperii ſede ab Urbe Româ Conſtantinopolin, Romanum tum nihilominùs ſemper fuiſſe imperium. Zoan. ib. n. 248 & deſignatos Cæſares Conſtantinopolitanos ſe ipſos legib. etiam latis nunqvã non Imperatores Rom. item Cæſares Auguſtos nuncupaſſe: q.

famili-

familiare eſt Juſtiniano Imp. l.35. C. de inoff. teſt. & aliis. Et qvemadmodum aqvila ſenio non oppetit, nec ægritudine, ſed fame. Plin. lib. 10. nat. hiſt. 3. & immunis eſt à fulmine: ita hujus Imperii dignitas in omne ævum durabilis, ab extremâ deletione prorſus libera futura eſt. Et ſicuti aqvila humeris ſuis portat fœtus: ita Deus auxilio paterno ſublevabit ſingula hujus Imperii membra, omnesq; fucos, qvi deprædandi ſtudio advolant, potenter repellet.

Cap. V.

De præeminentiâ Sacri Romani Imperii.

Cuilibet ἀφθόνως judicanti obviam eſſe exiſtimo, S. Romanum Imperium majeſtatis & dignitatis ſuæ apice, cæteris omnibus regnis, qvęcunq; latiſſimâ Chriſtiani Orbis orbitâ continentur, eſſe ſublimius. Hoc reverâ qvartum illud eſt, q, Daniel Propheta c. 2. de Statuâ agens collocat in tibiis ferreis, & pedibus ex ferro & luto miſtis: de beſtiis verò tractans c. 7. depingit prægrandis & robuſtæ belluæ imagine, qvæ dentibus ſuis ferreis longè lateq; ſit graſſatura. Sicut igitur ferrum robore & duritie omnia metalla ſuperat, omniaq; frangit & comminuit: & ut beſtiæ qvò robuſtiores habent dentes, eò ſunt formidabiliores & nocentiores: Ita qvoq; hoc Imperium reliqva Regna omnia fortitudine ac perpetuitate longè vincit: ejusq; majeſtas hactenus invicta ſemper manſit, nec ab ullo enervari penitus potuit. Neq; ulli hominum accepto ferenda eſt hujus Imperii conſervatio: Sed ſolius Dei benignæ providentiæ, à qvâ dependet illius dignitas. l. 1. C. de vet. jur. enucl. Nov. 28. c. 4. Neq; asſertionem Zoanetti admiſerim tr. de Rom. Imp. n. 94. dicentis,

centis, Imperii Romani verticem & cerebrum esse Pontificem: Præjudicio, qvod aliàs omne tollit judicium, bonus ille vir laboravit, neq; aliter potuit, qvin exemplo Baldi, in ditionibus Pontificem pro numine colentibus, hanc sententiam defenderet. Similiter illorum oculos glaucoma obsedit, ut puriter non videant, qvi ideò Romani Imperii gloriam conantur deprimere, qvòd alia regna sint ampliora & potentiora, veluti Turcicum & Hispanicum. His responsum velim, summum Imperii ἀξίωμα non æstimandum esse ex regnorum qvantitate: sed ex jure partim successionis, partim gubernationis. Successit nostrum Imperium Romano-Germanicum in locum pristini illius Imperii, ejusq; juribus, præeminentiis & privilegiis omnibus fruitur. Gubernatio aut divina est aut humana: Illa incompræhensibilis, & admiranda: hæc prudens, & legibus armisq; probè munita: nullumq; superiorem recognoscens, nisi Deum & ensem, uti communi Electorum Imperii decreto an. Christi 1338. tẽpore Benedicti XII. PP. publicato, pronunciatum est. Aventin. lib. 8. Præeminentia itaq; Romani Imperii in eo vertitur, qvòd omnes exteri intelligunt, debere se comiter Romani Imperii observare majestatem: neq; enim ullum est in universo terrarum orbe nomen sanctius. l. fin C. de legib. nullum vel ipsis remotissimis barbaris venerabilius, &c.

Cap. VI.

De Membris Sacri Romani Imperii.

MEmbra S. Rom. Imperii distingvuntur secundum classes & circulos. Classes, qvibus distingvuntur, sunt septem: Circuli decem. De singulis pauca complectar.

In

In primâ classe sunt septem principes Electores: Ex Archiepiscopis tres; Moguntinus, S. Rom. Imp. per Germaniã Archicãcellarius: Trevirensis, S. Rom. Imp. per Galliam & regnum Arelatense Archicancellarius, Galliæ Belgicæ primas: Coloniensis, S. Rom. Imp. per Italiam Archicancellarius. Ex principibus Politicis sunt qvatuor: Comes Palatinus Rheni S. Rom Imp. Archi-Dapifer: Dux Saxon. S. Rom. Imp. ArchiMarscallus: Marchio Brandeburgensis, S. Rom. Imp. ArchiCamerarius: Rex Bohemiæ, S. Rom. Imp. ArchiPincerna.

Secunda Classis habet Archiepiscopos Magdeburgensem, Salisburgensem, Bremensem & Vesontinum.

In Tertiâ Classe continentur Episcopi, qvorum hoc tempore vigintiseptem in Comitiis locum habent: Papæbergensis: Herbipolensis, Wormaciensis, Spirensis: Argentinensis: Eichstadensis: Augustanus: Constantiensis: Hildesiensis: Padebornensis: Verdensis: Halberstadiensis: Monasteriensis: Osnabrugensis: Passaviensis: Freisingensis: Basileensis: Ratisbonensis: Mindensis: Lubecensis: Verdunensis: Cameracẽsis: Metensis: Tulliensis: Leodiensis: Tridentinus: Brixiensis. His adnumerantur Abbas Fuldensis: Magister Eqvitum Ordinis Teutonici: Abbas Hirschfeldensis: Campidonensis: Corbeiensis.

Qvarta Classis comprehendit ordinem Politicorum principum, qvorum hoc tempore 18 sunt familiæ Archiduces Austriæ, qvorum duæ sunt lienæ: prima Ferdinandi, qvæ propriè Austriaca: altera à Carolo V. deducta,

ducta, Burgundica dicitur. Duces Bavariæ, in duas itidem lineas distincti, qvarum una communi nomine Bavarica, altera Palatina appellatur. Duces Saxoniæ: Marchiones Misniæ, & Landgravii Thuringiæ: Marchiones Brandeburgici: Duces Brunsvicenses & Luneburgenses: Duces Juliacenses: quorum familia nuper extincta est: Duces Pomeraniæ: Megapolitani: Wirtenbergici: Landgravii Hassiæ: Marchiones Badenses: Duces Saxoniæ Inferioris sive Lauenburgici: Duces Holsatiæ: Landgravii Leuchtenbergici: Duces Sabaudiæ: Principes Anhaltini: Duces Lotharingiæ: Comites Arnbergii à Divo Maximiliano II. inter Imperii Principes suscepti. Qvibus accedunt Radzivilii, Lithvani Principes, qvi etiam in numerum Principum Romani Imperii cooptati sunt.

Ad qvintam classem pertinent Prælati, & primò Abbates & Præpositi, secundum matriculæ ordinem: Reichenaw/weissenburg/weingarten/Salmensweiler/walckenridt/weissenaw/Schlüssenrüt/Roggenburg/Ochsenhusen/Gengenbach/Odenheym/Keisersheym/Vrsperg/Augspurg. Qvibus Abbatissæ adduntur, Quedlinburg/Essen/Heruord/Regenspurg/utriusq; Monasterii: Lindaw/Gerenrode/Bucha/Rotmünster.

Sexta Classis Comites & Barones complectitur hac serie: Hohenzollern/Helfenstein/Lupfen/Hohen Gerolzeck/Otingē/Sultz/Fürstēberg/Solms/Leiningē/Erbtruchsessen/Barones in walpurg/Castell/Hohenloh/Lümpurg/Semperfrey/Erpach/Schwartzburg vñ Hohē Landesperg/Hanaw/Nassaw: Eisenberg/Salm/winnenberg Barones: wild- vnd Reingraven/Zienbern/Eberstein/Falckenstein/

stein/Sain/Tübingẽ/Manßfeld/Stolberg/Barby/ Gleichen/ Schwartzburg/ der 4. Graven des Reichs/Reussen Barones: wied/Ostfrießland/Lippe/Oldenburg/waldeck/Bentheym/Brunckhorst/ Ortenburg / Schaumburg. His accedunt Barones Schömburg / Manderscheid / Krichingen / Pirmond / vnd wolffstein / Paumgarten/Grauenecf/ Fugger /Fleckstein/Seinsheym/ Herrn Schencken von Tautenberg/Herrn von Birnbaum.

In Septimâ & ultimâ Classe sunt Civitates liberæ Imperiales, qvæ distingvuntur secundum sessionem; qvam habent in Comitiis, eamq; vel in Svevico, vel in Rhenano latere. In latere Svevico sunt. Regenspurg / Nürnberg / Rotenburg an der Tauber/ weissenburg am Nortgaw/Donawerd/winßheim/ Schweinfurt/wimpffen/Heilbrun / Schwäbischen Hall/ Nörlingen/ Dünckelspül/ Vlm / Augspurg/ Bingen/Bepfingen/Schwäbischen Gemündt/Eßlingen / Reutlingen/weil/ Pfülendorf/ Kaufbeuren / Vberlingen / wangern / Ysin / Leuthkirch / Memmingen/Goßlar/Türckhaim/Verden. In Rhenano latere sunt: Kempten/Buchorn/Rauenspurg/ Biberach/Lindaw/Costnitz/Straßburg/Keysersberg/ Colmar / Schledstad / Rotweil / Hagenaw/ weissenburg am Rein/Ober Nehenheym/Roschen/ Speyer / wormbs / Franckfurt am Meyn/ Friedberg/ wetzlar/ Cölln am Reyn/ Aach/Offenburg/ Landaw/Gengenbach/Zell am Hemersbach/ Lübeck/Hamburg/Dortmünd/Mülhausen in Düringen / Northausen in Düringen / Münster in S. Gregorienthal/Herverden/ Cammerich.

Atq; hæc sunt membra S. Rom. Imperii, per classes distincta. Nunc videamus, qvomodo distingvantur in Circulos: Primùm autem sex Circulitan-

li tantùm constituti sunt, Augustæ Vind. anno 1500. deinde decem anno 1522. Noribergæ. Circulus qvilibet tres Status continet, Ecclesiasticorum, Principum secularium, & liberarum Imperii Civitatum.

Circulus I. Francicus comprehendit Ecclesiasticos: Episcopos Bambergensem, Herbipolensem, Eistensem, Magistrum Ordinis Teutonici & Præpositum Cambergensem: Principes Marchiones Brandeburgicos Onoldinos: Comites Hennebergicos, Hohenloicos, Erpachios & Schvvartzenburgicos: Adjunctus est Baronatus Limburgicus: Civitates liberas, Noribergam, Rotenburgam ad Tubarim, Winshemium, Schvvinfurtum.

Circulus II. Bavaricus continet Archiepiscopum Salisburgensem: Episcopos Ratisbonensem, Passaviensem & Frisingensem: Principes, Ducem Bavariæ: Comites Palatinos Rheni, Landgravium Leuchtenbergium: Comites Ortenburgicos: Civitates Imperii, Ratisbonam & Freistadium Svev.

Circulus III. Austriacus habet in se Episcopos, Tridentinum, Brixiensem, Labacensem, Viennensem: Principes, Archiduces Austriæ. Formula obligationis Cæsareæ ex Recess. Imp. anno 1522. est: **Nemlich sollen wir mit unserm lieben Bruder Ertzhertzog Ferdinanden/ etc. mit unsern Erblanden zu Osterreich/ und Tirol/etc. einen Kreiß haben.**

Circulus IV. Svevicus: Illi subsunt Episcopus Constantinus, Curiensis, Augustanus: & multi Abbates in Sveviâ. Principes: Wirtenbergicus, Marchio Badensis: Comites ab Hohenzollern: Helfenstein: Ötingen: Montfort: Furstenberg. Eberstein: Bar. Geroltzek. Civitates: Augusta Vindelicia: Ulma: Memminga: Reutlin-

ga: Eslinga : Heilbronna : Bibracum : Lindavia: Ravenspurgum : Constantia : Schafhusia : Halla Svevorum: Norlinga:Rotvvila: Kauffbyra : Donaverda.

Circulus V. Superior Rhenanus : huc pertinent: Episcopus Wormatiensis, Spirensis, Argentinensis, Basileensis. Principes: Dux Lotharingiæ, Dux Sabaudiæ, Duces & Comites Palatini, Spanheimenses & Bipontini: Landgravius Hassiæ, Comites Waldeccii, Nassovii, Dillenbergici & Saræpontani: Witgensteinii : Falckensteinii, Isenburgici, Leiningens: Rapoltzkirchens: Salm, Mörspurg: Rapoltstein, HohenRechberg: Weisbaden: Itzstain: Solms. Civitates: Mûlhusa in Alsatiâ; Colmaria, Keisersberga, Argentina, Hagenoa, Spira, Wormatia, Francofurtum ad Mœnum: Frideberga Wetteraviæ: Turckheimium : Wetzlarium. Huc referebantur olim Geneva, Basilea, Losanna, Metis, Tullum, Virdunum: nunc membra S. R. Imperii esse desierunt.

Circulus VI. qvatuor Electorum ad tractum Rheni, Huc referuntur Elector Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Palatinus. Principes: Com. Palat. Rheni : Magister Ordinis Teutonici in Coblentz. Civitates : Moguntia : Colonia Agrippina, Treviris, Gelnhusa.

Circulus VII. Westphalicus. Huc pertinent Episcopi: Padebornensis, Monasteriensis, Osnabrugensis: Verdensis, Mindensis, Cameracensis & Ultrajectinus: Abbatia Corbeiensis. Principes: Duces Cliviæ & Com. Marchiæ: Duces Juliacens: & Bergenses: Marchiones Badenses & Lutzenburg: Comes Embdanus Fris. Or. Seinenses, Manderscheid, Weida, Bentheim: Oldenburg, Schavenburg, Lippa. Civitates: Aqvisgranum, Cameracum, Duisburgum, Lemgovia.

Circulus VIII, Superior Saxonicus. Episcopi: Mis-

Mifnenfis ? Martispurgenfis: Naumburgenf Brandeburg. Havelberg. Lubecenf. Abbates: Salveldenf. & Qvedlinburg. Principes & Domini: Dux Saxoniæ Elector: MarchioBrand. Duces Pomeraniæ, Principes Anhaltini: Comites Mansfeldii, Schvvartzenburgii, Stolbergenf. Gleichenfis, Hohenfteinii, qvorũ ftirps mafcula nuper in Martino Comite, & Magiftro Ordinis Teut. extincta eft: Barones de Tautenberg. Huc olim referebantur Gedanum & Elbinga.

Circulus IX. Saxonicus Inferior fovet Archiepifcopos: Bremenf. & Magdeburg. Epifcopos: Hildefienf. Lubecenf. Sverinenf. Slesvicenf. Principes: Regem Daniæ propter ditiones ad Imperium pertinentes; Duces Brunsvicenf. Luneb. Lauenburg. Megapolitan. Holfatiæ: Comites in Delmenhorft. Civitates: Lubecam Hamburgam, Northufam & Mûlhufam Turingiæ, Goslariam & Göttingam.

Circulus X. Burgundicus dicitur, qvoniam à domo Burgundicâ inftitutus eft: complectitur præcipuos Belgii principes, & ipfum Burgundiæ Ducem: Comites Egmondanos. Hornanos & Naflovicos in Bredâ. Atq; hæc eft Circulorum S. Rom. Imperii defcriptio.

CAP. VII.

De Alienationibus & Exemtionibus à S. Rom. Imperio.

TAnta olim Romani Imperii fuit amplitudo, ut illius nec fama terminum, nec gaza modum invenirent: Hodie anguftis inclufa eft limitibus, plurimæq; pennæ ifti Aqvilæ funt evulfæ. Exemtos fe qvidam nullo, qvidam aliqvo titulo docent.

Qvi nullum Exemtionis titulum allegare poſſunt, hoc tantùm dicunt, noluiſſe ſe munera, functiones, penſitationes, collectas & Comitia Imperii agnoſcere, atq; ita facto ipſo ſeſe ipſos exemiſſe, qvod de Duce Sabaudiæ notat Theſſaurus in deciſ. præf. num. 13. & ſeq. cui reclamat Bodin. 1. de Rep. c. 9. Menoch. conſ. 2. n. 104. Idem ferè de Boruſſis judicium ferendum eſt. Conradus Mazoviæ Dux adverſus rebelles Boruſſos, milites Marianos acciverat anno 1228. ſub cónditione, ut qvæ armis perdomuiſſent, tenerent. Mechov. lib. 3. c. 34. Ex qvo milites iſti ſacri regionem illam cœperunt ſubjugare, debellatis partim atq; ab idolorum cultu abductis, partim deletis incolis, noviſq; è Germaniâ coloniis paulatim cæterorum principum ope introductis, & regione paſſim cultâ & exornatâ freqventibus ædificiis, Friderico II. Imp. qvicqvid de provinciâ illâ occupaſſent, tanqvam armis Germanicis partum, Imperio aſſerente, & ut Germaniæ conjunctum eſſet, ſanciente. Manſit autem ſub fide & clientelâ Imperii; donec ab Eqvitibus Marianis ad Polonos deficeret anno 1454. Peuc. 5. Chron. p. 1274. Ex iſtâ defectione natum eſt inter Marianos & Polonos bellum duodecennale: tandem pacificatio inita eſt, ut ditiones Culmenſis & Michalovienſis, Màrieburgum, Elbinga, Turonia cederent Polonis, reliqva retinerent Mariani, ſed ita, ſi in fide & clientelâ manerent Polonorum. Fuerunt Magiſtri Ordinis Teutonici usq; ad Albertum Marchionem Brandenburg. Is ex Magiſtro ordinis creatur Dux Boruſſiæ à Rege Poloniæ: Sed iſtam conventionem reſcidit Cæſar. Sleid. lib. 7. p. 154. & Albertus à Camera Imperiali proſcriptus eſt. Sleid. lib. 8. p. 176. Unde intelligitur Boruſſiam tum temporis habitam fuiſſe pro membro Imperii.

Sunt alii, qvi aliqvo titulo exemtos ſe eſſe dicunt: veluti conventionis, privilegii, oppignorationis, pſcriptionis, & occupationis in bello factę.

Con-

Conventionem allegant Florentini & Genuenses, qvi ex titulo emtionis libertatem sibi comparasse ajunt. Bodinus 1. de rep. 9. Sigonius lib. 20. de regno Ital. Castaldus de Imp. q. 54. n 12. Menoch. consil. 2. n. 67. & 68. Verùm qvis non videt conventione istâ non tantùm provincias, verùm etiam incolas alienatos esse? qvi cùm liberi homines fuerint, alienari nullo modo potuerunt. l. 103. ff. de V. O. l. 34. §. 1. ff. de contrah. emt. Ac licet illi in Imperatoris ditione, imperio ac potestate fuerint, tamen multo magis in ipsius fide & clientelâ fuerunt, neq; tam ejus potestati permissi, qvàm fidei & tutelæ commissi: Subjecti non principis causâ, sed princeps subjectorum causâ repertus est: possuntq; subjecti esse sine principe, princeps sine illis esse non potest: Prætereà jus Reip. pactionibus mutari neqvit. l. 2. §. jus Reip. ff. de admin. rer. ad civit. pertin. Optimè ergo Felinus concludit in c. ad audientiam. n. 4. tit. de præscript. Conventiones istas Rodolphi Cæsaris, cum qvibusdam Hetruriæ Civitatibus inefficaces esse, tametsi juramentum intervenisset. Zoanet. tr. de Rom. Imp. n. 200.

Privilegio Exemtionis frui dicuntur Veneti: qvod se vidisse testatur Albericus in l. cunctos C. de Summâ Trin. Muscorn. tr. de jurisdict. n. 129. Alciat. 2. disp. 5. Gigas tr. de crim. læs. maj. lib. 1. q. 28. n. 1. Ita Rex Galliæ, Poloniæ, Ungariæ, Hispaniæ, Angliæ, & pleriq; Principes Italiæ, communi Imperii consensu, olim ab Impp. partim confirmati, partim constituti, & à communi ordine exemti sunt. P. Frider. lib. 2. de mand. jud. c. 67. n. 4.

Oppignorationem allegant Electores Rhenani: qvâ de re ex Nauclero Hotoman. illustri qvæst. 1. Carolus IV. inqvit, Wenceslaum filium Cæsarem designari voluit: promisit unicuiq; Electorum cen-

tum aureorum millia pro consensu, qvę cùm solvere non posset, obligavit illis telonia & vectigalia Imperialia, oppida, proprietates & jura titulo pignorum. Verùm enormis est ista Imperii diminutio, qvæ meritò reprobata est. ar. l. qvoties 2. ibi. sine gravi partis. l.7. C. de precib. Imp. off. l.12. §.2. & 3. l. seq. §. fin. ff. de admin. & per. tut. c. intellecto. de jurejur. c. pastoralis. ext. de donat. Carolus Tapia ad l. fin. ff. de const. princ. c. 9. p. 2. n. 33. Oppignoratio alienationis est species. l. 72. de R. J. Omnis verò alienandi potestas administratori inhibita est. l. 28. de pact. Et princeps velut tutor est: qvi tum demum habetur pro domino cùm salutem & incolumitatem populi tuetur. ar. l. 27. de admin. tut. Zoanet. d. tr. n. 179. Nam dominus dicitur non qvoad proprietatem, sed qvo ad gubernationem & protectionem. Si proprietatis esset Dominus, utiq; ad hæredes ea transferretur: q; fieri nullo modo potest. Zoan. ibi. n. 152.

Alii præscriptione se muniunt, qvemadmodum de Venetis scribit Fulvius Pacianus cons. 149. n. 9. Sed qvæ præscriptionis illius sit efficacia, non obscurè colligitur ex. l. 6. C. de præscript. 30. an. c. cùm inter. de consvet. c. cùm non liceat. ext. de præscript. l. fin. C. de fund. patrin. lib. 11. Geil. 1. obs. 21. n. 16. Qvis nescit Imperatorem animum possidendi orbem terrarum nunqvam deponere? qvis ambigit, meræ esse facultatis, qvòd terras & provincias exemtas statim manu militari in ordinem non redigit? Porrò qvi allegant præscriptionem temporis utcunq; longissimi contra obedientiam, & supremam Romani Imperii Jurisdictionem, non nisi Romani Imperii legum, à qvibus omnis generis præscriptio oritur, ope atq; auxilio nituntur: Sicq; Romanis legibus subesse & vivere, ac per consequens Romano Imperio obedire se non obscurè profitentur. Ergo velut sibi ipsis contrarii non sunt audiendi. Zoan. d. tr. n. 130. & seqq.

Ulti-

Ultimus titulus speciosè à nonnullis ostenditur: Ita enim Rex Galliæ Metas, & Verdunum liberas Imperii civitates sub plausibili protectionis, vel occupationis in bello, titulo exemit contra Carolum Cæsarem: Qvo jure fœderis Helvetici civitates exemtæ sint, alii viderint. Qvocunq; titulo qvis exemtum se gloriabitur, viderit ne Gallicum illud in eum qvadret dicterium: N'estans plus, soub l'empire se sont empirez. Et homines tum demum sua intelligunt bona, cùm ea qvæ habuerunt, amiserunt: & qvotiens libertatem, qvam sub Imperii Romani tutelâ obtinere poterant, cum servitute commutant. &c.

CAP. VIII.

De Electione Cæsaris, & præstatione Juramenti.

DE loco & modo Electionis Cæsareæ Electorumq; juramento Aur. Bul. docet tit. 2. Sleidan. lib. 8. p. 173. Peractâ Electione, Capitulatio, ut vocant, Cæsari proponitur, qvam observare tenetur; Estq; ferè talis ad præscriptum Carolinæ illius apud Sleid. lib. 1. pag. 23. Catholicam Romanam Ecclesiam defendat: justitiam æqvabiliter administret: neminem causâ indictâ proscribat: aut extra Imperii terras vocet in judicium: auream bullam Carolinam confirmet: Senatum Imperii, ut & alia munera, non exteris, sed originariis committat: Libertatem & privilegia Statuum Imperii sarta tecta cõservet: Liberam Electoribus potestatem relinqvat: conventûs eorum ad deliberandum de Reip. negotiis

admittat: Imperium Romanum non tanqvam hæreditarium, ſed cujus ipſe adminiſtrator ſit & patronus, agnoſcat: ne qvid ex Imperii bonis alienet; néve ad ſuam familiam transferre conetur: confœderationes ſubditorum contra principes Imperii planè tollat: novas ſine Electorum conſenſu non ineat: nulla Comitiorum indictio, nulla vectigalium impoſitio, nulla belli denunciatio, militisve peregrini deductio permittatur, niſi accedentibus Electorum ſuffragiis: eos, qvi titulo non bono Exemtionem à jurisdictione Romani Imperii præſeferunt, ad obedientiam reducat: apud Pontificem, ne adverſum pactiones antiqvas libertatémve Imperii qvid fiat, ſedulò procuret: bona vacantia Imperii nemini concedat: & ſi Statuum auxiliis provinciam occupârit, eam Imperio cedat: ea qvæ ab Electoribus Palatino & Saxonico tempore Interregni geſta ſunt, rata habeat: literas omnes aut Teutonicâ aut Latinâ lingvâ conſcribi mandet: Electorum Rhenani Circuli vectigalia non minuat: & deniq; Statibus omnibus & ſingulis, amorem, defenſionem, juriumq; conſervationem præſtet.

Ad obſervantiam hujus Capitulationis vi juramenti Cæſar adſtringitur: qvod vel ex ipſis Juris Sax. verbis lib. 3. art. 54. colligitur: Ea de Imperatore intelligenda ſunt: Illo enim jure, ut feudali, Rex & Imperator idem ſunt. Vult. 1. Feud. 5. n. 6. Verba juris Saxon. hæc ſunt: **Als man den König wehlet/ ſo ſoll Er dem Reich Hulde thun vnd ſchweren / daß Er die warheit ſagen wolle/vnd alles Vnrecht krencken/vnd daß Er des Reichs**

Reichs Gerechtigkeit beschirmen wolle / als best Er könne oder möge. Sonst soll Er nimmermehr keinen Eid thun / es were dann / daß jhn der Bapst beschüldigte / daß Er an dem rechten Glauben zweiffelte / etc.

Alia forma jurisjurandi Cæsarei proponitur in Clem. un. de jurejur. Clem. lib. 2. tit. 9. & in c. tibi Domino. dist. 63. Rittershus. 1. de feud. c. 10. n. 11.

Hoc loco qværi video, an vi solius Electionis Cæsari competat jurisdictio, an verò tum demum, si subsecuta fuerit Papalis coronatio? Et dixerim intrepidè, solam Electionem sufficere. Id enim apertè confirmat Carolina aurea bulla tit. 2. §. ult. peractâ statim electione regem Romanorum tum alia Imperii negotia administrare, tum privilegia qvoq; largiri posse. Tobias Paurmeist. lib. 2. de jurisdict. c. 4. n. 5. Sic laudatissimos heroës Rudolphum I. Maximilianum I. & II. Ferdinandum, & invictissimum Rudolphum II. statim legitimè expeditâ electione, plenum jus obtinuisse notorium est. Vid. Pacian. lib. 2. de probat. c. 35. n. 32. Molin. in consvet. Paris. tit. 1. num. 73. Hanc Sententiam satis confidenter multi oppugnant: qvi loqvuntur ad nutum Pontificis; qvorum numero sunt Oldradus cons. 90. num. 7. vol. 2. Salicet. in l. benè à Zenone n. 7. C. de qvadrien. præscript. Lancellotus in templ. om. jud. lib. 1. c. 1. §. 1. q. 4. per c. venerabilem ex. de Elect. Sed qvis est adeò simplex, qvi nesciat, distincta esse munera Cæsaris & Pontificis: In regnis mundanis Pontifici nihil juris est: Christi Vicarius audit; Christum imitari debebat; si, qvod audit, esse cupit. Christus in formâ Servi, redemtionis opus peregit: hic in formâ Dei alicujus terrestris, jubet Reges & Principes ad pedes suos prosterni: qvo jure, ipsi facilè vident, sed contrà ne hiscere

 qvidem

qvidem audent. Perſvaſiſſimum ergo nobis eſt, absq; ullâ Papali coronatione pleniſſimam Imperatori jurisdictionem competere.

Cap. IX.

De Coronatione Cæſaris.

EX more antiqvo Imp. recens electus triplici coronâ inſignitur: Aqvisgrani ferream imponit Elector Colonienſis. Aur. bul. tit. 4. ad deſignandam ferream contra rebelles ſeveritatem: mox Trevirenſis unctionem peragit. Phil. Mel. in orat. de coron. Caroli V. in fin. Mediolani argenteam coronam eius loci Epiſcopus exhibet: qvâ ſerenitas & ſplendor futuræ præeminentiæ oſtenditur. Romę Pontifex confert auream: qvæ fortè mores Principis auro conformes eſſe debere adumbrat. Aurum igne non ſolùm non fit deterius, ſed magis ac magis eniteſcit: Sic principis virtus in adverſis conſpectior: Aurum tractabile eſt & ductile: ſic & princeps: præſertim ad clementiam. Aurum dum liqvatur, nulla exhalat excrementa: Verùm ſvaviſſimi eſt odoris: Ita princeps nil niſi qvod optimum eſt ſpirat. Pontificia verò illa coronatio nihil novi tribuit, ſed electionem ritè factam eſſe declarat; Onuph. Panvinius tr. de Comit. tit. qvâ rat. Impp. Franci, &c.

Cap. X.

De Cæſaris Superioritate Majeſtaticâ, & num Pontifici aliqvid in Cæſarem juris competat.

Ele-

ELectionem, Coronationemq; legitimam poteſtas Cæſarea ſeqvitur: Ea vel reſervata eſt, vel communicata. Reſervata ſunt: Superioritas Majeſtatica: Sanctio legis univerſalis, ejusq; interpretatio: Indictio belli & collectarum generalium: Extrema provocatio: Infeudatio: Creatio Ducum & Nobilium: Privilegiorum conceſſio: fundatio Academiarum: nundinarum novorumq; vectigalium, &c. Jus legitimandi, famæ reſtituendi, & veniam ætatis concedendi. De ſingulis nonnulla ſubjiciam.

In reſervatis iſtis primum eſt, Supremum Majeſtatis jus, qvòd Cæſar nulli mortalium ſubeſſe dicitur. Nam mundi dominatus Cæſari attribuitur. l.9. ff. ad L. Rhod. de jactu. Nov. 105. c.2. in fin. Geil. 1. de PP. c. 11. n.4. & univerſalis jurisdictio. c. in apibus 7. q.1. Qvi enim ſuis conſiliis ſuisq; laboribus pro toto terrarum orbe die noctuq; laborat, qvare non habeat dignam ſuâ prærogativâ fortunam? l. 3. in fin. C. de qvadrien. præſcript. Qvæ res commovit Bartolum in l.24. n.7. ff. de captivis, ut aliter ſentientem hæreſeos crimine notaverit: cui obloqvitur Covarr. in relect. c. peccatum p.2. §.9. n.5. Vigore hujus univerſalis jurisdictionis, Cæſar etiam ſupra omnes leges auctoritatem obtinere dicitur. Nov. 105. c.2. in fin. l. 31. de LL. l.3. C. de crim. ſacril. eiq; ſoli nomen principis competit. Cravet. conſ. 982. n.12. Lancell. in templ. om. jud. lib. 1. c.1. n.7. nec non majeſtatis, qvæ majorem ſtatum vel poteſtatem denotat. Hier. Gigas tr. de crim. læſ. majeſt. lib. 1. tit. qvotuplex ſit maj. n.24. cujus capax eſſe neqvit inferior. Natta conſ. 636. n.170.

Sed qvid ad hoc aſſeclæ Pontificis? Papam pro ſummo Principe agnoſcunt. Covarr. c. alma mater. pag. 1. §. 1. num. 4. de ſent. excommunicat. lib. 6. & qvantum

tum Sol Lunæ, aurum plumbo, anima corpori præſtat, tantum etiam Papam præſtare Cæſari, nugantur c. ſolitæ. §. præterea. de majorit. & obed. c. duo ſunt. cum ſeqq. diſt. 96. Eiq; ſupra omnes leges conſtituto, c. propoſuit. de conceſſ. præb. c. Si Papa 41. diſt. c. nunc autem. diſt. 22. fas eſſe ipſis etiam Imperatoribus illudere: qvod in Fridericum Cæſarem æternâ memoriâ digniſſimum, Alexander Pontifex Venetiis ſtatuere non erubuit. Peuc. 4. Chron. p. 905. Verumenimverò nihil obtinent faſtuoſo iſto ſupercilio: Scimus Romanos præſules initio fuiſſe Epiſcopos; ſcimus Bonifacium I I I. circa annum Chriſti 607. Oecumenici & univerſalis Epiſcopi ſive Pontificis ſuperbum & inſolentem titulum à Phocâ emendicaſſe: Scimus ſucceſſores hunc titulum retinuiſſe mordicus, ipſis tamen Cæſarib. ſubjectione devinctos; Id apertè fatetur Leo IV. c. de capitulis 10. diſt. c. ult. ead. Et Johannes VIII. c. vides. & ſeq. diſt. 10. At verò Imperatoribus Juriſdictionem in Pontifices competiiſſe, inde liqvet, qvòd Henricus IV. Imp. Pontificatum Benedicti X. abrogaſſe ſcribitur. c. qvia igitur. c. nobis. c. Agatho. c. Hadrianus c. in ſynodo. diſt. 63. Nec bruta iſta Pontificum in Imperatores icta fulmina qvicqvam proficiunt: vana eſt ſine viribus ira: & extra territorium jus dicenti impunè non paretur. l. ult. ff. de jurisd. Marſil. Patavinus in defenſore pacis. p. 2. c. 25. Cabotius 1. diſp. 5. Ad illud qvod de Alexandri in Fridericum Imp. poteſtate decantari ſolet, ipſe optimus Cæſar reſpondet his verſibus ab Henrico Meibomio compoſitis:

Cur nomen de pace tuli, ſi prælia nusqvam,
  Nusqvam implacati pectoris hoſtis abeſt?
Inferior nulli, tibi ceſſi Roma; timoris
  Cauſa tamen pietas, non Papa, non Veneti:

Vid. Urspergenſem, Blondum Platinam.

Alia

Alia hic ſuboritur Dubitatio: qvi Cæſar poſſit dici obtinere ſummum majeſtatis jus, cùm interdum Turcarum Sultano tributum pendere ſoleat? Mallem penſionem dicerent, & res eſſet expeditior. Tributum Subditi Magiſtratui præſtant in qvandam Superioritatis recognitionem: Ex penſionis præſtatione nulla ſubjectio inducitur. Turcarum Sultano penſio mittitur, non qvidem in ſervitutis auctoramentum, ſed pacis fruendæ gratiâ. Qvin ipſe etiam Turca ex pactione veteri Regi Æthyopum penſionem præſtat, ut Ægypto, & accolis montium Arabiæ, ut agro Damaſceno liberè frui poſſit. Bodin in Meth. hiſt. c. 5. Ita reges Judæ pacis obtinendæ gratiâ, penſionem Aſſyriacis regibus mittere ſoliti ſunt: ſalvum tamen iis remanſit Majeſtatis jus: ſalvum in terris ſuis jurisdictionis omnimodæ exercitium. Sic & Idumæorum Ammonitarumq; reges Davidi annua ſolverunt ſtipendia. 1. Sam. 3. Faceſſat ergo iſta in S. Cæſaream Majeſtatem inſultatio: Nulli ut dixi mortalium ſubjecta eſt, Libertate verò ſummâ à ſolo Deo donata cenſetur.

CAP. XI.

De ſanctione Legis vniverſalis, ejusq; interpretatione Imperatori reſervatâ.

SUmmum ſummi Imperii eſt, leges dare, non accipere. Curt. lib. 8. qvod ſoli Principi reſervatum eſt. l. ult. C. de legib. qvi idem tam conditor qvàm interpres legum jure exiſtimandus eſt, ut ait Juſtinianus in d. l. ult. Nam ejus eſt jus interpretandi leges, cujus eſt & ferendi jus. c. ult. 25. q. 1. Cui convenit

venit qvod Conftantinus fcripfit in l.1.C.de legib. Inter æqvitatem jusq; interpofitam interpretationem foli Imperatori & oportere & licere infpicere. Et qvod Impp.Leo & Zeno in l.11.C. eod. Cùm de novo jure, ajunt, qvod inveterato ufu non adhuc ftabilitum eft, dubitatio emergit, neceffaria eft tam fuggeftio judicantis, qvàm principalis fententiæ auctoritas. Nec evertit hanc fententiam, qvòd cùm confenfu Statuum Imperii legem condere Imperator dicatur, ex illâ claufulâ, qvæ plerumq; Receffib. Imperii folet inferi: **So haben wir vns demnach mit den Ständen des Reichs/vnd sie hinwiderumb mit vns verglichen/etc.** Nam fpectatur id qvod principalius eft: & qvoniam Imperator principales potioresq; in hac legislatione partes obtinet, ideò eam huic foli adfcribimus. Sed neq; ex eo qvod diximus, folius principis effe leges interpretari, poffis inferre, nullam idcircò in eam rem hodie fupereffe prudentum auctoritatem. Hanc enim ipfe Juftinianus Imp. in d.l. ult. C. de LL. exceptam difertè voluit, poftremis illis verbis: nihil hâc lege derogante veteris juris conditoribus: & fubjectâ etiam ratione, qvia & eis hoc majeftas Imperialis permifit, Augufti nempe Imperatoris, qvi, ut major haberetur juris autoritas, conftituit, ut prudentes, qvi ftudiorum fuorum fiduciam haberent, non folùm refpondere de jure poffent, fed ex ipfius etiam Imperatoris auctoritate refponderent. l. 2. §. 47. ff. de orig. jur. & confeqventer ut ex Imperatoris auctoritate jura interpretarentur: nimirùm, qvatenus juris jam inducti ratio, legumq; latarum tenor & fententia pateretur: non etiam ut fupplere qvicqvam poffent, aut novum jus facere.

d. l. 11. C. de LL.

CAP.

CAP. XII.

De Indictione belli, & Collectarum generalium.

OLim ante legem Regiam populus Romanus indicendi belli jus habuit. l. 24. ff. de captiv. & postlim. reverſ. l. 118. de V. S. Poſtqvàm verò lege Regiâ populus omnem ſuam poteſtatem conceſſit Principi §. 6. Inſt. de jur. nat. gent. & civ. l. 1. ff. de conſt. princ. cœpit jus illud belli indicendi ſoli Imperatori competere: cui belli pacisq; arbitrium eſt relictum l. 3. ff. ad l. Jul. maj. c. qvid culpatur §. ordo autem. 23. q. 1. l. 17. C. de re mil. 12. C. 36. l. un. C. ut armorum uſus. l. 3. C. de agentib. in reb. Vult. 1. de Feud. 5. n. 6. p. 84. Et in crimen læſæ majeſtatis incidit, qvi bellum in Imperio ſine licentiâ Cæſaris movet. d. l. 3. ad l. Jul. Maj. Geil. 1. de PP. c. 4. n. 9. Obrecht. diſp. de bel. th. 173. neq; bellum, ſed latrocinium & deprædatio dicitur. l. 24. de captiv. l. 118. de V. S. & pœnâ fractæ pacis coërcetur. Geil. 1. de P. P. c. 4. n. 4. Atq; ut ab omni armorum metu libera ſit Reſp. neq; externi principes poſſunt ſine permiſſu Cæſaris copias in Imperio conſcribere. P. Dennaiſius in jur. Cam. tit. 190. verb. Milit. delectus. num. 17.

Hoc autem indicendi belli jus, ut & reliqva omnia majeſtatis jura, ſummo Principi, ex naturâ majeſtatis in ſe conſideratâ, competit: Sed ex pacto & conventione, tanqvam de accidenti, à jure illo ſuo, ſalutem patriæ concernente recedit, poteſtatemq; hanc cum Electoribus communicat: vt hodiè ex novis Imperii conſtitutionibus non indicatur bellum, niſi Cæſaris & Electorum ſuffragiis. Qvod ſi peregrina qvædam gentium

tium colluvies ditiones R. Imperii devaſtet, Imperator verò eandem reprimere ceſſet, integrum eſt Electoribus, habere delectum, & hoſtes è finibus Imperii repellere. De modo belli denunciandi dicam infrà lib.6.c.10.

Qvod Impoſitionem Collectarum generalium attinet, dixi ſuprà lib.4.c.24. Cæſarem ſolere vi ſupremæ jurisdictionis Collectas in Imperio imponere. Harum remiſſio in totius Imperii præjudicium vergit: atq; ideò Cæſar non poteſt alicui ab his Collectis immunitatem concedere: qvippe in communi periculo nos fas eſt aliqvem eximi: Adverſa fortuna non disjungat, qvos ſecunda junxit: Præterea ob immunitatem uni conceſſam cæteri prægravantur; ut plus impendere cogantur, qvod naturalis ratio fieri non concedit: neqve enim ulla juris ratio permittit, ut ſuum alicui auferatur. l. meminerint. C. unde vi: idq; nec Cæſar ex plenitudine poteſtatis facere poteſt: Geil.2.obſ.56.n.1. Urgentiſſimâ tamen ex causâ immunitas iſta concedi poterit. ar. l.4.C.de exactor.trib. lib.10. Carolus Tapia de conſtit. princ. c.4.n.31.

Cap. XIII.

De Extremâ Provocatione.

IN liberâ Rep. Romanâ penes Coſſ. ſummum jus erat, ab eis tamen, ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vendicarent, provocatio fuit permiſſa. l. 2. §.16.ff. de or. jur. Idem repetitum eſt Duelliâ rogatione Tribunitiâ, qvâ cautũ, ut qvi magiſtratum ſine provocatione creaſſet, eum jus fasq; eſſet occidi, néve ea cædes capitalis noxæ haberetur. Liv. lib. 3. Ea tamen Dictatoris fuit majeſtas, ut ab eo provocare non licuerit. Id. lib. 2. Edictum qvippe illius pro numine ſem-

ne semper observatum. Id. lib. 8. nec adversus Dictatoriam vim, aut tribuni plebis, aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebat. Id. lib. 6. Hodie provocatio nulla datur ulterior, præterqvàm ad Cæsarem. l.1.§.1. ff. à qvib. appellare non licet. adeò ut nunqvam jus illud à Duce, Comite vel Marchione, ne ab illo ad Cæsarem provocetur, præscribatur. Covarr. in relect. c. possessor. §.2.n.10. exceptis iis, qvi privilegio speciali jus illud qvæsitum habent, de qvibus infrà c. 34. Bodin. lib.1.de rep.c.10.p.251. & seqq.

CAP. XIV.
De Infeudatione.

ELecto Cæsare, Principes omnes, Comites, Barones & reliqvi Vasalli, immediatè Imperio subjecti, Investituræ renovationem ab eo petere coguntur: Similiter mortuis vasallis, sive politicis sive Ecclesiasticis, successores eorum, qvemcunq; successionis suæ titulum præseferant, intra annum investituram petere, & fidelitatis juramentum præstare tenentur. Ex consvetudine olim feuda Imperio aperta Imperator, cui volebat, in feudum dabat. Ita enim videmus Rudolphum I. Imp. cùm anno 1282. deficeret stirps Austriaca, Imperio vindicasse Austriam, eamq; Alberto filio concessisse, unde Archiducum Austriæ origo. Roboratur illa consvetudo expressâ Sanctione Carolinâ. Aur.bul.tit.7. Ejus vigore Sigismundus Imp. extinctâ familiâ Ursorum in Alberto, Electoratum Saxoniæ Imperio apertum Friderico I. Marchioni Misniæ in feudum dedit, ex qvâ descendit modernorum Electorum prosapia. Peuc. 5. Chron. pag.1173. Hodie pactis inter Cæsarem & Electores conventis continetur, ut Cæsar nemini conferat feuda Imperio aperta, sed in fiscum

vel patrimonium publicum referat: prout ex Carolinâ capitulatione colligitur. Sleid. lib. 1. Illud verò ad asserendam Sacræ Cæs. Majestatis præeminentiam & dignitatem plurimum facit, qvod si de feudis Ducatûs vel Comitatûs inter duos Imperii Vasallos contentio sit, nec Cameræ jurisdictio, nec Austrogarum beneficium locum habeat, sed solus Imperator juris dicendi potestatem sibi reservaverit. Ita enim in Ordinatione Cameræ part. 2. tit. 7. §. 1. his verbis expressè cautum est: Ob auch Sachen vorfielen / Fürstenthumb / Hertzogthumb / etc. belangend / so vom Reich zu Lehn rühren / so einem teil gentzlich vnd endlich abgesprochen werden solten / derselben Erkäntnuß wollen wir der Keys. Mayt: od jrer Liebd. vñ Key. Mayt. etc. abwesens / vns als Römischer König hierin / doch sonst in andern Sachen dieser Ordnung vnabbrüchig / vorbehalten haben / aber damit dieselben aus dem Reich Deutscher Nation nicht ziehen. Vid. Geil. 1. obs. 1. n. 31. P. Frid. lib. 1. de processib. c. 19. n. 8. Vult. lib. 2. de feud. c. 2. n. 9.

Cap. XV.

De Creatione Ducum, Comitum Palatinorum, & jure nobilitandi.

Dubium non est, Cæsarem esse omnis dignitatis & nobilitatis fontem. Dd. ar. l. 3 ff. de nat. restit. Schrad. p. 4. de Feud. c. 1. n. 2. Tantæ enim celsitudinis est, ut parem ex mortalibus habeat neminem: Inde promanat Regalis splendor, Ducalis autoritas, Comitiva dignitas, Nobiliumq; omnium jura inde suam originem trahunt. In conferendo Regali honore, multis ex actibus apparet, soli

soli Cæsari hanc reservatam esse potestatem. Poloniæ principem Boleslaum Acrem salutabat Regem Otto III. Imp. imposito ei tributo. Peuc. 4. Chron. p. 773. Eodem tempore Cæsareâ potestate præviâ, Ungaria regni titulum usurpavit: qvem post Ottonem confirmavit Henricus II. Imp. Id. p. 776. Et Fridericus I. Imp. Petro Daniæ Duci regia stemmata dedisse scribitur. Trithem. c. 17. Vratislaus Dux Bohemiæ ab Henrico V. primus regio titulo exornatus est. Dubravius lib. 9.

Marchionatum Austriæ Ducatûs dignitate donavit Fridericus I. Peuc. 4. Chron. p. 900. Idem Fridericus postqvam Henricum Leonem, omni principatu exutum pepulisset in exilium, Bavariam cum Palatinatu ad Rhenum Ottoni Wittelsbachio: Saxoniæ partem cum Ducis titulo Bernhardo Anhaltino Alberti Ursi filio, utriq; propter egregiè navatam in bello operam attribuit. Id. lib. 4. p. 769. Ita Pomeraniæ Domini cùm convertissent se à Polonis ad Rom. Imp. adsciti sunt in ordinem Ducum Imperii, ob præstitam fidelem contra Danos operam. Id. lib. 5. p. 1033. Sic etiam ex ordine Comitum in subliniorem Ducum Imperii sedem, Sigismundus Imp. collocavit eos, qvi nunc sunt Sabaudiæ & Cliviæ Duces. Id. Peuc. 5. Chron. p. 1172. Bodin. 1. de Rep. 9. pag. 200. A. Rudolpho I. Imp. Fridericus Comes ab Hohenzollern obtinuit munus & dignitatem Burggraviorum Noribergensium, & ut hæc deinceps jure hæreditario transiret in posteros impetravit. Id. lib. 5. p. 1002. Sic Rudolphus II. invictissimus Imp. anno 1595. Sigismundum Bathoreum, principem Romani Imperii ex proprio majestatis jure creavit. Indubitatum ergo est, Cæsarem vi summæ potestatis sibi reservatæ creare Duces, iisq;

concedere Regalia. c. 1 pr. de Feud. March. Atq; illi in jure feudali dicuntur Capitanei, qvasi capita & vertices inter Vasallos eminentes. Comites Palatini, des H. Römischen Reichs Hofegrauen / nomine ac vice Imperatoris possunt creare tabelliones, insignia nobilitatis conferre, natalibus & famæ restituere. Tob. Paurmeister. lib. 2. de jurisd. c. pen. n. 19. atq; hanc potestatem non aliunde habent, qvàm à Cæsare, qvi isthæc & alia Nobilitatis jura indulget, etiam homini novo, ad eum effectum, ut torneamentis sive ludis hastalibus ab Henrico Aucupe Imp. introductis interesse possit. Pruckman. tr. de regal. part. 1. memb. 1. eff. 4. p. 278. Atq; ista nobilitandi consvetudo, cujus hodie in aulâ Cæsareâ freqvens est usus, antiqvissima est: nam & Zenonis Imp. tempore eam in usu fuisse legimus. Lagus in Meth. jur. civ. part. 2. l. qvoties. §. viros C. ubi Senatores vel clariss. Evign. Baro in tr. de Nob. lib. 3. c. 2.

Cap. XVI.

De Concessione Privilegiorum & Immunitatis.

LEge XII. Tab. vetitum erat irrogare privilegia: qvoniam æqvitatis fruendæ causâ leges sanciuntur, ut summi cum infimis pari jure retineantur. Cic. 3. de LL. & jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. l. 8. ff. de LL. Verùm usu receptum est, qvoties personæ vel rei circumstantiæ urgentes sunt, privilegia concedi, qvæ de unâ tantùm personâ vel re concipiuntur. Cujac. 15. obs. 8. atq; ideò singularia jura vocantur, qvòd paullùm aberrent à regulis juris communis. c. cùm contingat, de foro compet. Est enim privilegium

gium qvasi lex priva sive singularis: qvippe priva dixerunt veteres, qvæ nos singula dicimus. Gell. lib. 10. c. 20. Privilegia autem à solo Cęsare dari & confirmari rectè petuntur. l. 1. §. fin. l. 3. ff. de const. princ. § 6. Inst. de jur. nat. gent. & civ. sicuti & immunitates. l 1. & 11. ff. de censib. l. un. C. de his qvi à princ. vacat. accep. Lancellot. in templ. om. jud. lib. 1. c. 1 § 4. qvæ in exemplum trahi non debent. c. ult. §. item Hier. 25. q. 1. c. non exemplo. 26. q. 2. c. privilegium 7. & c. qvod alicui. 74. de R. J. in 6. l. 68. de R. J. l. 2. C. de LL. c. constitutus 11. §. fin. de concess. præb. Neq; sine causâ revocari. Vigel. lib. 1. M jur. controv. c. 3. p. 38.

Hoc loco qværitur, an privilegiũ concessum ad revocationem & beneplacitum concedentis, morte concedentis finiatur? Negatur ar. l. 56. ff. de condit. Geil. 2. obs. 60. num. 15.

CAP. XVII.

De fundatione Academiarum, Nundinarum, Postarum & novorum vectigalium, &c. Cæsari reservatâ.

IN Academiis illi, qvi studiorum suorum fiduciam habent, sperantq; posse Remp. in partibus eius sibi credendis gubernari, dignitatib. & honoribus cumulari solent. Unde illæ manent? nónne ab eo qvi dignitatum scaturigo est? nempè ab ipso Cæsare: qvi privilegiis Academiam fundavit, honoribus auxit, & plenâ libertate frui jussit. Alterius approbationem non reqvirimus, neq; etiam Pontificis: illa namq; meritò spernenda est jurisdictio, qvæ extra territorium jus dicentis exercetur. l. fin. ff. de jurisd.

Similiter Nundinarum jura solus Cæsar largitur. l. un. C.

un.C.de nund. Jus Saxon. lib.3. art.66. & lib.2. art.25. Teſſaurus deciſ.264. n.2. Geil. 2. obſ. 69. n 24. Olim à Senatu hoc jus poſtulatum eſt. Briſſon. 1. ſelect. antiq. 15. Nunqvam autem Cæſar conſvevit alicui dare Nundinarum privilegium, niſi prius adjacentibus & vicinis Civitatibus, qvarum intereſſe poſſit, auditis. Geil 2. obſ.69. num.25.

Poſtarum etiam, qvas curſus publicos dicimus, inſtitutio Cæſari reſervata eſt. Vid. Cujac. ad pr.tit.C. de curſu publ. 12. C. 50. Thomas Michaelis tr. de jurisdict. th. 12. b.

Præterea Vectigalium novorum inductio, de reſervatis principis eſt: adeò ut à cæteris ſuperiorem recognoſcentibus inſtitui neqveant. Mynſ.5.obſ.29. n.1. & 2. Ex Capitulatione autem Carolinâ poteſtas illa Cæſaris limitata eſt: ut videlicet vectigal imponere non poſſit, niſi accedentibus Electorum ſuffragiis. Huc etiam pertinet jus Civitatis concedendæ. ar. l. 1. C. de Metrop. Beryto lib. 11.

Cap. XVIII.

De jure legitimandi, famæ reſtituendi, & veniam ætatis concedendi.

NAturales vel hodie ſpurii, aut etiam damnato ex coïtu procreati: Fachin.3. controv. 57. Covar. p.2. c.8. §. 8. de Sponſal. nullibi legitimari poſſunt, niſi in aulâ Cæſaris, vel ejus, cui Cæſar nominatim hanc poteſtatem dedit. Nov.89.c.9. iis qvorum intereſt ad actú legitimationis citatis. Vult. lib.1. Jurispr.c.23. n.13. juſtâ legitimandi causâ urgente, Vult. ib. Atq; illi, qvi

hoc

hoc modo legitimati sunt, nihil à legitimis differunt. Schurff. cons. 2. præterqvàm qvòd ad feudorum successiones sunt inhabiles. Mynſ. 5.obſ.42. nu.5. Geil. 2. obſ.141.num.8. Borch. de Feud. c.7.part.2. n.48. Vult. ad §. fin. Inſt. de nupt. in fin. niſi nominatim ad feuda legitimatio facta ſit. Mynſ. d. obſ.n.6. Vult. 1. de Feud. c.9. n.93.p.504.

Illud qvæſitum eſt, an princeps, extantibus legitimis liberis, naturales in ipſorum præjudicium legitimare poſſit? Negat Treutler. diſp.2.th. 7. c. vol. 1. & nonnulli alii relati à Gabriele concl.6. nu.4. Sed affirmativa ſententia verior eſt. Geil. 2.obſ.142. n. 8. Peregrin. de fideicom.art.23.n.57.& 60. Roſenothal. de Feud. c.7.concluſ.19.num.25. Covar. de Sponſal. p. 2. §. 9. num.8. Qvamvis enim certum ſit jure ordinario, tum demum liberos naturales per reſcriptum Principis legitimari, cùm nulli juſti liberi extant. Nov. 89. cap. in princip. & cap. 11. §. 1. Nov. 74. c.2. in fin. pr. Si tamen certò conſtet, & patrem & principem liberos naturales, etiam juſtis liberis exiſtentibus, legitimare velle, dubitandum non eſt, qvin illud abſolutâ & extraordinariâ principis voluntate effici poſſit. Primùm enim Princeps ex juſtâ causâ, qvæ de ipſo, ſi de certâ eius ſcientâ conſtet, præſumitur, aliqvid ſupra, imò contra leges concedere poteſt, qvoniam legibus eſt ſolutus. l. 31. ff. de LL. nec ſibi legem dicere poteſt, à qvâ ei recedere non liceat. ar. l. 22.ff. de leg. 3. nec prædeceſſorum ſuorum conſtitutionibus adſtringitur. c. innotuit 20. ext. de Elect & Elect. poteſt. l. 4. de recept. arb. l. 13. §. 4. ad SC. Treb. Deinde certum eſt liberos naturales per obligationem Curiæ legitimari, etſi juſti liberi extent. Nov. 89. c.2.§.1.c.3.pr. & c.11. § 1.

Qvid igitur prohibet, qvo minùs per reſcriptum principis, juſtâ ex cauſâ liberi naturales, extantibus legitimis, legitimari neqveant? Firmat hanc ſententiam l. 7. ibi. Impp. ff. de natal. reſt. l. 2. §. ſi qvis 16. ff. ne qvid in loco publ. Facit, qvod arrogatio juſtâ ex cauſâ, extantibus legitimis liberis, fieri poteſt. l. 17. §. 3. ff. de adopt. Sed hæc de legitimatione per reſcriptum Principis alibi à me tractabuntur accuratius.

Pertinet præterea ad reſervata Cæſarea Jus famæ reſtituendi. Cacher. deciſ. 101. n. 2. Itemq; veniæ ætatis conceſſio. l. 1. & tot. tit. C. de his qvi ven. ætatis. qvæ tum demum impetrari poteſt, cùm qvis viceſimi anni metas impleverit. l. 2. C. de his qvi ven. æt.

Atq; hactenus de poteſtate Cæſaris reſervatâ dictum eſt: Imposterum de eâ videndum eſt, qvæ tùm Regi Romanorum: tum Cameræ Imperiali; tum judicio Rotwilenſi; tum Statibus Imperii communicata eſt.

Cap. XIX.

De Rege Romanorum.

REx Romanus eligitur in Comitiis non univerſalibus, ſed particularibus Electorum, qvę dicuntur **Wahltage**. Et qvidem ſuperſtite adhuc Imperatore, ut certus in Imperio habeatur ſucceſſor, & extra Imperii fines degente Imperatore, ſit qvi domi Reip. curam ſuſcipiat. Eo conſilio Carolus V. Imp. cùm ſæpiùs abeſſet, Ferdinandum fratrem, Regem Romanum creari ab Electoribus petiit, & obtinuit: qvanqvam Statibus compluribus, & potiſſimùm Electore Saxonico vehementer repugnante. Electus eſt Ferdinandus anno 1531. die 5. Januarii: coro

natus

natus Aqvisgrani die 11. Joan. Sleidan. lib. 7. in fin. Beuther. lib. 3. hist. Maximilianus Ferdinandi filius anno 1562. die 24. Novemb. Invictissimus Rudolphus anno 1575. 27. Octob. omnes superstite adhuc Cæsare.

Est autem Rex Romanus, ut perpetuus Imperii vicarius: & ordinariam, non mandatam jurisdictionem habet: censeturq; unum cum Cæsare habere tribunal. c. non putamus. de consvet in 6. nec appellatur ab uno ad alium. c. cùm Romana. de appell. in 6. Imperatore absente omnia facere potest, qvæ ipse præsens faceret: ar. l. 2. C. de off. eius qvi vicem alicujus jud. c. si episcopus 2. q. 6. majora etiam Imperii feuda concedit. Aur. bull. tit. 5. De bonis vero patrimonialibus, qvo ad alienationem, disponere nihil potest: non enim in alienando, sed in administrando potestas eius consistit. ar. l. 12. C. de transact. l. 3. §. planè ff. qvod vi aut clàm. Geil. 2. obs. 72. Contra eum etiam crimen læsæ majestatis committitur. Gigas tr. de crim. læs. majest. Mynsf. cons. 44. n. 10.

CAP. XX.

De Camerâ Imperiali Spirensi.

CAmera Imperialis est summum Imperii Tribunal, qvod apud Imperii Judices sive assessores legitima rei controversæ inter litigantes tractatio instituitur. Auctor hujus judicii est Maximil. I. Imp. qvi consentientibus Imperii Statibus Wormatiæ in Conventu an. 1495. illud instituit: constitutis XVI. assessoribus partim nobilitate, partim publico doctrinæ testimonio ornatis, Judice ordinato, illustri dignitate Comitis

 vel

vel Baronis conſpicuo. Spira Urbs Imperialis libera, Tribunalis hujus eſt ſedes: indeq; exceptis belli & peſtis temporibus, injuſſu Cæſaris & ordinum transferri non poteſt. Ordin. Cam. par. 2. tit. 34. Subſunt illius jurisdictioni omnes Imperii Romani ſubditi tam mediati qvàm immediati. Ord. Cam. part. 2. tit. 27. Illi qvidem ex ſecundâ, hi ex primâ inſtantiâ. Ord. p. 2. t. 1. & 28. Exemtionem tamen ab illius jurisdictione qvidam Status habent: veluti Domus Auſtriaca ex Caroli IV. anno 1366. Sigismundi anno 1437. conceſsâ immunitate, & ſubſecutâ confirmatione Caroli V. anno 1530. In cauſis tamen fractæ pacis Camerali judicio ſubjecta eſt. Mynſ. 5. obſ. 58. n. 1. Ex contractu Statuum Imperii cum Carolo V. exemtus eſt Dux Burgundiæ. Ex transactione inter eosdem Imperii Status & Ducem Lotharingiæ, ratione iſtius Ducatûs jurisdictio Cameralis ceſſat. Sed iſti omnes non minus onerum qvàm honorum Imperii participes manſerunt.

Ratione cauſarum qvarundam Cameræ jurisdictio nulla competit: veluti in cauſis matrimonialibus, & qvæ fori Eccleſiaſtici ſunt; neq; etiam de crimine hæreſeos aut adulterii cognoſcere ſolet: qvippe nulla criminalis accuſatio ibi admittitur, prçterqvàm de fractâ pace. Mynſ. 2. obſ. 98. n. 8. & 5. obſ. 52. Appellationes tum demum recipiuntur, ſi ſumma 300. florenos excedat, qvemadmodum noviter in Receſ. Deputatorum anno 1600. proviſum eſt. A Sententiis Cameralium provocatio ad Cæſarem permiſſa non eſt. ar. l. 1. §. fin. ff. Qvis à qvo appellat. Ord. part. 2 tit. 35. Ordinariam enim jurisdictionem obtinent, & jus dicendi facultatem habent vice Cæſareæ majeſtatis. Ord. p. 2. t. 27. Unde & mandata, ſententiæ & decreta ſub nomine & ſigillo Cæſaris emanant. P. Heigius lib. 1. q. 9. nu. 4. atq; hoc modo Camera Cæſarem repræſentare dicitur. Schrad. p. 10. ſect. 2. n. 41. de feud. pleniſſimam

nissimam enim jurisdictionem Cæsar Cameræ attribuit, adeò ut nec controversias ad eam semel delatas avocare possit. Schrad. p. 10. sect. 1. n. 183. Exercitium qvippe Cameralis jurisdictionis impediri nullo modo debet. Geil. 1. obs. 41. n. 3.

CAP. XXI.

De Rotvvilensis Dicasterii Jurisdictione.

Dicasterium Rotvvilense das Kayserliche Hoffgericht zu Rotweil institutum est à Conrado Duce Sveviæ Imp. anno 1147. Refor. Jud. Rottvvil. Max. II. part. 2. tit. 5. per jurisdictionem obtinet, non qvidem universalem, veluti Camera Spirensis, sed in certo ac limitato districtu per Svevicum, Austriacum & Rheni circulos: Et in omnes cujuscunq; sunt ordinis, districtu designato comprehensos Jurisdictio Rotvvilensis competit: nisi singulari privilegio pro se & subditis suis sint exemti; ut sunt Electores ad tractum Rheni. P. Frid. lib. 1. de processib. in fin. p. 217. & Comites de Hohenzollern. Prætoria dignitas feudi titulo attributa est Comiti à Sultz, qvam hucusq; posteri eius retinent. Agnoscit itaq; hoc judicium solum Imp. auctorem, & soli Cæsari Comes Sulcensis ut Vasallus obligatur: Solus Cæsar de ordine & formâ hujus judicii cõstituit. Assessores ex Senatu leguntur. Νομοθεσία tota Imperatori relicta est. Refor. Maximil. II. p. 3. tit. ult. §. fin. Causas decidere potest non voluntariæ tantùm Jurisdictionis, sed etiam contentiosæ. d. refor. p. 2. tit. 6. &c.

CAP.

Cap. XXII.

De Jurisdictione Statibus Imperii communicatâ.

STatibus Imperii partim ex contractu & investiturâ feudali, partim privilegio, vel expresso, vel tacito, communicatum est jus territorii à Cæsare. **Die Landesfürstliche Hoheit oder Oberkeit.** Olim personæ collata est, & simul cum illâ extincta. c. un pr. de Feudo March. I. F. 14. Hodie ad posteros transmittitur. Ecclesiastici qvidem Status resignant Capitulo. c. cùm olim 14. de major. & obed. Geil. 1. obs. 20. nu. 10. Seculares ad filios transmittunt: & singuli in obvenientibus sibi provinciis Jurisdictionem & jura Imperii in solidum sibi vindicant: Jurisdictio enim individua est, totaq; in toto territorio, & qvalibet ejus parte. Hartm. 2. obs. tit. 1. obs. 15. Nec fas est Imperatori adimere jurisdictionem pro lubitu, sine legitimâ causâ. Coler. de process. p. 2. c. 1. n. 140. Thom. Grammatticus decis. 46. n. 2 & 3.

Cap. XXIII.

De mero & mixto imperio Statibus concesso.

VIgore hujus Communicationis, Ordines Imperii eam exercent Jurisdictionem in suis Ditionibus, qvam Imperator in universo Imperio: adeò ut in suis rescriptis & edictis titulum usurpent: **wir von Gottes Gnaden:** & regalia eiusdem superioritatis jure, in suis territoriis sibi vindicent, non solùm ea, qvæ in c. un. Qvæ sint reg. expres-

expressa sunt, tam majora qvàm minora: sed & si qvæ alia sunt, qvæ consvetudine pro regalibus habentur: ut hodie sunt Jurisdictionalia, Merum & Mixtum Imperium. Ergo potestatem judicandi, judicatumq; exeqvendi tum in civilibus, tum criminalibus causis pleno jure habent: mulctasq; & pœnas pro delictorum qvalitate exigunt.

Cap. XXIV.

De jure remittendi pœnas capitales.

EX mero Imperio qvod Statibus indultum est, dependet, qvòd Reis pœnas capitales remittere possunt l. cum indulgentia 10. & tot. tit. C. de sent. pass. & restit. l. relegati 4. in fin. l. 9. §. 11. in fin. l. 27. l. 31. ff. de pœn. Qvi textûs licet de Summo Principe tantùm loqvi videntur, nihil tamen impedit, qvô minus hodie idipsum de Ducibus, Marchionibus & Comitib. accipiamus. Rol. à Vall. cons. 4. nu. 4 lib. 3. Tessaur. decis. 21. Verùm principes meminerint, non facilè pœnam reo remittendam esse: ne laxior peccandi licentia inducatur. l. si operis. 14. C. de pœn. Et intempestiva est misericordia, nocentem dimittere.

Per restitutionem autem illam non tollitur infamia. l. ult. C. de generali abdit. l. generalis 7. C. de sent. pass. Huc pertinet, qvòd Statibus etiam jus famæ restituendi indultum est ar. l. Divi fratres 27. ff. de pœn. l. 1. C. de sent. pass. l. 1. §. de qva autem 10. ff. de postul. Prosp. Farinac. in pract. crim. lib. 1. tit. 3. q. 17. n 21.

Cap. XXV.

De jure præstandi salvum conductum.

Sal-

SAlvum conductum, five falvam Gvardiam concedunt Principes, tam bannitis, qvàm iis, qvi per ditiones fuas peregrinantur. Bannitis qvidem & aliis datur de violentiâ, qvæ de facto contra jus infertur. Mynf. 1. obf. 82. l. relegati 4. in fin. ff. de pœn. Boër. decif. 179. n. 1. Coler. de proceff. par. 4. c. 1. n. 177. Menoch. 2. arb. cent. 4. caf. 336. n. 27. Farinac. pr. crim. lib. 1. tit. 3. q. 17. n. 110. Si qvis eos offenderit, qvi falvum conductum habent, in crimen læfæ majeftatis incidit. A. Reyger in thef. l. c. pag. 1338. Eftq; illa poteftas euntes redeuntesq; per vias publicas fui territorii deducendi, jurisdictionis qvædam portio. Wef. conf. 33. n. 3. & 10. nifi fortè alius hoc jus fibi qvæfitum effe afferat. Cæterùm qvi falvum conductum impetrarunt, violari jure non poffunt: nam qvæ femel data eft fides, fervanda eft. c. noli 23. q. 1. ar. l. 1. C. de his qvi ven. æt. Fachin. 9. controver. 69.

Cap. XXVI.

De jure recipiendi Judæos, & Inducias moratorias concedendi Debitoribus.

EX Conftitutione aureæ bullæ & ordinationis politicæ, anno 48. & 77. tit. 20. publicatæ, nemini nifi qvi regalia à Cæfare & Imperio obtinet, aut fpeciali privilegio hoc jus qvæfitum habet, Judæos recipere permiffum eft: ita tamen, ut legibus cujusq; Magiftratûs, fub qvo degunt, fubjecti fint. l. 8. C. de Jud. & qvinq; in annua centum mutuò data poftulent, immodicisq; iftis exactionibus, obligationibus & fidejuffionibus abftineant. Juftiffimum fanè eft, coërceri horum hominum avaritiam, qvorum ars fola in eo pofita eft, qvo pacto Chriftianos circum venirepoffint.

Debitoribus, qvi fortuitis ex caſibus facultatibus ſuis lapſi ſunt, Induciæ moratoriæ concedi ſolent, vulgò die Quinquenel oder Anſtandsbrieff. Ord. pol. Francof. anno 77. tit. 23. ne in iſto qvinqvennii ſpatio creditores eorum qvicqvam de creditâ ſummâ æſtiment poſtulandum: qvatenus ſub induciis illis & datam poſſint reparare pecuniam, & aliqvatenus debitorum valeat reſpirare ſubſtantia. Caſſiod. lib. 2. var. Cujac. 2. obſ. 10. Atq; iſtæ aliter non valent qvàm ſi fidejuſſio idonea ſuper debiti ſolutione præbeatur. l. 4. C. de precib. Imp. off. Wurmſ. in pr. obſ. tit. 28. obſ. 28. n. 9. König in proceſſ. c. 2. in addit. n. 33. Geil 2. obſ. 46. n. 14. aut juramentum præſtetur. Teſſaur. deciſ. 186. n. 7. Contra fiſcum induciæ iſtæ obtentæ nihil operantur. Chaſſan. de glor. mund. p. 5. conſil. 24. nu. 199. nec contra opifices, & alios, qvibus ad laborem perſonæ debitor obligatus eſt. Môller. 4. Semeſtr. 6. n. 2. nec in causâ dotis alimentorum, vel ſimili, qvæ dilationem non admittit. Peckius de jure ſiſtendi. c. 45. n. 20.

CAP. XXVII.

De jure ſuccedendi in bonis damnato ex coitu ſusceptorum, & ſine hærede morientium.

MOrtuo eo, qvi natus eſt ex damnato coitu, ſine liberis, non admittuntur ejus fratres uterini & ſorores, etiam ex legitimo matrimonio procreati, ſed ſuccedit fiſcus, aut alius temporalis Magiſtratus. Mynſ. 3. obſ. 91.

Geil.

Geil. 2. obf. 88. nu. 1. Hartman. lib. 2. tit. 43. obf. 9. Carol. Tapia in l fin. part. 1. c. 2. n. 49. de conft. princ.

Idem jus fibi vindicat Fifcus in rebus eorum qvi fine legitimo hærede deceſſerunt. l. 1. C. de bon. vacant. 10. C. 10. l. 96. §. 1. ff. de leg. 1. Berch. de regal. n. 67. Boër. decif. 50. n. 14. Mynf. conf. 67. n. 2. Peregrin. de jur. fiſci lib. 4. tit. 3. Hoc jus Cæſar communicavit cum Statibus Imperii, qvi ſuperiora iſta Regalia etiam in ſuis territoriis exercent.

Cap. XXVIII.

De jure mutandi Religionis exercitium.

EX Conſtitutione pacis Religionis, liberum eſt Statibus in diſtrictibus ſuis tam Auguſtanæ Confeſſionis, qvàm Catholicæ Religionis exercitium mutare. Subditos tamen pacificè viventes non poſſunt ad hanc vel illam religionem amplectendam cogere: Incivile enim eſt, invitum hominem jubere facere, qvod facere non poteſt. l. 9. §. 10. ff. de pœn. Id autem qvis cenſetur facere poſſe, qvod liberâ qvadam voluntate animi facit, nemine cogente: Eaq; qvæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt. l. 15. ff. de condit. inſtit. Et religionem imperari non poſſe, dixi ſuprà lib. 3. c. 11.

Cap. XXIX.

De Jurisdictione Foreſtali Statibus conceſſâ.

Juris-

JUrisdictio Foreſtalis, die Forſtliche Obrigkeit / conſiſtit in banno ferino, qvod nobis Wildbahn dicitur; & jure foreſti: cujus proprium eſt Saltuarios conſtituere, ſilvam nexilibus plagis cingere, pœnamq; ab iis, qvi contra edictum venantur, exigere. Atq; hodie Principes non tantùm in publicis locis, verùmetiam privatis jura venationum rectè exercent. Idq; per præſcriptionem, diuturnam Subditorum patientiam, & privilegia ſummi principis.

Præſcriptio pleniſſimam iis parit ſecuritatem, nullâ admiſsâ, de malâ fide aut titulo, qvæſtione. Garſ. tr. de expenſ. c. 9. n. 21. Mos etenim fideliſſimæ vetuſtatis diligenter retinendus eſt. l. 18. C. de teſtam.

Patientia Subditorum magis conſpicua eſt: acqvieverunt enim in prohibitionibus, ſeq; Principum conatibus favere, patientiâ ſuâ oſtenderunt. Menoch. 2. arb. caſ. 160. nu. 11. Non enim in publicis tantùm locis principes hanc ſibi ſumſerunt poteſtatem, ſed etiam in ipſis privatorum hominum agris. Loca publica qvin ad principes ex ſublimi territorii jure pertineant, nemo negaverit. l. 3. §. pen. ff. de jur. fiſci l. ſervitutes 14. §. publico de ſervit. l. 2. §. meritò 3. & l. ſeq. ff. Ne qvid in loco publ. l. 9. ff. ad l. Rhod. de jactu. In privatis etiam non minor licentia iis indulta: Eorum enim poteſtati Deus reliqvit beſtias, qvibus ſubjecit territorium. Daniel. 2. ℣. 38. Jerem. 27. ℣. 6. & c. 28. ℣. 14. Præthereà publicè intereſt, non omnibus paſſim concedi debere venationis ſtudium. Nam primò ſi indifferens eſſet venatio, torpeſcerent homines, & præ nimiâ venandi dulcedine ab agriculturâ aliiſve neceſſariis vocationis officiis abduci ſe paterentur, auth. agricult. C. qvæ res pignori. l. 2. ff. de feriis. Deinde ne privati ad diſcordiam, cujus fomes eſt communio, eſſent procliviores. l. cum pater 77. §. 20. ff. de leg. 2. l. ſi non ſortem 76. §. ſi centum. de condict. indeb. Et deniq; ne ἀταξία

esset in ferendis armis, sine qvibus venatio haud facilè expediri potest.

Singulari Cæsaris privilegio venandi jus concessum est Electoribus Imperii, Ducibus, Comitibus, alisq; Nobilioribus, qvibus venatio est instar accessionis ditionum, & servitutis in fundis subditorum, jurisdictioni principali debitæ. Zoanet. tr. de venat. n. 204. vid. Petr. Heig. q. 15. num. 53. cum seqq. p. 1. Pruckman. ad §. venatio c. 2. n. 11. Rosenthal de feud. c. 5. concl. 94. n. 8. Atq; hoc respectu dici potest, jus venandi rectè referri inter regalia. Heigius d. loc. n. 44. cum seqq.

Cap. XXX.

De Probatione Jurisdictionis, & juris territorii.

POstqvàm de exercitio jurisdictionis nonnulla adducta sunt, de probatione & effectu ejusdem paucis nunc agendum est. Probatur autem Jurisdictio I. ex Insignis Principis in Curiâ aliisve locis depictis. Chassan. in Catal. glor. mund. p. 1. concl. 55. Wesenb. cons. 21. n. 98. Hier. à Monte tr. fin. reg. c. 75. n. 5. Rol. à Val. cons. 84. n. 23. vol. 2. II. Ex solenni Principum introitu. Boer. decis. 217. n. 21. Schurf. cons. 35. n. 13. Claves inibi tradi solent, qvi jurisdictioně satis arguunt. ar. l. 74. ff. de contrah. emt. III. Ex juramento Subjectionis Huldigung vnd Erbpflicht c. un. ibi sub jurisd. Qual. jur. Vasal. deb. Geil de arrestis c. 7. n. 10. Schurff. cons. 35. n. 13. cent. 3. Mascard. de prob. conclus. 946. n. 19. & 21. IV. Ex edictorum & mădatorum observantiâ: qvi enim paret mandatis, subditus esse censetur. Pacian. de prob.

de prob. lib. 2. c. 35. n. 16. & 21. V. Ex perceptione redituum l. si qvis super C. fin. reg. & solut. censûs. c. cùm olim. c. omnis anima. de censib. l. competit C. de præscrip. 30. & 40. annor. Wesenb. consf. 52. ℣. 12. Deniq; ex famâ communi. Fab. à Monte d. c. 52. n. 10. Wesenb. consf. 21. n. 68. maximè vicinorum ejus loci: qvi in hoc casu sunt testes magis idonei. l. 1. ff. de flum. Mynf. 6. obs. 15. n. 8. & obs. seq.

CAP. XXXI.

De effectu Jurisdictionis Statibus communicatæ.

EFfectus jurisdictionis est, qvòd ad defendendam Jurisdictionem suam Statibus competit actio. Wesenb. in par. ff. de jurisd. n. 13. qvin etiam hodie pœnâ fractæ pacis tenetur, qvi alienam jurisdictionem violat. Wes. ibid. Et in territoriis suis, omnibusq; eorum accessoriis & pertinentiis fundatam intentionem principes habent. ar. l. 1. §. 4. ff. de off. præf. urbi. l. 76. de R. V. Geil. 2. obs. 52. n 9. & de pign. obs. 8. n. 6. Nam unumqvodq; censetur esse Jurisdictionis illius, cujus est Territorii. c. 2. de restit. spoliat. in 6. c. cùm Episcopi 7. ff. de off. ord.

Atq; hactenus de potestate Cæsaris tam reservatâ qvàm communicatâ dictum est: Seqvitur tractatio de Statibus S. Rom. Imp. qvorum tres sunt classes, Electores, Principes & Liberæ Civitates.

De Electionibus dicam, qvæ eorum origo, qvæ potestas tam in Electione, qvàm extra eam.

Cap. XXXII.

De Origine Electorum.

DIversum sentiunt Politici, qvo tempore constitutum fuerit in Imp. Romano Septemvirale Collegium. Alii qvidem Ottonis III. Imp. hoc factum fuisse scribunt Marsil. Patavin. de translat. Imp. c. 11. Leopold. de Babenberg. de jurib. regni & imperii. 12. Rodolphus de Columnâ de translat. imp. Platina in vitâ Greg. Simon Schradius lib. sing. de Elect. orig. cap. 1. P. Heigius lib. 1 qq. jur. 3. A. Knichen de jur. Sax. non provoc. verb. Electorum c. 1. Sed vehementissimè refragatur illis, qvòd omnes ferè Imperatores, qvi post Ottonem III. rebus præfuerunt, tum ab universis Imperii Principibus Ecclesiasticis & politicis, qvorum qvatuor & qvinqvaginta fuisse scribit Bodin. 6. de rep. c. 5. tum etjam à qvibusdam populis, veluti Saxonibus, Svevis, Bavaris, aliisq; nonnullis electos deprehendimus. Otto Frinsing. lib. 6. c. 27. & 28. c. 12. Abbas Ursperg. in Chron. an. 1035 & 1106. Sigebert. ad an. 1126. Alii ad Rudoph. I. Imp. tempora referunt. Sed graviter illis obstat, qvòd antecessori illius Wilhelmo Hollandiæ Comiti imperium ab Electoribus assignatum esse legimus. Alii ad Friderici Barbarossæ seculum referunt. Peuc. 4. Chron. p. 769.

Qvid statuendum in harum opinionum conflictu? Sanè Delio natatore hîc opus esset, adeò intricata res est, & involuta conjecturarum nebulis. Si qvid tamen conjecturâ asseqvi possum, dicam qvod res est: nempè non certo aliqvo Imperatorum, vel universi Imperii decreto & sanctione hoc introductum esse: sed tacito consensu Principum

pum Imperii paulatim irrepſiſſe: interveniente longi temporis curſu, qvo titulo nullus eſt validior. Idq; poſt Friderici II. Imp. tempora ferè contigit: nam & illâ ætate numerum ſeptenarium exprimunt, & familias ſuffragrantium adnotant hiſtorici. Aventin. lib. 5. Onuph. Panvin. tr. de comit. Sanctionem nullam hac de re extare, inde colligitur, qvòd Carolus IV. in aureâ bullâ nullam eius mentionem fecerit, ſed tantùm uſûs longævi, & laudibilis conſvetudinis. Ad extremum hoc loco ineruditam eorum aſſertionem exterminandam eſſe liqvidò patet: nempè qvòd Carolum IV. Collegii hujus faciunt fundatorem: Scire debebant, anteceſſores Caroli, Adolphum Naſſovivienſem, Albertum Auſtriacum, Henricum VII. Ludovicum Bavarum, & Fridericum Auſtriacum à Septemviris ad Imperii faſtigium fuiſſe evectos. Non igitur Carolo hujus rei origo adſcribi poteſt.

CAP. XXXIII.

De Electorum poteſtate in Electione & Degradatione Cæſaris.

ELectoribus jus eligendi Cæſarem competere dubium nullum eſt. c. per venerabilem ext. de Elect. Aur. bul. tit. 7. Laudenſ. tr. de princ. q. 515. non qvidem uni aut pluribus, ſed toti collegio: ut dixi ſuprà lib. 4. c. 33. Nec priùs ex Electonis loco illis decedere fas eſt, qvàm ſi legitima omnibusq; numeris abſoluta electio fuerit peracta: Si ſpatio 30. dierum non conſenſerint, ex aureæ bullę diſpoſitione pane & aqvâ tamdiu alendi ſunt, donec voluntates eorum in unum conſpirent. Dixi Electionem omnibus pariter competere: Sed qvid eſt, qvod jure Saxonico diſponitur lib. 3. art. 57. his verbis: Der Schencke des Reichs / (videlicet Rex Bohemiæ) hat keine wahl /

darumb daß Er nicht Deutsch ist: Electio denegatur Regi Bohemiæ, qvi tamen Elector est, qvoniã Germanicæ nationis non est: Cessante igitur hujus legis ratione, cessat ipsa dispositio: aliâs si consentientibus suffragiis tres Electores in unum conspirent, reliqvi tres in alium, potestatem habet Rex Bohemiæ, alterutrum ex illis eligendi, & ad Imperatoriam dignitatem evehendi. Libera autem ista est Electio, videlicet ut ex Germanis Principibus, qvem velint, eligere possint: Alium qvàm Germanicæ nationis non possunt. Lancell. Conrad. in templ. om. jud. lib. 1. c. 1. q. 1. & q. 3. n. 16. & 45.

Degradatio eidem Electorum Collegio competit, non Pontifici: nec ferenda est ista Pontificalis insolentia, qvòd degradandi licentiam sibi sumit. c. 2. de Sent. & re jud. in 6. c. venerabilem. c. 34. de Elect. lib. 1. c. alius 15. q. 6. Nam qvòd qvidam dicunt, absolutissimam Imperatori potestatem esse relictam, ut mutare possit qvadrata rotundis. Alciatus cons. 201. n. 14. Petr. Anton. de Petrâ tr. de potest. princ. c. 3. q. 2. id vel hâc ipsâ ex degradatione facilè conspicitur. Estq; ea similis consvetudini vetustæ, qvâ Imperatores à Senatu fuerunt judicati hostes: qvæ pœna fuit ut cervix insereretur furcæ, corpus virgis ad necem cederetur. Sveton. in Nerone. c. 45. Fortè etiam illi pœnæ æqviparari potest, qvâ qvis jure civili à gradu & dignitate dejicitur. l. aut damnum in pr. de pœn. Ita Wenceslao abrogatum Imperium anno 1400. communi Electorum suffragio. Peucer. 5. Chron. p. 1151. Mynf. conf. 19. num. 6. Dauth. ad l. 3. C. de testam. n. 1. b. Cuspin. in Wencesl. Raphael Volaterr. lib. 23. &c.



CAP.

Cap. XXXIV.

De Poteſtate Electorum Imperii extra Electionem.

Electoribus peculiaria qvædam munia impoſita ſunt, qvæ exerceri ſolent, ſicubi Imperator vel Rex Romanorum ſolennes Curias ſuas celebraverit. Aur. bul. tit. 25. Elector Palatinus Archidapifer eſt S. Rom. Imp. qv Vicarios habet Barones Walpurgicos Truchſeſios. Saxonicus Archimareſchallus eſt, cujus vices gerunt Barones de Pappenheim. Brandeburgicus Archicamerarius eſt, illiusq; vicarii ſunt Comites ab Hohenzollen. Aurea bul. ib. Stuck. lib. 2. antiqvit. cont. cap. 23. p265.b.

Totius autem Electoralis Collegii inſignis eſt auctorias, tum in Comitiis, tum particularibus Conventibus, de qvibus ſuprà lib. 4. cap. 33. dixi: Singuli etiam nonnulla privilegia habent. Elector Palatinus adminſtrator eſt & proviſor Imperii, eo vacante: poteſtq; pleno jure exercere judicia, præſentare ad beneficia Eccleſiaſtica, colligere reditus, inveſtire de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine Sacri Imperii recipere, feudis principum duntaxat exceptis, & illis qvæ Fahnlehn vulgò appellantur, qvorum inveſtitura & collatio ſoli Imperatori vel Regi Romanorum ſpecialiter reſervata eſt. Ipſe tamen Comes Palatinus alienationem ſeu obligationem rerum Imperii, adminiſtrationis illius tempore, expreſsè ſibi noverit interdictam. Aur. bul. tit. 5. Vaſq. ill. q. lib. 1. c. 22. num. 1. Schrad. p. 10. de feud. ſect. 3. n. 174. Eodem jure adminiſtrationis illuſtriſſ. Dux

Saxoniæ fruitur in illis locis ubi observantur jura Saxonica. Aur. bul. ibi. Prætereà Elector Palatinus est judex Cæsaris, judicio in Imperiali Curiâ instituto. Aur. bu. ibi. in fin. tit. 5. Exinde autem malè Bodinus colligit, Cæsarem eâ de causâ non censendum esse Monarcham: quippe convenitur Cæsar coram Comite Palatino, non ut coram superiore sive Magistratu, sed ut coram inferiore, qvi judicium tantùm in causâ propositâ exercet. Ipse igitur Cæsar, depositâ qvodammodò majestate, de suâ causâ Comitem Palatinum El. judicare jubet: Et aliâs jure civili receptum est, eoq; jure utimur, ut si qvis maior vel æqvalis subjiciat se jurisdictioni alterius, possit ei & adversus eum jus dici. l.14. ff. de jurisd. Idq; non modò in privatis ac magistratibus, sed etiam in ipsis Principibus locum habet: sive aliorum principum, sive suorum judicia subire malint. Bodin. 3. de Rep. cap. 5. Ita Rex Galliæ Parlamenti Parisiensis judicium subit: Rex Bohemiæ respectu Silesiæ subjicitur judicio superiori Uratislaviensi, & respectu Ducatûs Glogoviensis paribus Curiæ istius Ducatûs: Schrader. part. 10. de feud. sect. 1. n. 53. Electores Saxonici coram supremâ suâ Lipsensi curiâ Electorali sese conveniri patiuntur. Archiduces Austriæ, cùm sint immunes à jurisdictione Imperii, ortis controversiis aliqvem è suis Vasallis judicem constituunt, coram qvo conveniantur, & jus accipiant. Cuspin. in Austr. p. 37.

Huc pertinent alia privilegia Electoribus indulta: Inter illa potissimum est, qvòd vel plane inhibita est provocatio à sententiis qvorundam, ut Saxonici & Brandeburgici: vel intra certam qvandam summam.

Privilegium de non appellando primùm concessum est Electori Saxoniæ ex aureâ bullâ: deinde Sigismundi Imp. beneficio: tertiò idipsum plenius concessum à Fr-

à Ferdinando Cæſ. anno 1559. die 2. Maii. Credidit enim Princeps, eos, qvi ob ſingularem induſtriam, exploratâ eorum fide & gravitate, ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos eſſe, pro ſapientiâ ac luce dignitatis ſuę, qvàm ipſe foret judicaturus. l. un. §. 1. ff. de off. præf. præt. Utuntur autem jure & prærogativis antiqvorum Prætorii præfectorum. Weſ. in par. ad tit: à qvib. appell. num. 3. Peuc. 5. Chron. p. 1003.

Prætereà Electores Saxoniæ defenſores ſunt juris Saxonici, cujus in Camerâ Imperiali nulla habetur ratio. Non igitur fas eſt Subditis Electoralibus Saxonicis tentare provocationem ad aliena judicia: aliâs illis à malè informato ad eundem meliùs informandum permitti ſolet provocatio. J. Ayrer in proceſſ. c. 4. obſ. 4. n. 22.

Intra certam ſummam etiam provocari ab Electoribus, vigore privilegiorum, receptum eſt.

A Curiâ Electorali Moguntinâ non licet appellare, niſi cauſæ valor aſcendat ad ſummam 40. floren. ex privilegio collato anno 1521. Principis Electoris Palatini ſubditi, **im Vntern vnd Obern Fürſtenthumb der Pfaltz am Reyn vnd Bayern**/ non poſſunt appellare, niſi mille florenos excedat cauſa ex privilegio anno 1566. & 1578. indulto &c.

Sed nos his relictis diſcendimus ad ſecundam claſſem Statuum Imperii, nempè ad principes tam Eccleſiaſticos, qvàm Seculares, atq; inter illos primo loco tractamus de Archiepiſcopis, deinde de Epiſcopis, deniq; de Abbatib. & Pręlatis: Inter hos, potiore loco de Archiducibus & Ducibus, deinde de Marchionibus & Landgraviis, deniq; de Comitibus & Baronibus.

Cap. XXXV.

De Archiepiſcopis.

DE Principibus Eccleſiaſticis in univerſum verum eſt, ſortiri eos forum Cæſaris ratione regalium. Geil 1. de PP.c.8 n.8. In cæteris cauſis proprium habent forum, ſive Conſiſtorium. Tres autem ſunt Eccleſiaſticorum principum ordines: Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates & Prælati.

Archiepiſcopi non unius tantùm Civitatis, ſed univerſæ provinciæ plures Civitates complectentis Eccleſiæ inſpectioni ſunt præfecti. Nomen habent à græco ἀρχὴ & ἐπισκοπεῖν, qvod inſpicere ſignificat. Dignitatis ſuæ inſigne gerunt pallium, qvod à Patriarchâ vel à Pontifice illi communicatum eſt. c. antiqva 23. ext. de privil.diſt.100. per tot. Sine eo nec Archiepiſcopi nomen jure ſibi vindicat.c.3.ext.de auct.& uſu pallii.nec ea qvæ ordinis ſunt Epiſcopalis rectè exeqvitur. c.qvod ſicut 28. §.pen.in fin. ext.de Elect.Atq; illi aliâs Metropolitani dicuntur.c.per totam 9.q.1.,qvod in metropoli,id eſt,matrice aliqvâ civitate jam olim conſtituti ſint. Differunt à Patriarchis: qvòd illi non uni tantùm provinciæ, ſed integræ nationi,qvæ plures provincias continet,præſident: horum numerantur qvatuor: Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus. c. antiqva de privilegiis.c. ſacroſanctæ. c. venerantes. c. definivimus 22.diſt. Covarr. 4. reſol. tom.2. p.317. His adnumerantur inferioris ſubſellii Patriarchæ: Aqvileienſis,Cantuarienſis, Biturigēſis & Gradenſis. Duar. de SS.Eccleſ.lib.1.c.9.Differunt etiam à Primatibus: nam illi Archiepiſcopos dignitate antecedunt. c. de primatib.

matib. dist. 99. Sunt autem Primates in Germaniâ Archiepiscopus Magdeburgensis: in Italiâ Aqvileiensis: in Galliâ Trevirensis: in Galliâ Celticâ Bituricensis; Grandiensis & Lugdunensis: in Angliâ Cantuariensis: in Hispaniâ Toletanus. P. Greg. lib. 15. Syntag. c. 10. Differunt à Cardinalibus: nam & illi axis & cardo reliqvarum Ecclesiarum dicuntur, c. sacrosanctæ. 22 distin. P. Greg. ib. cap. 4. Archiepiscopi autem cognoscunt de crimine Episcopi vel Suffraganei sui, P. Greg. lib. 15. syntag. c. 11. & de controversiis qvas Clericus habet cum aliqvo ex Suffraganeis. c. si clericus 11. q. 1. supplendoq; Episcoporum negligentiam, agunt qvod Episcopi est officium. c. cùm scimus 9. q. 3. c. per tuas. 40. §. fi. de sent. excom. 5. Decret. 39.

CAP. XXXVI.
De Episcopis.

EPiscopum eligunt cujuscunq; Ecclesiæ Canonici. c. in Genesi: c. Ecclesiis. 2. c. Cumana. de elect. intra tres menses à die vacationis. c. ne pro defectu. de elect. c. postqvam 50. dist. eum scilicet qvi legitimè natus, trigesimum ætatis suæ annum excessit, qviq; probatæ est vitæ & scientiæ: cùm in cunctis ext. de elect. Concil. Trid. sess. 7. c. 1. & sess. 22. c. 2. Electionem seqvitur confirmatio, inde consecratio, nonnunqvam etiam concessio pallii. c. cùm in juventute 15. ext. de præsumt.

Confirmatio Episcoporum Germaniæ præstatur à Pontifice. c. nihil. § cæterùm. c. cùm venerabilis 7. ext. de consvet. Omnis autem Episcoporum potestas Pontificalibus constitutionibus distribuitur bifariàm c. dilectus. de off. ord. ut alia competat ex lege jurisdictionis, alia ex lege diœcesanâ. Ad legem jurisdictionis ea referuntur, qvæ in

Cano-

Canonicâ obedientiâ, correctione &c. consistunt. c. dilectos. c. conqverente de off. ordin. Ad legem Diœcesanam referuntur primò reditûs illi, qvi singulis ministris ultra possessiones temporales sunt attributi: ut vectigal cathedraticum, sive Synodaticum, qvod Cathedræ sive honori Episcoporum penditur. Deinde Enthronialticum, honorarium illud qvod Episcopis munus suum auspicantibus Ecclesiæ subjectæ largiuntur. Nov. 123. Duar. de benef. Eccles. lib. 8 c 5. De aliis Episcoporum muniis v. P. Greg. lib. 15. Syntag. universi jur. c. 12. n. 33.

Cap. XXXVII.

De Abbatibus & Prælatis.

ABatis appellatio inter Monachos sive Eremitas honorario titulo primùm attributa est ei, qvi cæteris instar patris esse visus est. Sozom. lib. 5. c. 10. P Greg. lib. 15. Syntag. c. 13. Hodie præposituram Monachorum denotat. Eligitur autem unius Monasterii Abbas tantùm unus c. clericus. 21. q. 1. habetq; jurisdictionem & coërcitionem in suos Monachos. In Abbatissam nulla eligitur, nisi 30. an. compleverit ex constitutione Bonifacii VIII. c. in indemnitatibus 43. pr. de elect. lib. 6. Ex Concilii verò Trid. sess. 25. c. 7. præscriptio anni 40. reqviruntur.

Prælati à præferendo dicti, sunt Antistites Ecclesiastici. P. Greg. lib. 17. c 3. Lancell. Conradus in templo om. jud. lib. 2. c. 10. Hodie ii tantùm Ecclesiastici Antistites hac voce comprehenduntur, qvi licet immediatè imperio subjecti, partim etiam Principum titulo sunt decorati, jus tamen suffragiorum singuli insolidum, ac par principibus non habent: sed universi unius tantùm principis vicem

cem

cem ſuſtinent, ut ſunt propriè & regulariter Abbates, Præpoſiti, Abbatiſſæ & Commendatarii. Atq; illi eandem in diſtrictu ſuo poteſtatem obtinent, qvam Principes in ſuo. Paurmeiſt. lib. 2. de jurisd. c. 9. n. 16.

Cap. XXXVIII.
De Archiducibus & Ducibus.

INter ſeculares Principes ſummam juxta Electores dignitatem obtinent in S. Rom. Imp Archiduces, & qvidem Auſtriaci. De privilegiis eorum integrum ſcripſit tractatum Thomas de Haſelbach, qvem allegat Cuſpinianus in vitâ Friderici Barbaroſſæ Imp.

Ducis appellatio à ducendo eſt, vel qvòd ducat & regat exercitum, unde Hertzog dicitur, vel qvòd ipſe alios ad virtutem ducat. Frec. de ſubfeud. lib. 1. qvis dic. dux. n. 8. vel deniq; qvòd inveſtitus ſit de Ducatu. Mozz. de his qvi feud. dare poſſ. n. 16. Inter duces autem, qvà Duces, nulla differentia eſt, ſed duntaxat ordo in ſeſſionibus. Vult. 1. de Feud 4. n. 14. Ex illo ordine dependet, qvòd alii ſunt Duces Imperii, vigore ſanctionis Ottonianæ, qvâ ſingulæ claſſes S. Rom. Imperii in qvatuor membra diſtinctæ ſunt. A. Knichen de jure territorii c. 1. n. 84. Alii ſimpliciter ſunt Duces. Duces Imperii qvatuor ſunt: Brunſvicenſis, Bavariæ, Sveviæ & Lotharingiæ. Reliqvi ſuo ordine, ſuoq; jure cenſentur Atq; hodie dignitas eorum ad hæredes eſt tranſitoria: olim perſonalis tantùm fuit. Duar. in Com. feud. c. 6. nu. 8. P. Greg. lib. 6. ſyntag. jur. cap. 9. num. 15.

Cap. XXXIX.
De Marchionibus & Landgraviis*.

IN derivatione verbi Marchiæ mira est eruditorum dissensio. Alii à Marcomiro Francorum Duce: alii à Marcomannis eqvitatu pollentibus populis, ut Alciat. tr. de Duello cap. 32. p. 54. qvos aliqvando rerum potitos esse constat in Marchiâ Brandenburgicâ, deducunt: alii à mari: alii à marcâ dictione, qvæ fines sive limites significat. Vult. 1 de feud. 4. n. 14. alii à Marcisiâ Celtico vocabulo, qvo denotatur ala eqvitum. Verumenimverò conjecturis meris, non argumentis rem agere mihi videntur. Tutius est dicere, esse nomen græcum & corruptum: Nomarchia enim græcè dicitur provincia: unde primâ syllabâ ablatâ natum est verbum Marchia, eo ferè tempore qvo Exarchatus cœpit in Italiâ: tum enim nomina Magistratuum mutata, & plerunq; græca pro latinis usurpata sunt. Etenim Vicarius Imperatoris in Italiâ tum Exarchus est dictus: provinciæ, qvæ olim Consulares & prætoriæ erant, dici cœperunt, aut Ducatûs, aut Nomarchiæ, aut Toparchiæ, aut Catapanatæ. Ea nomina deinceps Longobardorum seculo corrupta sunt: nam Apuliæ qvædam pars à Frontone fl. ad Aufidi ripas qvæ tum dicta erat Catapanata, eò qvòd à Catapanis præfectis gubernabatur, hodie immutatis literis Capitinata dicitur; qviq; Catapanus fuerat, nunc vulgò appellatur Capitaneus. Translato Imperio ad Germanos, temporib. Henrici Aucupis, Marchiones dici cœperunt, qvi tuendis finibus Rom. Imperii præfecti. Baro lib. 2. de feud. c. 3. Danomarchiæ nomen inde est, qvod Germone Danorum rege devicto Henricus Auceps huic genti Marchiam Slesvicensem in Cimbricâ Chersoneso opposuit præsidio firma-

firmatam. Peuc. 4. Chron. p. 732. Idem contra Henetos ultra Oderam statuit Marchiam Brandeburgensem: contra Boëmos Misnensem & Landsbergensem. Id. Peuc. p. 733. Igitur Marchiones ceu præsides limitanei assiduè ad Imperii limites excubabant in armis; cumq; finium curam agerent, simul populis, qvos armis defendebant, adversus vicinos hostes jura dabant. Hodie qvatuor sunt Marchiones Imperii: Brandeburgensis, Misnensis, Moraviæ & Badensis. In Italiâ Marchiæ Tusciæ, Veronæ, Aqvileiæ &c.

Landgravii erant judices totius alicujus provinciæ: Horum qvatuor in Imperio sunt: Thuringiæ, Hassiæ, Alsatiæ, Leuchtenbergensis. De origine Landgraviorum Thuringiæ & Hessiæ v. Peuc. 5. Chron. pag. 998. & seq.

CAP. XL.

De Comitibus & Baronibus.

NOmen Comitis à comitando & seqvendo est. l. item apud Labeonem. §. Comitem ff. de injur. Turneb. 21. advers. 28. Inde Comites appellati sunt, qvi Magistratus provinciales, tanqvam negociorum publicorum adjutores, seqvebantur veluti legati. l. ἐμό-νον 10. §. ὁ περιμίπλον. ff. de excusat. tut. & judicantibus assidebant. l. pen. & ult. ff. de assessor. Alciat. lib. de sing. certam. c. 22. Comites sic dictos putat, qvòd ex comitatu Cæsaris ad regendam aliqvam provinciam mitterentur. Successu temporis factum est, ut Comitis nomen de omnibus negocio alicui præpositis usurparetur. Unde Comites sacrarum largitionum, de qvibus JJ. in C. Lazius lib. 2. Com. reip. Ro. c. 11. Turneb. 15. advers. 16. & lib.

lib. 28. c. 2 Vox **Graue** significat judicem, unde appellationes istæ in S. Rom. Imp. receptæ **Centgreue**. Knichen de jur. territorii. c. 4. n. 54. & seqq. **Greve/ Frey=greue/ Holtzgreve/ Dinggreue/ Saltzgreue**. Cujac. lib. 1. de feud. c. 1. Knichen. d. c. 4. n. 68. Comites Palatini jus dicebāt bello partis pacatisq; provinciis. Burggravii in terris ferè qvæ donatione Imperatorum accesserant Ecccleſiæ. Peuc. 5. Chron. p. 1004. Illi ipsi tamen Burggravii præfecti erant certi alicujus præsidii, ut & Burggraviatus Magdeburgensis, qvi est Electoris Saxoniæ: Burggraviatus Noribergensis à Rudolpho I. Imp. commendatus Friderico Comiti de Zollern: qvem posteri eius tenuerunt deinceps usq; ad Fridericum, qvi qvadringentis millibus aureorum Marchiam Brandeburgensem, cum dignitate Septemvirali à Sigismundo Imp. obtinuit, & ad hodiernos Electores Brandenburgicos transtulit. Peuc. 5. Chron. pag. 1172. & 1005. Hodie plures etiam dicuntur Burggravii, qvibus arcis alicujus custodia commissa est. Petrus de Andlo lib 2. de Rom. Imp. c. 12.

Comites autem dicuntur nostris moribus, qvibus dignitas Comitatûs codicillis Cæsareis, vel usu longævo acqvisita est Pet. Greg. lib. 6. Syntag. c. 8. Sigon. de regno Ital. lib. 7. n. 30. f. 175. Ex his qvidam Principium loco censentur, reliqvi suo ordine consistunt. Illi dicuntur **Gefür=stete Grauen**/ qvales olim fuêre Hennebergenses, & hodie Arnbergii. Præterea sciendum est, ex Comitum ordine qvatuor familias præcipuè in classem Comitum Imperii receptas esse, Clivenses, Sabaudicos, Cilienses, & Schwartzburgenses. Pet. de Andlo. c. 16. Münster. 3. Cosmograph. c. 18. Clivensis & Sabaudicus in ordinem Principum adsciti sunt: Cilienses extincti anno 1456. & sola adhuc Schvvartzburgensium familia in hoc erdine reliqva est.

Nunc pauca restant de Baronibus. Nomen vel à græcâ vo-

eâ voce βαρὺς est, qvòd eorum munus fuerit in ipsis Ducatibus non solùm militare, sed prudenter atq; graviter Ducibus consulere. Baro de jure beneficiorum lib. 1. c. 3. vel à βάρȣ h. e. mole vel vastitate corporis. Forcatul. de feud. c. 3. n. 7. Borch. de feud. c. 5. vel ab Hebræo Bar, qvod filium significat: vel à Latino pares, qvòd pares sint Comitib. Vult. 1. de feud. 4. n. 14. p. 62. vel à Germanico Banner/h. e. vexillo. Barones autem sunt proceres proximo post Comites nobilitatis gradu ornati. Chassan. catal. glor. mund. p. 5. consil. ult. Lancell. Conrad. in templ. om. jud. lib. 1. c. 6. Duar. de feud. c. 6. num. 8. Sunt autem dignitate omnes pares. Paurmeist. lib. 2. de jurisdict. c. pen. n. 39. qvod ex decreto Comitiorum Augustanorum anno 1548. publicato patet. & Ord. Cam. part. 1. tit. 1. Nec refert, qvòd qvidam dicuntur Semperfreyen/veluti Barones Limpurgici S. Rom. Imperii Pincernæ hæreditarii, & simpliciter Herren/vt Barones Russi: itemq; Edle Herren/ ut Comites Mansfeldii & de Lippâ: communiore etiam nomine Freyherrn/ideò fortè qvòd liberum illis sit, comitivam dignitatem suscipere. Vult. 1. de feud. c. 4. num. 14. p. 63. Atq; hactenus de secundâ classe Statuum S. Rom. Imperii: postrema seqvitur, qvæ liberarum est Imperii Civitatum.

Cap. XLI.

De Liberis S. Romani Imperii Civitatibus.

IN Germaniâ duo Civitatum sunt genera: unum earum, qvæ directo Cæsaris imperio sunt subjectæ, & dicun-

dicuntur liberæ Imperii Civitates, **Freye Keyserliche Reichsstädte**: alterum, qvæ Imperatorum beneficio principibus, retento jure superiore, commendatæ sunt, & dicuntur provinciales, **Land: oder Fürstenstädte**/ Sunt præterea qvædam Civitates, qvæ certâ lege & conventione superiorem agnoscunt, & extra pacta & conventa sua placidè libertate fruuntur. Geil. 2 obs. 54. n. fin. Ita autem definitur Civitas Imperii, qvod sit communitas directo subjecta Rom. Imperio; jus sessuræ & suffragiorum in Comitiis habens. Dico subjectam esse Rom. Imperio: exinde illius dependet dignitas: dico amplius, jus sessuræ & suffragiorum in Comitiis illi competere: qvâ in re sciendum est labi Peucerum 5. Chron. p. 948. dicentem, Civitates non ferre suffragia, nec dicere sententiam in Comitiis: Id enim qvotidianâ dictante experientiâ refellitur. Qvo pacto suffragia ferant, disserit Paurmeist. lib. 2. de jurisdict. c. 2. n. 24. Omnes autem pari jure censentur, & communi appellatione **der Frey: vnd Reichsstädte** comprehenduntur. Sed qvatuor illæ primariæ, Augusta, Aqvisgranum, Metis, Lubeca, privilegiis peculiaribus ornatæ sunt. Jurisdictionem habent in suis districtib. qvā principes, Prælati, Comites in suis provinciis obtinent. Geil. 1. de PP. c. 6. n. 11. Scip. Gentil. lib. 3. de jurisd. c. 22. Ipsę tamen Civitates Imperiales non solùm à civibus, sed à qvolibet rectè in Camerâ Imperiali immediatè conveniuntur, exceptis iis, qvæ **vermög der Außträge** in primâ instantiâ singulares judices ex privilegio habent, ut Argentina, Memminga, Noriberga, Wormatia, Geil. 1. obs. 1. n. 20. Aqvenses ne qvidem in Camerâ conveniri possunt, excepto casu denegatæ vel protractæ justitiæ, ex privilegio anno 1376. 1434. & 1570. indulto. De Appellationibus, qvæ devolvi solent à Civitatibus Impe-

rialibus

rialibus ad Cameram, vid. P. Frid. lib. 1. de processf. in fin. p. 224.

Atq; hactenus de administratione Reip. togatâ, ejusq; efficiente, subjecto, formâ, adjunctis, speciebus, & declaratione regiminis S. Rom. Imperii dixi: aggredior nunc administrationem militarem, & ex veterum Scriptorum velut hortis Sententiarum flores lego, ac intexo in libri seqventis corollas, &c.

Finis Libri V. Politicorum.





GEORGII Schönborner / Siles. Phil. & J. U. D. Consil. & Cancellarii ZOLLERINI,

Liber VI. Politicorum.

CAP. I.

De Belli notatione, definitione, fine: & rei bellicæ Scriptoribus.

Bellum κατ' ἀντίφρασιν qvasi minimè bellum dicitur. Eo enim semel exorto, nunquàm ferè pristina pax renasci solet. Regna, fatali hac concussa Erynnide, subinde bella ex bellis parturire solent: non coit societas, qvæ semel rupta est: pugnam qvippe cum Lernæâ qvadam hydrâ suscepisse videntur, cui capite uno resecto, aliud aliudq; duplicatur & accrescit. Et exploratum compertumq; habemus, omne bellum sumi facilè, cæterum ægerrimè desinere, nec in ejusdem potestate initium & finem esse. Salust. in Jugurthâ. Solet & alia adduci notatio, bellum à belluis dictum, qvòd belluarum sit non hominum, in mutuum sævire exitium. Festus

Festus. Henricus Bocerus lib. 1. de bello c. 3. n. 2. Deniq; bellum qvidam à græco βέλ@, qvod telum significat, deducunt. Connan. 9. com. jur. civ. 5. n. 1. Boer. ib.

Bellum definit Lipsius 5. pol. 3. vim & arma in principem aut populum alienum. Idem lib. 1. de mil. Rom. c. 2. Militiam definit aptam & compositam in armis, ad vim faciendam aut arcendam sub certâ lege. Althusius c. 19. pol. actionem hostilem ad injuriam propulsandam vel vindicandam, à Magistratu vi armisq; contra hostes, pacis retinendæ vel conseqvendæ causâ, legitimè susceptam & administratam. Bocerus lib. 1. c. 3. nu. 3. definit pugnam duorum exercituum, ritè prius indictam. Althusii definitionem probo, & qvæstionem adnecto: Liceátne Magistratui Christiano bellum gerere?

Negant Anabaptistæ: & cum iis Tertullianus tr. de idololatr. & Lactant. 5. Inst. divin. 22. & 29. Ajunt illi, hominis Christiani mores ad lenitatem humanitatemq; , non ad truculentiam debere esse compositos: sævum & inexplebilem in bellis esse animum, vindictæ cupidum, ἐπιχαιρέκακον & immitem: variasq; ad peccandum illecebras suppeditari: vexari innocentem, ali improbitatem, omnia rapinis, cædibus, stupris commisceri, laxatis pudoris & verecundiæ vinculis, morum sanctitatem & castimoniam profligari, patriam deniq; ex libertate in servitutem, ex florenti rerum statu in cineres redigi, adeoq; totam consumi.

Verumenimverò nihil ista officiunt, qvo minùs statuamus, posse Christianum hominem bonâ cum conscientiâ bella gerere. Rod. Goclen. in qq. Eth. q. 55. p. 338. Christianus enim non aberraverit, si & ipsius Dei manda-

tis obtemperaverit, & sanctorum vestigiis institerit, & vim truculentiorem sibi illatam defensione legitimâ averterit. Mandatum esse à Deo bellum certissimum est Exod. 17. ✠.14. Jos. 1. ✠.2. & 2. ✠.2. & 8. ✠.1. 1. Sam. 23. ✠.4. 2. Sam. 5. ✠.19. Et æternus ille rerum conditor à militiâ cognomen Dei Zebaoth, id est, exercituum hausit, atq; ideò Magistratum eâ armavit potestate, qvæ ad oppressos defendendos, invasoresq; reprimendos esset sufficiens. Rom. 13. ✠. 4.

Et qvis cunctetur proba sanctorum imitari facta? Moses, Josua, Gedeon, David, Josias, Maccabæi, exemplo præeunt: non eqvidem ultione, aut privatâ qvadam vindictæ cupiditate arma sumserunt: divino afflatu exciti, fortiter obviam iverunt hostibus, sveti adversum fortuita divinam implorare, & sentire clementiam.

Defensionis verò suiipsius qvis non rationem habeat? A Deo habemus dexteras, ut & nobis ipsis & aliis injuriâ affectis opem feramus, ut scelera è medio tollamus, ut his, qvibus vis & damnum adfertur, simus portus & refugium. Chrysost. homil. 134. in Ps. tom. 1.

Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, qvacunq; ope possent, à corpore, à capite, à vitâ suâ propulsarent. Cic. pro Mil. Qvid multis? Jura, judicia, leges, religio, omniumq; rerumpub. opes & potentia, sub militaris disciplinæ clypeo continentur: Tutiores cives facit rei militaris studium, ab improborum invasionibus: nemo qvippè audet provocare eum, aut injuriâ afficere, qvem intelligit promtum & expeditum ad defendendum. Liv. dec. 3. lib. 5.

Qvæ pro contrariâ sententiâ dici solent de bellorum incommodis, ita qvidem sese habent: Verùm si qvæ gens violenter lacessat, an illi impunè hoc futurum? an non

lateri aptabimus ensceis, ad retundendam istam violentiam? In ipsam naturam essemus injurii, si qvod naturâ nobis implantatum est, defensionem nempè negligeremus.

Finis belli est in duobus capitibus: ut mali coërceantur, & boni juventur, cap. apud veros 23. q. 1. Bocer. lib. 1. de bello cap. 6. n. 1. & ut acqviratur

Pax optima rerũ, qvas homini novisse datũ est, Sil. Ital. lib. 2. bell. Pun. nam in bello legitimo nihil aliud, qvàm pax qværitur. Cic. 1. off. c. noli 23. q. 1.

Scriptores rei bellicæ sunt vel vèteres vel recentiores. Inter veteres primo loco collocandum puto Fl. Vegetium, qvi ex commentariis Catonis, Celsi, Trajani, Hadriani & Frontini libris qvatuor complexus est Epitomen Institutorum rei militaris: atqve illis in præsenti rei militaris tractatione, plurimum me usum esse palàm profiteor. S. Julius Frontinus Stratagematicῶn libros qvatuor scripsit: Ælianus de instituendis aciebus. Cato ille major cùm & armis invictus esset, & Consul exercitum sępè duxisset, plus se Reip. credidit profuturum, si disciplinam militarem conferret in literas. Veget. lib. 2. cap. 3. Lacedemonii etiam pugnarum experimenta de eventibus colligentes, artem prçliorum scripsisse firmantur. Id. lib. 3. in prol. Horum seqventes instituta Romani, Martii operis prçcepta & usu retinuerunt, & literis prodiderunt. ib.

Recentiores scriptores illustriores sunt: Daniel Speckle Architectus Argentinensis: Wilhelmus Bellai: Jacobus Comes à Purlilien: Leonhardus Fronsperg: Lazarus Svendius: Justus Lipsius: Henricus Bocerus JC. Elias Reusnerus Med. L. Wilhelmus Dilichius: & alii.

Cap. II.

De diftributione bellorum.

BElla diftingvuntur variè, aut ratione objecti, aut finis, aut fubjecti, aut adjuncti temporis & loci. Objecti ratione bellum aliud eft cum vicinis, aliud cum remotioribus; Illud femper folet effe periculofius & funeftius. Hoc eò feliciùs cõficitur, qvò vicini funt amicabiliores, ut tutiùs per eorum regiones, fi opus fit, pateat tranfitus. Finis ratione bellum eft offenfivum vel defenfivum. Ex Subjecto, vel in causâ propriâ, vel communi. Illud eft ex caufis unam tantùm remp. concernentibus: hoc ex iis, qvæ attingunt plures. Si commune eft periculum, turpiffimum fuerit, deferere eum, cui focietatis jure obftricti fumus. Ex adjuncto temporis bellum eft vel continuatum, vel interruptum. In continuato bello hoc incommodi eft, qvòd hoftes magis magisq; ad rem militarem redduntur alacriores: & ex affiduâ armorum tractatione qvandam voluptatem capere videntur. In interrupto poffunt vires femel amiffæ recuperari: atq; hæc bellandi confvetudo Romanis utilior vifa eft. Lipf. lib. 1. de Mil. Rom. c. 2. p. 17. Ratione loci bellum eft terreftre vel navale. Terreftre plerunq; funeftius eft & magis fævum. Navale infignem apparatum navium inftrumentorumq; nauticorum reqvirit: & commeatum à terreftri diverfum, qvoad præparationem & affervationem, poftulat. Vid. Ranzov. lib. 5. com. bell. Vilior etiam ifta militia habita eft: cujus rei caufas exponit Lipf. lib. 1. de Mil. Rom. c. 2. p. 20. Deniq; bellum aliud eft externum, aliud civile five inteftinum. Cic. 5. ep. fam. 12. Externum utiq; tolerabilius eft civili. Eftq; Civile vel

Sub-

Subditorum in Principem, vel Principis in ſubditos, vel ſubditorum inter ſeſe arma capientium. V. Bocer. lib. 1. de bello, c. 4. n. 13. Lipſ. lib. 6. pol. c. 1. & 2.

Cap. III.

De Cauſis bellorum manifeſtis.

Ante omnia cauſæ bellorum probè cognoſcendæ ſunt, ut intelligatur, ſatiſne pium, tutum, glorioſum, an indecorum ſit, qvod qværitur. Mithrid. ad R. Perſ. apud Saluſt. p. 322. Cauſæ autem ſunt manifeſtæ vel occultæ. Manifeſtas appello, qvę incurrunt in oculos conſiderationemq; hominum, & plerumq; juſtiori nituntur titulo: Occultas, qvæ latent in intimis animorum receſſibus, nec ſeſe exſerunt, niſi qvibusdam ſignis. De utrisq; videbimus. Cauſam belli manifeſtam, tum in defenſione, tum in invaſione non malè collocaverimus. Qvæcunq; illa ſit, mirabilis ejus ad obtinendam victoriam ἐνέργεια eſt.

Frangit, & attollit vires in milite cauſa,
Qvæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Propert. 4. eleg. 6.

Defenſionis causâ bellum rectè ſuſcipitur, ſive peregrina qvædam gens populo Romano vim & injuriam intulerit. c. juſtum. c. Dominus, 23. q. 2. Illud eſt non modo juſtum, ſed etiam neceſſarium bellum, cùm vi vis illata defenditur. Cic. pro Mil. Defenſio autem illa vel noſtrâ vel aliorum causâ comparata eſt. Noſtrâ causâ, cùm libertatem, patriam, parentesq; armis tegimus. Saluſt. in Catil. itemq; jurisdictionem noſtram contra rebelles defendimus. Bocer, lib. 1. de bello

c.6.num.15. qvod factum anno 1522. qvo contra rusticos ἀναστατοῦντας seu seditiosos justa arma sumta sunt. Goclen.q.Eth.104.p.442. Aliorum causâ, vel injuriâ oppressorum, vel societatis vinculo nobis devinctorum arma capimus. Oppressos defendere tenemur jussu naturæ: qvæ cognationem qvandam inter homines constituit. l.3. ff.de just. & jure. Qvi non defendit, nec obsistit si potest, injuriæ, tam est in vitio, qvàm si parentes, aut patriam, aut socios deserat. Cic. 1.Off. Qvin imò fortitudo, qvæ per bella tuetur à barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena justiciâ est. Ambros. de Offic. Socios ut juvemus, ipsa fides & religio pactorum jubet. Injuriam passos (ait Arist. Rhet. ad Alex.) oportet pro seipsis arma capere, sive pro cognatis & beneficis, itemq; sociis injuriâ affectis auxiliari. De divisione & numero Sociorum pop. Rom v. Lipsium lib.2.de Mil. Rom. cap.7.

Invasio etiam licita est & justa, veluti si qvis res nostras rapuerit, clarigatione factâ invadere ditiones raptoris permissum est: Atq; hic duplicia rerum recuperandarum remedia sunt, utraq; jure gentium comprobata. Clarigatione res raptæ clarè repetuntur: nisi restitutio fiat, confugiendum est & ad arma: iis nempè, qvibus nulla nisi in armis spes relinqvitur. Liv. lib. 9. Qvòd si judicio qvispiam se sistit, arma sistenda sunt; graviter censente Archidamo apud Thucydidem lib.1. In eum, qvi jure agere & satisfacere paratus est, nefas bellum sumere, tanqvam in injurium.

Interdum etiam qvi passi sunt injuriam, non qvidem è vestigio ad ultionem se parant: sed interim, ut religione impellantur, votum concipiunt: Id veteribus plerunq; ad submissionem barbæ & capillorum directum. Tac. de Mor.

Mor. Germ. Aliis, inqvit, Germanorum populis uſurpatum, rarâ & privatâ cujusq; audientiâ, apud Cattos in conſenſum vertit crinem barbamq; ſubmittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votivum obligatumq; virtuti oris habitum. De geſtis Longobardorum Paulus Diaconus refert lib. 3. c. 3. Sex millia Saxonum, qvæ bello ſuperfuerant, devoverunt ſe neq; barbam, neq; capillos raſuros, niſi ſe de Svevis hoſtibus ulciſcerentur. Qvin illud ipſum Romani uſurparunt interdum, ut Julius Cæſar, de qvo Svetonius cap. 67. Diligebat qvoq; milites usq, adeo, ut auditâ clade Tilurianâ, barbam capillumq; ſubmiſerit, nec antè demſerit, qvàm vindicaſſet. Argivi etiam cùm pugnaſſent cum Lacedemoniis de agro Tyræo: & victi eſſent, votum fecerunt, ſe impoſterùm intonſos & calvos manſuros, nec priùs comam alituros, qvàm Tyræos recuperaſſent. Herodot. lib. 1. p. 33. Atq; interim dum eo habitu uterentur, lugentibus ſimiles videbantur. Luctûs enim indicium fuiſſe abſciſſionem comæ, diſcimus ex Curt. lib. ult. & Sveton. qvi de interitu Germanici ſcribit, barbaros qvosdam regulos barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe. Sed nunc à manifeſtis ad occultas bellorum cauſas deſcendamus.

Cap. IV.

De occultis bellorum Cauſis.

Occultæ bellorum cauſæ ſunt Ambitio & Avaritia. Ambitio qvidem una & vetus cauſa bellandi eſt. Sal. in frag. & gliſcit plerumq; in magnis animis ingeniisq;. Cic. 1. Off. Etenim illi libidinem dominandi cauſam belli habent, & maximã gloriã

in

in maximo imperio putant. Sal. in Catil. Agebat infelicem Alexandrum furor aliena devaſtandi, & ad ignota mittebat. Non contentus tot civitatum ſtrage, qvas aut vicerat Philippus, aut emerat, & alias alio loco projicit, & toto orbe arma circumfert: nec ſubſtitit unqvam laſſa crudelitas, immanium ferarum modo, qvæ plus qvàm exigit fames mordent. &c. Sen. epiſt. 94. Hanc illi ambitionem exprobrant Scythæ: Si Dii, inqviunt, habitum corporis tui aviditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet: Alterâ manu Orientem, alterâ Occidentem contingeres. &c. Curt. lib. 7. p. 167. O infelices illos, qvi jus dominandi trans maria cupiunt mittere! Sen. ep. 113. Alloqvor Te Pompeie, an ſvaſit tibi virtus an ratio, domeſtica externaq; inire bella? Non eqvidem diffiteri potes, te inſanum amore magnitudinis falſæ, modò in Hiſpaniam & Sertoriana arma, modò ad cogendos piratas, ac maria pacanda iviſſe! Qvid te in Africam, qvid in Septentrionem, qvid in Mithridatem & Armeniam, & omnes Aſiæ angulos traxit? Infinita ſcilicet cupido creſcendi, cùm tibi uni parùm magnus videreris. At Tu C. Cæſar, dic qvid in tua fata pariter ac publica te immiſerit? gloria & ambitio, & nullus ſupra cęteros eminendi modus. Sen. ep. 94. Pulchrum tibi videbatur Romæ potiùs eſſe primum, qvàm in municipio ſecundum:

Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, & fractâ de caſſide buccula pendens,
Humanis majora bonis, Juvenal, Sat. 10.

tibi

tibi visa semper sunt. Tu vero C. Mari, an solius virtutis instinctu tot appetiisti pericula, cùm Teutones Cimbrosq; concideres, cùm Jugurtham per Africæ deserta seqvereris? Tu exercitum, te ducebat ambitio. Tu Pericles, dic qvæ te causa moverit, ut funestissimũ illud Peloponnesiacũ bellũ susciperes? an non tua ambitio, pertinacia & præcellendi cupiditas? Vera hæc, nisi fallor, causa fuit: Interim, ut fieri solet, prætextûs erant, Megarensium proscriptio: exclusio à portubus, & Potidéæ obsidio. Thucyd. lib. 1. Tu deniq; M. Antoni, cur arma in Octavium induisti? en prælatum tibi Octavium furens inexpiabile contra adoptionem acerrimi juvenis suscepisti bellum! Florus lib 4. c. 4. Et qvis alloqvatur omnes? Stant longo ordine, qvi cum Polynice apud Senec. dicere non verentur, se pro regno velle patriam, penates, conjugem flammis dare. Absalonem contra patrem movit iste furor. Tullia, ut marito Tarqvinio Superbo aditum ad regnum conciliaret, paricidio redimit. Liv. Mithridates cum ipso patre bellum de dominatione gerit. Val. Max. lib. 9. c. 11. Itemq; Sariaster, qvi adversus patrem Tigranem Armeniæ regem ita cum amicis consensit, ut omnes dextris manibus sangvinem mitterent, atq; eum invicem sorberent. Val. ib. Est & in horum numero Henricus V. Imp. qvi adversus patrem nefaria arma movit. Qvid multis? non me fallit conjectura, plures futuros, qvi salutem suam negligerent, si regni adipiscendi spes affulgeret. Agrippinam imitantur, cui consulenti super Nerone responderunt Chaldæi, fore, ut imperaret, matremq; occideret: atq; illa, occidat, inqvit, dum imperet. Tac. 14. an. c. 1. in fin.

Altera belli causa occulta est, profunda cupido Imperii & Di-

& Divitiarum. Saluſt. in frag. & amplificandi imperii. Ea qvaſi venenis malis imbuta, corpus animumq; virilem effœminat, ſemper infinita & inſtabilis eſt, neq; copiâ neq; inopiâ minuitur. Saluſt. in Catil. Acerrima in eos arma movet, qvibus victis ſpolia maxima ſunt. Sal. in frag. Eo fine Semiramis arma movit in Staurobarten Indorum regem. Sennacherib Aſſyrius in Ezechiam R. Judæ: Craſſus in Parthos: Cyrus in Maſſagetas: Xerxes in Græcos: Annibal in Romanos, &c. Unde eſt, qvòd majores bellorum ſtrepitûs in regionibus auro fœcundis perſonent, maximumq; illis diſcrimen ſit, penes qvos aurum & opes præcipuæ bellorum cauſæ. Tacit. 4. hiſt. Hiſpaniam vide, an non ideò à Romanis, à Saracenis petita, qvòd fluvii illius plerîq; divites auro, qvod in plaudibus vehunt? Juſtin. lib. 44. p. 251. Gallæciam ſpecta, auro ditiſſimam, adeò ut etiam aratro freqventer glebas aureas exſcindant. Juſtin. lib. 44. p. 235. at qvæ ſtrages, qvæ cædes in eâ? Qvæ res Hiſpanos in Indos commovit? qvæ Turcas in Hungariam? an aliud qvicqvam de iis poteſt, qvàm qvod de Macedonibus Darius apud Curt. lib. 5. in pr. dicit: Occupet Gazam avidiſſima gens, & ex longâ fame ſatiet ſe auro, mox futura præda ſibiipſi. &c. Mirabitur fortè Hiſpanus iſthæc de gente ſuâ dici: at mirari deſinet, ſi qvid cum Attabalipâ geſtum, in memoriam ſibi revocaverit. Sed his miſſis ad apparatum bellicum tranſeo.

Cap. V.

De Subditis ad transactionem armorum adſvefaciendis.

Appa-

APparatus bellicus conſiſtit vel in ſubditis ad tractationem armorum exercendis: vel in curâ inſtrumentorum, qvalia ſunt pecunia, commeatus, arma ductilia, machinæ bellicæ: vel deniq; in jure clarigationum. De ſingulis videbimus.

Subditi ad tractationem armorum adſvefaciendi ſunt: Nihil enim neq; firmius, neq; felicius, neq; laudabilius eſt Repub. in qvâ abundant milites eruditi, Veget. lib. 1. c. 14. Exercitatio illa, dimicandi nutrit audaciam. Veget. lib. 1. de re mil. c. 1. nemo facere metuit, quod ſe benè didiciſſe confidit. Id. Et qvantum exercitia illa laborioſa conducant, ex illo Hippocratis lib. 2. de diætâ intelligimus: Deſidia humectat, & imbecillum corpus fluidumq; reddit: labor ſiccat, & robuſtum ſtrictumq; corpus facit. In iſto bellorum certamine exercitata paucitas ad victoriam promtior eſt, qvàm rudis & indocta multitudo, expoſita ſemper ad cædem. Veget. lib. 1. cap. 1. in fin. Eo conſilio Romani antiqvitùs etiam pacis tempore habebant armatas militias, l. 5. §. 1. ff. de re mil. in qvibus ſubditi qvotidianâ armorum tractatione ad bella ſe præparabant: armabantur, & alebantur à Rep. l. 15. C. de re mil. 12. C. 36. ut remp. ab omni bellorum neceſſitate defenderent. l. 31. in fin. C. de loc. & conduct. Eiusmodi armatas militias qvidam ſacri Rom. Imp. Principes magnâ cum laude fovent: Unde ſubditos peritiâ armorum pollere neceſſe eſt. Præterea viliùs conſtat armis erudire ſuos, qvàm alienos merçede conducere. Veget. lib. 1. c. 28.

Qvòd ſi Princeps ſibi metuit, conſurgere poſſe ſubditos adverſum ſe, non ita multos ad iſta exercitia adhibeat: iisq; expeditis arma in publicum armamentarium deponi jubeat: Deinde præfectum iis conſtituat, qvi certis temporibus iſta progymnaſmata reaſſumat:

Generatim verò illud ad Exercitationem ſubditorum

torum pertinet,ut adſveſiant labori,vigiliis, frigori & fami,&c. exemplo Romanorum,qvi ſuos ſtrictiſſimè ad armorum tractationem tempore pacis adegerunt. Ita enim de iis Joſeph. lib.3. excid. Qvod ſi qvis alium Romanorum ordinem in militiâ inſpexerit,videbit hoc grande Imperium eos habere virtutis meritum,non fortunæ beneficium. Non enim initium illis armorum, ipſum bellum eſt, nec ſolùm cùm uſus aut neceſſitas eſt,manus movent, in pace feriati, ſed tanqvam congeniti armis, nunqvam pauſam exercitii faciunt,nec exſpectant occaſiones. Meditationes autem illis ſive exercitia nihil à vero uſu fortitudinis & audaciæ abeunt; ſed qvisq; qvotidiè miles omni alacritate tanqvam à bello exercetur. Qvo fit, ut facilimè,& penè ſine laboris ſenſu pugnas tolerent. Neq; enim vel confuſio eos à conſveto ordine amovet & diſſipat, vel metus reddit attonitos, vel labor fatigatos. Seqvitur vero victoria ſemper eos, cùm in hos pugnent,qvi non pariter confirmati. Nec ſanè erraverit, qvi dixerit,exercitia eorum pugnas ſine ſangvine; pugnas exercitia cum ſangvine eſſe.&c.

Pedites diſcant arma tractare,atq; adeò vel punctim vel cæſim iis uti, & vel vim inferendo, vel declinando & excipiendo: Militarem greſſum & inceſſum, curſumq; celeriorem & tardiorem, & in eo bajulare pondus addiſcant. Veget. lib.1. de re mil. c. 19. Præterea etiam natare diſcant,more Germanorum veterum, qvi etiam armati flumina tranare ſoliti ſunt. Dio. lib. 60. pag. 675. Non enim ſemper flumina à pontibus transeuntur,

tur, sed & cedens & inseqvens natare cogitur freqventer exercitus. Veget. 1. de re mil. c. 10.

Ad hæc castra constituere & munire diligenter studeant: nam rectè munitis castris, ita intra vallum securi milites dies noctesq; peragunt, etiamsi hostis obsideat, qvasi muratam civitatem videantur secum ubiq; portare. Veget. 1. milit. 16. Discant commodùm tractare machinas bellicas, & in acie ordines & intervalla custodire, dispositosq; ordines servare, nec ultra qvàm decet conglobare vel laxare agmen. Norint tractare scutum & obliqvis ictibus venientia tela deflectere. Veget. lib. 1. c. 4. eaq; omnia qvæcunq; evenire in acie atq; prœliis possunt, in campestri meditatione prænoscant. Id.

Eqvites exercitia sua habeant, celeriter ex utroq; latere eqvum ascendere & desilire, cujus rei gratiâ, olim Eqvi lignei, hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo: Super hoc juniores primo inermes, dum consvetudine proficerent, deinde armati cogebantur ascendere. Tantaq; cura erat, ut non solùm à dextris, sed etiam à sinistris partibus & insilire & desilire condiscerent, evaginatos etiam gladios vel contos tenentes. Veget. lib. 1. Mil. c. 18. Deinde in concitatissimo eqvorum cursu vel hastam vel sclopetum gubernare discant. Dillichius part. 1. lib. 1. rei mil. p. 70. atq; inter armorum strepitus & bombardarum tonitrua posse frenare eqvum, ne dissipetur agmen. Toloz. lib. 11. c. 3. Lips. lib. 3. de mil. Rom. dial. 7. p. 141. &c. Alia exercitia periti ducis solertia suggeret.

CAP. VI.

De Pecuniâ bellorum nervo præcipuo.

QUemadmodum negant Medici, sine nervis homines ambulare posse, Petron. Saty. Ita politici, sine re monetariâ bellum. Et bellum est non in armis maximè, sed in expensis & sumtibus, per qvos efficacia arma & utilia fiunt. Thucyd. lib. 1. Militares expensæ & hostium incursiones multâ egent diligentiâ, & non possunt citra pecunias hæc agi, Imp. Justin. in Nov. 8. c. 10. §. 2. Ob nummorum defectum sæpiùs arma de manibus excutiúntur, aut frigidè tractantur. Bocer. lib. 1. c. 15. nu. 6. Solus qvod sciam Machiavellus lib. 2. discurs. de rep. c. 10. hoc vocat in dubium. Sed distinctio facienda est, causam belli principalem, qvæ in virtute est posita, & instrumentalem, qvæ nulla alia est qvàm pecunia. Junius part. 2. pol. qq. q. 73. P. Greg. Tolos. lib. 11. c. 2.

Romæ temporibus Augusti, ut perpetuò ac sine difficultate sumtus ad tuendos milites proseqvendosq; suppeteret, ærarium militare institutum est. Sveton. in Aug. c. 49. Tac. 1. an. p. 25. Centesimam, inqvit, rerum venalium post bella civilia institutam, deprecante populo edixit Tiberius, militare ærarium eo subsidio niti. Noverat enim, principi, anteqvàm inchoatur bellum, de copiis expensisq; solicitum debere esse tractatum. Veget. lib. 3. cap. 3.

Cap. VII.
De Commeatu.

NE penuria potiùs qvàm pugna consumat exercitum, providendum sedulò est de annonâ & re frumentariâ in Expeditionibus. Hoc unum & maximum sit consilium, ut tibi sufficiat victus, hostes frangat inopia. Veget. 3. Mil. 3.

Deinde reliqvis casibus potest in tempore subveniri, at pabulatio & annona in necessitate remedium non habent, nisi antè condantur.

Accedit, qvod disciplinam non potest servare jejunus exercitus. Cassiodor. 4. Var. 13. neq; miles timet, nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, & habens aliqvid in Zonulâ. Lamprid. in Alex. Et sine ferro vincitur, qvi frumentum necessariaq; non præparat. Veget. 3. Mil. 26. Qvod expertus est Cambyses, qvi decimum qvemq; militem sortiri necariq; in cibum jussit. Senec. 3. de irâ. Herod. lib. 3. Idem de Usipiis refert Tacit. in Agric. qvi eo ad extremum inopiæ venère, ut infirmissimis suorum mox sorte ductis vescerentur. Idem experti sunt Samaritani à Syriæ rege obsessi. 4. Reg. 6. Athenienses obsidione cincti à Demetrio Poliercete: Hierosolymitani à Tito Imp. & plures alii, de qvibus infrà cap. 21. Cæterùm de Commeatu & ejus supputatione vid. Ranzov. lib. 1. Com. bell. c. 9. P. Greg. lib. 11. c. 3. Dillich. p. 2. lib. 2. pag. 214.

CAP. VIII.

De Armis ductilibus.

REm militarem armis constare & viris, eleganter docet Vegetius 2. Milit. 1. Arma autem in genere dicuntur omnia qvibus noceri potest. l. 3. §. armis. ff. de vi

& vi arm. l. armorum. l. ſi calvum &c. §. rerum ff. de V. S. §. armorum. Inſt. de Interd. l. armatos ff. ad l. Jul. de vi publ. Suntq; vel ductilia, ſive portatilia, vel vectilia. Ductilia minora ſunt arma, veluti gladius, machæra, rhomphæa, enſis falcatus, acinaces, haſta, bipennis, jacula, ſagittæ, ſclopetæ minores, ſcuta: qvæ omnia milites habent qvaſi ſua membra. Sil. lib. 40.

Ac ne nocte qvidem clypeive enſésve repoſti,
Non pharetra, aut jacula; & pro membris arma fuère.

Gladius qvi fuerit Romanis, deſcribitur à Polybio: Unà cum ſcuto, inqvit, gladium imperant, qvem fert ad dextrum femur: Appellant Hiſpanienſem, habetq; mucronem eximium, & ictum utrinq; vehementem, qvoniam lamina ejus firma eſt & ſtabilis. Vid. Lipſ. lib. 3. de Mil. Rom. Dial. 3. Machæra à græco verbo μάχομαι deſcendit: eâ voce Juvenalem Sat. 7. Apulejum lib. 9. de Aſ. aur. & Plautum eſſe uſum reperio. Romphæa gladius eſt longior. Scutum, cui nomen παρὰ τὸ σκῦτος, id eſt, è loro, è qvò factum, differt à clypeo, qvòd rotundus & in orbem juſtum relatus fuerit clypeus: ſcutum in longum exierit. Lipſ. d. lib. 3. c. 2. Huc pertinent Galeæ & Loricæ. Galeam antiqvi ex ære factam, criſtis terribilem, ut loqvitur Virg. 8. Æn. habuerunt: eamq; Annibali tribuit Silius lib. 2. —— vibrant cui vertice coni

Albentis niueæ tremulo nutamine pennæ.

Et Claudianus Honorio:

Qvòd picturatas galeæ Junonia Criſtas
Ornat avis.

Cares

Cares hujus rei auctores fuisse dicit Strabo lib. 14. & Herodot. in Clio. Pulchra ea species visa est, hostiq; formidolosa. Polyb. atq; exinde descendunt tam varia familiarum insignia. De Loricis vid. Lips. 3. Mil. 6. Romani autem in bellum undiq; muniti progredi soliti sunt. Galeâ tegebant caput, loricâ pectus, totumq; clypeo corpus. Egesipp. lib. 3. c. 24. Atq; hoc modo dimicandi acriorem sumebant audaciam, cùm munito capite vel pectore, non timerẽt vulnus. Veg. 1. Mil. 15. in fin. qvâ in rę callidiores fuerunt Herulis, qvi depugnabant nudi, rati per eum modum aptiores sese & magis expeditos ad bellum fore Polyb. lib. 3. histor. Cicero pro Cæl.

CAP. IX.

De Machinis bellicis vectilibus.

MAjora arma sive vectilia sunt tormenta seu machinæ fulminales grandiores. In his notetur Inventio, Usus & Species. Inventionem Bombardarum collocant Chronologi in annum Christi 1380. sub imperium Wenceslai. A Bucholtz. Funccius. Polyd. Virg. lib. 2. de rer. inventorib. c. 11. Sabellic. lib. 9. Ennead. c. 9. P. Camer. 2. med. hist. c. 28. In Inventorem tale est Epigramma:

Dum parat humano generi Chymista medelam,
Sulphura Mulciberis dum sale mista coqvit;
Mulciber ostendit mortalibus acre venenum,
Qvo nullum letho corpora plura dedit.
Qvæ latuêre alios, Munsterus nomina ponit,

Bertholdumqve vocat nomine reqve Nigrum.

Usus harum machinarum hoc seculo notior est, qvàm ut multis describi possit. Non collocanda tamen in iis certa spes victoriæ: Interdum qvippe gladiis plus proficimus. Phil. Camer. 2. med. hist. cap. 29. f. 178.

Species harum machinarum variæ sunt, variisq; efferuntur nominibus: Chartaunen: Nachtigal: Scharffentinle: Notschlangen: Falckenetlin: Feldtschlangen: Singerin: Mörser: Scharffnetzen: Basiliscus: Petarden/etc. De his & aliis vide Lips. in libris Polioneticῶn. Vegetium lib. 4. de re mil. c. 13. 14. 15. Dillich. part. 2. de re mil. lib. 2. p. 222. Speckle lib. 3. Architecturæ c. 5. p. 102. b.

Cap. X.

De Clarigationibus.

Clarigatio est legitima belli denunciatio sive indictio: In eâ observo Necessitatem, Ritus & Instrumenta.

Necessaria omninò est belli denunciatio. Bocer. lib. 1. c. 7. n. 3. Estq; illa qvodammodò belli initium. Id. nu. 7. & monet ante Indictionem, non aperto Marti, non insidiis locum dari.

Ritûs clarigationum varios legimus. Carthaginenses cùm bello petere vellent Romanos, hastam miserunt Romam. Cælius lib. 21. lect. antiq. c. 15. Idipsum observarunt Romani, cùm bellum indiceret Latinis. Fecialis hastam ferratam aut sangvineam preustam ad fines hostiũ ferre, & non minùs tribus puberib. præsentibus dicere solebat: Qvod populi priscorum Latinorum, hominésve

nésve prisci, Latini adversus populum Romanum Qviritium fecerunt, deliqverunt, qvòd populus Romanus Qviritium bellum cum priscis Latinis jussit esse, senatusq; populi Romani Qviritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum priscis Latinis fieret: ob eam rem ego populusq; Romanus populis priscorum Latinorum hominibusq; priscis Latinis bellum indico facioqve. Id ubi dixisset hastam in fines eorum emittebat. Liv. lib.1.p.33. Halicar. lib. 2. Plutar. probl. 62. Fenestel. c.9. de sacerdotiis. Cic. 1. Off. Amm. Marcel. lib.19. Gell: lib. 16. c. 4. Alex. ab Alex. lib. 5. c.3. Bocer. de jur. belli lib.1.c.3.

Instrumenta clarigationis sunt, tum fecialis tum literæ. Fecialis, qvi & pater patratus dicitur, hodiè Herroldt/est præco, qvem Princeps mittit ad bellum hosti denunciandum, atq; is jure legatorum fruitur, & violari neqvit. De fecialibus consultis ab Cos. Sulpitio, utrum bellum, qvod indiceretur regi Philippo, ipsi nunciari juberent, vid. Liv. lib.1. dec.4.p.5.

Literæ Clarigationis Feindt: vnd Absagbrieff/eâdem de causâ per puerum mitti solent. Qvæ reqvisita illarum sint, patet ex iis, qvas protestantes miserunt ad Carolum Cæsarem anno 1546. Sleid. lib.17.p.420. Itemq; Ferdinandus Rex Romanorum, & Mauritius Elector Saxoniæ anno 1553. ad Albertum Marchionem Brandeburgicum. Sleidan. lib.25.p.637.

CAP. XI.

De Ducibus.

VErissimum est illud Curtii lib. 10. Militarem sine Duce turbam esse corpus sine Spiritu: & illud Demadis, qvi defuncto Alexandro M. exercitum Macedonum Cyclopi excæcato adæqvabat. Plut. in Galbâ; & illud Taciti de mor. Germ. Plus esse in Duce, qvàm in toto exercitu. Ipsius enim Ducis adspectu milites adversum fortuita refoveri solent. Tacit.

Ducum verò duo sunt genera. Unum, qvi summæ rei imperant, suisq; auspiciis & ductu rem gerunt: Alterum, qvi ab his constituti sunt. Lips. 5. pol. 15.

Ex posteriore Ducum genere deprehendimus, plurimis ideo belli provinciam demandatam esse, ut objicerentur periculis, & ita sub specie honoris ii, qvi aliâ viâ è medio tolli non poterant, occumberent in prælio: Eo consilio Saul Rex Israëlis Davidem belli præfecit negotiis. Joseph. 6. antiq. 11. Halicar. lib. 7. de Aristodemo à Cumanis hoc modo tractato: Proceres, inqvit, Optimatium Aristodemo infensi, & timentes ne ille in aliqvam calamitatem conjiceret Remp. videbantur sibi egregiam occasionem nacti tollendi hominis sub prætextu honestissimo &c. De Jasone Justinus lib. 42. & Val. Flac. lib. 1. Argonaut. De Perdiccâ Justinus lib. 13. De Analasunthâ Procopius lib. de bel. Goth. De Metello Livius lib. 22. De Pompejo Dion. lib. 36. De Cypselo Poliænus lib. 5. De Marco Catone Vellejus Paterculus lib. 2. & Plut in Cat. M. De Sejano Svetonius in Tib. c. 65. De Theodoro Styppiotâ Nicetas lib. 1. Manuel. Sed his missis virtutes bonorum Ducum paucis complectar.

I. Ante omnia favorem militum probè sibi concilient. Eo enim pacto & tutiores sunt ipsi; & milites ad obediendum habentur promtiores: Sic vulgò favorabilis Germanicus, ut plurimi tradunt, qvoties aliqvo adveniret, vel sicunde discederet, præ turbâ occurrentium proseqventiúmve, nonnunqvam eum vitæ discrimen adiisse. Sveton. in Calig. c. 4. Militum autem iste favor, ut largitione & ambitu malè acqviritur, ita per bonas artes haud spernendus. Tacit. 1. hist. c. 6. Potissimùm verò exercitatione corporis inter ipsos, & laboribus strenuè obeundis acqviritur. Alexander Tyrum oppugnans, cùm amplam fossam mœnibus Tyriorum adjectam superare cuperet, primus ipse Corbem arenâ refertum apportavit. Macedones cùm Regem suis manibus opus facere viderent, confestim abjectis chlamydibus celeriter loca æqvarunt. Poliæn. lib. 4. Stratag. Antoninus Bassianus Imperator nullum non militiæ munus promtè obire, & sive qvid fodiendum foret, primus fodere, sive pons flumine imponendus, aut extruendus agger, sive qvod opus manuum faciendum, aut labor subeundus, primus omnium occupare consveverat. Herodian. lib. 4. M. Porcius Cato Cos. parsimoniâ, vigiliis & labore cum ultimis militum certavit. Liv. dec. 4. lib. 4. p. 93. De Cajo Cæs. Tacitus lib. 1. an. p. 14. Militari, inqvit, vocabulo Caligulam appellitant, qvia plerumq; ad concilianda studia vulgi eo tegmine pedum induebatur. Vid. Lips. d. loco in notis n. 142. De Valerio Duce Livius lib. 7. p. 305. eleganter: Non alius, inqvit, militi familiarior Dux fuit, omnia inter infimos militum haud gravatè munia obeundo: in ludo præterea militari, cùm velocitatis viriumq; inter se æqva-

les certamina ineunt, comiter facilis vincere ac vinci, vultu eodem: nec qvenqvam aſpernari parem, qvi ſe offerret: factis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ, qvàm ſuæ dignitatis memor: & qvo nihil popularius eſt, qvibus artibus petierat magiſtratûs, iisdem gerebat. De Catone Lucanus lib. 9.

Ipſe manu ſua pila gerens, præcedit anheli
Militis ante pedes: monſtrat tolerare labores,
Non jubet.

His accenſendus Parmenio, qvi 70. natus annos, juvenis, Ducis, & ſæpè etiam gregarii militis munia explicuit, acer conſilio, manu ſtrenuus, charus principibus, vulgo militum acceptior. Multa ſine rege (Alexandro) proſperè, rex ſine illo nihil magnæ rei geſſerat. Feliciſſimo regi, & omnia ad fortunæ ſuæ exigenti modum ſatisfecit. Curt. lib. 7. p. 148.

II. Sint in re militari probè exercitati, nullumqve genus belli ſit, in qvo illos nō exercuerit fortuna. Cic. pro L. Manil. Sint ſecundarum ambiguarumq́, ſcientes, eoq́; interriti. Tacit. 1. annal. Corpus ſit patiens inediæ, algoris, vigiliæ: qvalis Caligula, Maſiniſſa, Scipio. Item Metellus, qvi in agmine in primis modò, modò in poſtremis, ſæpè in medio adeſſe, ne qvisqvam ordine egrederetur, ſolebat. Saluſt. in Jugurth. p. 110.

III. Cauti ſint & circumſpecti: nulloq́; loco, niſi qvantum neceſſitas cogat, committant ſe fortunæ. Liv. lib. 22. qvalis Corbulo, qvi teſte Dione lib. 62. p. 709. non ſolùm genere clarus, & viribus corporis, ſed etiam prudentiſſimus erat: poteratq́; cum veteribus Romanis

nis comparari: Vir magnâ fortitudine & justitiâ & fide, non modò in suos, sed etiam in hostes.

IV. Alacritatem & lætitiam fronte præsefe- rant: —— Vultu semper celante timorem Intrepidi. Lucan. lib. 10. de Jul. Cæs. sintq; secundis Temporibus dubiisqve recti. Horat. 4. od. 9. qvoniam necesse est ad fugam parati sint, qvi ducem suum sentiunt desperare. Veget. lib. 3. c. 22. Hac de re egregia est monitio Gregoræ lib 8. ut videlicet princeps (utar Virgilii verbis) Spem vultu simulet, premat alto corde dolorem: Si non tua, inqvit, at aliorum causâ, & lingvam tuam & te totum ad hilariorem habitum conformato: Imitare solertes gubernatores, qvi & adventantib. & jam urgentibus periculis tristiciam dissimulant: Nam cùm sciant spem salutis victorum omnium à suis pendére labris, eos in spem bonam erigunt & confirmant: qvamvis sæpè & mare fundo exæstuet imo: & præruptus aqvæ mons supra caput astet, & imber violentus è nubibus erumpat, & discrimen ante oculos versetur. Calluerunt hanc artem summi qviq; in re bellicâ Duces. De Papyrio Livius lib. 10. Illud, inqvit, memoriæ traditur, non fermè alium Ducem lætiorem in acie visum, seu suopte ingenio, seu fiduciâ benè gerendæ rei. Agesilaus consvefecerat se, ut qvoties in metu esset, hilaritatem præseferret, rebus contrà secundis humilis esset. Xenoph. Et Alexandri vultus interritus certam spem victoriæ militibus promisit. Curt. lib. 4. Eâdem virtute præditum fuisse refert Vercingetorigē Cæsar lib. 7. bel. Gall. Herodem Josephus, Scipionem Livius lib. 30. Tiberium Tacitus 3. annal.

V. Ne

V. Ne felicitate nimiâ patiantur fe mergi in voluptates. Curt. lib. 10. p. 254. Turpe eft, virum bellicofum, qvem non vincunt arma, fubigi voluptatibus. Ut adamas non mollefcit, nifi illinitus hircino fangvine: fic illi non priùs virilem animum exuunt, qvàm deliniti fuerint voluptatum fomentis. De Alexandro vid. disferentem Curtium lib. 6. p. 140. De Hannibale, Antiocho & Ptolemæo Phyfcone Val. Max. lib. 9. c. 1. & Seneca ep. 51.

VI. Ne fe patiantur corrumpi largitionibus: Occæcant homines munera, & à recto virtutis tramite abducunt. Deprehendimus hoc in Paufaniâ, qvem Xerxiana munera rapuerunt in transverfum: videmusq; Aratum Achæorum Ducem nonnihil deflexiffe, qvòd à Ptolemæo Philopatore R. Ægypti decem talenta dono accepiffet. Plutar. in Arato.

VII. Felicitate fint præditi. Ea fanè comes ferè confilii & rationis eft, fed tamen paulò benigniùs qvibusdam attributa à Deo. Alexander cùm plurimum virtuti debuerit, plus debuit fortunæ, qvam folus omnium mortalium in poteftate habuit. Qvoties illum à morte revocavit? qvoties temerè in pericula vectum perpetuâ felicitate protexit? vitæ qvoq; finem eundem ille, qvem gloriæ ftatuit. Curt. lib. 10. c. 5.

Illi ipfi tamen, qvibus ad votum omnia fluunt, benè ferre magnam difcant fortunam. Horat. 3. od. 27. in fin. Imponant felicitati fuæ frenos, faciliusq; illam regent: Scythæ ad Alexandrum apud Curt. lib. 7. p. 168. &c.

CAP.

CAP. XII.

De conſcribendis militibus.

IN conſcribendis Militibus tria obſervanda veniunt. 1. Modus conſcriptionis. 2. Unde conſcribendus ſit miles. 3. qvalis ſit conſvetudo.

I. Modus conſcribendi militem fit vel deliberatò, vel ex improviſo. Qvum deliberato leguntur milites, conqviſitores emittuntur, qvorum non leve eſt officium. Veget. lib. 1. c. 7. Hi publico ſigno dato, ad expeditionem milites alliciunt: allecti nomina ſua profitentur, & partem ſtipendii capiunt. Ex improviſo facienda eſt militum electio, ſicubi hoſtis impetum in urbem fecit, incautis civibus oppreſſis: Vel per pulſum campanæ, vel per ſonitum fulminalis machinæ, vel per vexillum expanſum.

II. Miles vnde legendus ſit: Hîc velim ſeqventes conſiderari regulas.

1. Fortior miles è confragoſo venit: Segnior eſt urbanus & verna. Sen. in ep.

2. Nonnunqvam ex plebe ruſticâ ſunt etiam milites non contemnendi: nam inde viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur. Cato 1. de re ruſt. c. 1. Nutritur illa ſub divo, & in labore ſolis patiens, umbræ negligens, balnearum neſcia, deliciarum ignara, ſimplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui geſtare ferrum, foſſam ducere, onus ferre, conſvetudo de rure eſt. Veget. lib. 1. c. 3. His nec labor inſolitus, nec locus ullus aſper aut arduus erit, non armatus hoſtis formidoloſus. Saluſt. in Catil.

3. Septentrionales populi, remoti à solis ardoribus, inconsultiores qvidem, sed tamen largo sangvine redundantes, sunt ad bella promtissimi. Veget. lib. 1. cap. 2. Atq; illi ipsi terræ suæ solo & cælo acriùs animantur. Tacit. de mor. Germ.

4. Dulciarii, omnesq; qvi aliqvid tractasse videntur ad gynecéa pertinens, non admittendi. Veget. lib. 1. c. 7. Namq; degenerat à robore ac virtute miles adsvetudine voluptatum. Tacit. 2. hist.

5. Opificum vulgus, & sellularii, minimè militiæ idoneum genus. Liv. lib. 8.

De qvalitate Militum hæc sunt, ut spectetur ætas, corpus, animus, mores.

Ætas sit juvenilis & vegeta. Sic juventus olim simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat. Salust. in Catil. Melius enim est, ut exercitatus juvenis caussetur ætatem nondum advenisse pugnandi, qvàm doleat præteriisse. Veget. lib. 1. c. 4. Ætatem autem in milite definiunt annis septendecim. Arist. 8. pol. 4. Gell. lib. 10. c. 28. Petrus Crinitus lib. 5. de honestâ disciplinâ c. 9. Alex. ab Alex. lib. 1. Gen. dier. Menoch. cons. 102. num. 41. & seqq. lib. 1.

Corpora Militum sint salubria & ferentia laborum. Tac. 5. hist. 2. non pingvia nimis, non staturæ infimæ. Grandes adscivit Marius, qvi senos pedes, vel certè qvinos & denas uncias haberent. Veg. lib. 1. c. 5. & Pyrrhus. Frontin. 4. Stratag. 1. Sit autem adolescens Martio operi deputandus vigilantibus oculis, erectâ cervice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachiis, venter modi-

modicus, exilior cruribus, ſuris & pedibus non ſuperfluâ carne diſtentis, ſed nervorum duritiâ collectis. Veg. lib. 1. c. 6. Olim qvi manci aut debiles erant, inhabiles ad militiam judicabantur, & nominatim ii, qvibus pollices aut digiti non eſſent. Unde is qvi filium debilitavit, ut inhabilis militiæ ſit, deportatur. l. 3. ff. de re mil. Lipſ. lib. 1. de mil. Rom. c. 4. p. 30.

Nec tantùm corporibus milites, ſed & animis præſtantiſſimi legendi ſunt. Ib. c. 7.

—— qvos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus. Lucan. lib. 1.

qvi ad ſuſpicionem vulneris non palleſcunt: verùm audaciter cruorem ſuum ſpectant: qvi legum metuentiſſimi, iidem in hoſtes audaciſſimi, & pati qvidvis minimè verentur, qvi malè audire maximè verentur. Plut. in Agid.

Deniq; in legendo milite mores apprimè ſpectandi ſunt, ne vel infames, vel ſervilis abjectíve ingenii homines eligantur. l. 4. §. adulteri ff. de re mil. l. 2. §. miles ff. de his qvi not. infam. Servi qvidem non admiſſi ſunt ad militiam. Ita enim Gratianus, Valentinianus & Theodoſius edicunt lib. 7. C. Theod. tit. 13. Inter optimas lectiſſimorum militum turmas neminem è numero ſervorum dandum eſſe decernimus, néve ex cauponâ ductum, vel ex famoſarum miniſtris tabernarum, aut ex cocorum aut piſtorum numero, vel etiam eo, qvem obſeqvii deformitas militiâ ſecernit, nec tracta de ergaſtulis nomina.

CAP. XIII.
De Luſtratione.

Lecti

LEcti milites convocari folent in certum locum, eumqve amplum & patentem: qvo explorantur mores & arma: ut utrum verè tanto operi apti fint, poffit cognofci. Veget. lib.1. c.8. Inepti rejiciuntur, cæteri de novo infcribuntur in peculiarem catalogum. Atq; hic actus probatoria militum dicitur. Bocer. lib.1. de bello c.9.n.3. à Cicerone lib.15. epift.4. Luftratio, noftris die Mufterung / fiebat olim à Tribunis. Polyb. lib.6. ex conftitutione verò Zenonianâ folus Princeps probandorum militum jus habuit. l.17. C. de re mil. l.9. C. de divers. offic. 12. C.60. Hodiè hunc actum expediunt militares Commiffarii. Receptis datur approbationis aliqvod fymbolum, videlicet vel pecunia, vel aliqvod armorum genus. Olim cingebantur Zonâ appenfo enfe l. 25. l.38.§.1. l.pen. ff. de teft. mil. tam eqvites qvàm pedites. Bocer. lib. 1. de jur. belli, c.11 n.5. qvi ibid. nu.9. ex prifco illo cingendorum militum ritu confvetudinem fluxiffe fcribit, qvâ Imperator in eqveftrem ordinem recipiens aliqvẽ, humeros ejus ftricto gladio ferit: qvâ itidẽ hodie principes & eqvites miniftris fuis perfectam ętatem adeptis, jura geftandi gladium folenniter concedunt: inflicto colapho, qvo colophonem imponunt nugis & ineptiis primæ ætatis: & fimul eum ex poteftate fuâ dimiffum declarant. Bald. in l.1.§, miles. ff. de teft. mil. &c. Ad luftrationem prætereà pertinet, ut fingulis annis, imò fingulis penè menfibus, in decedentium locum juniorum turba fuccedat: qvod nifi fiet, qvamvis copiofus exhaurietur exercitus. Veget. lib.3. c.3.

CAP. XIV.

De Receptione & Auctoratione Militum.

Miles

MIles anteqvàm recipiatur in numerum, juramento se adstringit, se Ducis imperio morem gesturum, nec fugam captaturum, nec mortem detrectaturum. Veget. lib. 2.c.5. articulosq; militares, ut vocant, strenuè observaturum. Primum namq; militiæ vinculum est religio, & signorum amor, & deserendi nefas. Senec. ep. 96. Sacramentum hoc olim fiebat pollicibus elevatis, & strictis gladiis cervicibus admotis. Livi. lib.2.& 5. dec.3. & lib.7. dec.1. Polyb. in castram. Nonius Marcel. lib.21. Jurabant in Principis salutem. Arrian. lib.1.c.14. Deo præstandum nobis jusjurandum est, qvale militibus Cæsari: At illi mercede acceptâ jurant rebus omnibus se præpositurus salutem Cæsaris. Ita milites Juliani Imp. jussi in ejus nomen jurare, solenniter gladiis cervicibus suis admotis, sub execrationibus diris, verbis jurare conceptis, omnes ꝑ eo casus, qvoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos. Amm. Marcell. lib.21. Atq; ideò Nero à milite qværit, cur oblitus sacramenti, perditum ire voluerit, in cujus salutem juraverat. Tacit. 15. annal.p.202. Hoc sacramento præstito miles habebat auctoramentum, id est, militandi in militiâ legitimam facultatem. Gell. lib.16.c.4. Solebant etiam pictis in cute punctis milites scripti & matriculis inserti jurare. Veget. lib.2.c.5. Geil. 1.de pp.c.4. nu.23. Ea verò stigmata manibus impressa fuerunt, ut latitantes hoc modo cognosci possent. Geil. 2. obs.118. nu.3. Horum Chrysostomus meminit Homil.3.in 2.ad Corinth. Sicut militibus signaculum, ita fidelibus spiritus imponitur, & si ordinem deserueris, notus omni-

 bus

bus fies. Eadem ſtigmata in manibus hydrophylacas geſtaſſe, ex l. 10. C. de aqvæductu .10. C. 42. colligitur. itemq; Fabricenſes. l. 3. C. Fabricenſ. 11. C. 9.

Ultimum ſolenne deligendorum militum eſt relatio in numeros, l. 4. l. 38. §. 1. l. 42. ff. de Teſtam. Milit. Sunt autem numeri militum certæ totius exercitûs partes, certò militum numero conſtantes, ut ſunt legiones, contubernia, cohortes, turmæ, &c. qvibus inſeruntur milites: neq; diſcedere inde ſine ſuo periculo poſſunt. l. 45. ff. ex qvib. cauſ. major.

Cap. XV.

De Diſtinctione militum & Officiariorum in Militiâ.

Diſtingvuntur milites variè. 1. In eqvites & pedites. 2. In gravis & levis armaturæ. 3. In primarios & gregarios. 4. In tyrones & veteranos. 5. In ordinarios & ſubſidiarios. Ordinarii ſunt, qvi conducuntur à principe in omnem eventum belli: Suntq; vel certis locis regni adſtricti, vel in ſuis domiciliis relicti. Illi dicuntur Stationarii: ſuntq; vel Limitanei, qvi limitibus regni tuendis diſpoſiti ſunt: vel præſidiarii, qvi ad locum aliqvem ſervandum collocantur, die in der Beſatzung liegen/vel prætoriani, qvos Princeps circa ſe habet, qvales ſunt apud Turcas Janizari. Ordinarii, qvi in domiciliis ſuis relinqvuntur, ſunt illi, qvi actu nondum militant, armis tamen expediti ſunt ad poſtulationem principis. Subſidiarii milites dicuntur, qvi ordinariis tempore neceſſitatis majoris adduntur: Suntq; vel domeſtici, vel externi. Domeſtici colliguntur ex civibus: Externi vel ex confœderatis ſive ſociis, vel ex alienigenis. Sunt prætereà externi milites vel ſpontanei, qvi ſpontè adventant, vel auxiliarii, qvi vocati. &c.

Eqvites

Eqvites præferendi sunt ratione universi belli, & respectu loci plani & expediti. Verùm in vniversum æstimanti, plus penes peditem roboris esse videtur. Tac. de mor. Germ. qvin etiam major peditum numerus sumtu & impensâ minore nutritur, Veget. lib.2. cap.1. Ex qvo intelligitur magis necessarios Reip. pedites, qvi possunt ubiq; prodesse. Id. lib.2. c.2.

Domesticum autem potiùs militem, qvàm externum legi svaserim. Major & sanctior domesticis fidei cura est: adeoq; non fortitudinem magis qvàm fidem colunt. Curt. lib.9. nempè consensu qvodam protegendi amandiq; regem conspirasse intelliguntur. Sene. 1. de clem. Patriam etiam pro cujus incolumitate pugnant, ardentiùs defendunt. Dux igitur genitos sibi milites præferat adscitis. Curt. lib.10. Qvòd si extranei omninò adsumendi sunt, cavendum ne corpus exteri faciant, sed solummodò membrum. Duces ideò circumspecti non ita externis credunt auxiliis, ut non plus sui roboris, suarumq; propriè virium in castris habeant. Liv. lib.25.

Qvid igitur, inqvis, consultúmne est externos milites auxiliarios adsciscere? Sanè non expedit: plerumqve enim externo pessundata milite regna. Auxiliares isti conducti ex diversis locis, nec disciplinâ inter se, neq affectione consentiunt. Fr. Patricius lib. 9. de rep. tit.3. Sine pudore flagitii, sine curâ ducum abeunt, fugiunt. Tac. 1. ann. non juberi, non regi amant, verùm cuncta ex libidine agere. Tac. 4. hist. imò verò omnia tanqvam externa aut urbes hostium, urere, vastare, rapere consveverunt. Tacit. 2. hist. populatores terræ, qvam à populationibus vindicare debebant, Curtius lib. 3. Sæpè etiam qvi ex-

tranei in auxilium vocantur ab incolis, insidiosè tandem fiunt illorum domini. Danéus in Aphor. pol. p. 221. Vide Gregor. Richter. ax. pol. 147. exemplis 32. hoc confirmantem. Nunc à militibus transeo ad eorum Officiarios.

Militum Officiarii sunt vel respectu totius exercitûs, vel respectu certæ ejus partis. Respectu totius exercitûs Officiarii sunt vel superiores vel inferiores. Superiores sunt: 1. Dux belli. 2. Illius Vicarius. 3. Supremus rei armamentariæ præfectus. 4. Supremus excubiarum præfectus. 5. Supremus Metator atq; mensor. 6. Supremus Commissarius sive Consiliarius. 7. Supremus ærarii Castrensis præfectus, sive Qvæstor. 8. Supremus annonæ præfectus. 9. Supremus rerum Capitalium præfectus. Inferiores sunt. Secretarius Ducis belli, eiusq; amanuenses: & Fecialis. De singulis nonnulla subjiciam.

Dux belli **der Feldherr oder Feldobrister** in re militari probè sit exercitatus, virtutibusq; qvamplurimis, pietate, temperantiâ & justiciâ ornatus. Verùm hoc loco de virtutibus Ducum disserere propositi mei non est: adumbravi qvasdam suprà c. 11. atq; eò candidum lectorem remitto.

Vicarius Ducis belli sive legatus **der general Obriste Leutenant**/ omnia jussu & nomine Ducis peragit: qvandoq; etiam Magister Eqvitum **der FeldMarschalck** exeqvi ea solet, qvæ hujus sunt muneris.

Supremus rei armamentariæ præfect9, **der obriste Zeug: oder Artoloreymeister**/ his artibus imbutus sit, necesse est: Pyroboliâ **der Feuerkunst** / Metricâ **Meß: vnd Abreißkunst** / Balistariâ **Büchsenmeisterey**/ Geometriâ: Architecturâ: & Arithmeticâ. Verbis Scriptorum rei militaris utar, ut dilucidiùs res explicetur: **die Kunst zubawen/zubrechen/beschiessen/minitren/ bestürmen/ sol jhme wol bekant seyn/ Item/ wie anfäng-**

fänglich die Lauffgräben / nachmaln die Batteryen/vnd dann die Aproschen vnd Minen gemacht/ vnd also dem Feinde seine Gewalt genommen werde. Auff wasserbawen vnd Schiffbrücken / damit ein Zeug füglich vber die Pässe möge gebracht werden / sol Er sich wol verstehen / etc. Vid. Fronspergium lib.4.p.67. Svendium in discursu mil. pag. 158. Dilichium.lib.1pag.1.p.53.

Supremus Excubiarum præfectus der Obriste Wachmeister / excubias ordinat, & educit, reliqvos inferiorum ordinum præfectos in severâ disciplinâ continet: Tesseram militarem acceptam à Magistro Eqvitum clàm distribuit: excitato tumultu, exercitui indicat, qvo locorum concertatio fieri debeat. Svendius pag.182.

Supremus Metator atq; Mensor der obriste Quartiermeister Castra locat: qvalitatem loci bènè explorat, ne qvid periculi extimescendum sit: omnia deniqve jussu Magistri Eqvitum expedire solet. Fronsp.lib.3. pag.52.b.

Supremus Commissarius sive Consiliarius peculiarem suam, ut vocant, Capitulationem habet, secundum qvam lustratio & receptio militum, stipendiorumq; exsolutio fieri debeat: præterea nervos & subsidia belli, qvâ potest industriâ, procurat: nempè munitiones, commeatus & pecuniam. Præterea Consiliarii bellici sunt vel ordinarii vel extraordinarii. Ordinarii sunt magister eqvitum, magister rei armamentariæ, & præfectus peditum: Extraordinarii delecti ex toto exercitu, nempè veterani, & qvi singulari experientiâ pollent. Fronsperg. lib.3.p.65.a.

Supremus Qvæstor der obriste Pfennigmeister pecunias conqvirit, conqvisitas asservat & disponit. Fronsperg. lib.3.p.48.b.

Supremus annonæ præfectus der obriste Proviant Meister / frumentariæ rei præest: curat qvâ ra-

tione commeatus adduci possit, & qvàm commodè distribui. Svend. pag.169. Fronsp.lib.3. p. 49. b. Dilich. lib.1.p.1.pag.29.

Supremus rerum capitalium præfectus der obriste FeldProfoß/justitiæ est administer: delinqventes coërcendos tradit præfectis justitiæ inferioribus: securitati itinerum prospicit, & ne qvid in transitu rapiant milites. Fronsp.lib.3.p.50. Svend. p. 177.

Secretarius Ducis belli, ipso nomine, qvid officii sui sit admonetur, videlicet ut secretò habeat sibi commissa. &c. vid. Fronsp.d. lib.3.p.51.

Fecialis der Herold/si qvid publicè denunciandum est, fidem & diligentiam suam probet. Id. d.loco. p.50.b. Atq; hi sunt officiarii respectu totius exercitûs.

Respectu partis in exercitu, ejusq; vel majoris, vel minoris, Officiarii sunt, qvi seqvuntur. Ratione partis majoris, vel in regimine eqvitum, vel pedestri, vel rei armamentariæ.

In regimine eqvestri sunt: Magister eqvitum der Feldmarschalck/qvi custos est disciplinæ militaris. Vid. Dilich. p.1. lib.1. p.34. Svend. p.142. Fronsp.lib.5.pr. Ejus Vicarius FeldLeutenant. Præfectus æqvitum Bevelichshaber vber die Reuterey: Eqvestris mercator der Reysigen Quartiermeister. Præfectus excubiarum: Prætor der Reuterschafft Profoß. De qvibus omnibus vide Fronsp. d.loco. Svend. p.182. &c.

In regimine peditum Officiarii sunt: Magister peditum, general Bevelichshaber vbers Fußvolck. Vicarius illius: Tribuni peditum: Decuriones die Rotmeister. Judex generalis peditũ der Regiment Schultz. ejusq; assessores: Præfectus vigilum: pedestris annonæ structor, Proviantmeister vbers

Fuß-

Fußvolck / Metator pedestris: & Executor rerum capitalium Profoß. Lixarum & Calonum ductor vber den verlohrnen hauffen / apparitor judicis: carceris custos: lictores qvi capiunt condemnatos, & in carcerem conjiciunt. Steckenknechte.

In re armamentaria sunt: Supremus rei armamentariæ præfectus, de qvo dixi paulò antè: Vicarius illius: Qvęstor armamentarius Zahlmeister. Aggeribus struendis præfectus Schanßmeister. Qvæsitor, der Artolorey Profoß. Custos der Zeugwarter / Aurigarum præpositus Geschirrmeister / Qvadrigarum sive vehiculorũ præfectus Wagenmeister: Fossorũ & Cunicularioruũ prępositus der Schanß-bauren Haubtman / Pontium magister der Brückenmeister / Præfectus machinæ fulminalis der Büchsenmeister / Nitrati pulveris custos der Pulverhütter / Chirurgus armamentarius der Artolorey Balbierer. Huc pertinent Cunicularii die schanßgräber. Atq; hi sunt Officiarii respectu partis exercitûs, & qvidem majoris.

Respectu minoris partis sunt, Officiarii cohorcum, tum in eqvitatu, tum pediatu. Cohortum in eqvitatu officiarii sunt: Præfectus eqvitum. Bevelichshaber vber ein Fehnlein Volck / Illius Vicarius: Vexillarius: Equestris diversoriorũ designator der Reysige Fuhrirer / Decuriones eqvestres. Inter pedites Officiarii cohortũ sunt: Superiores qvidem, Tribunus peditum, qvi totam cohortem gubernat: ejus Vicarius: Signifer: Ordinum structor superior der obriste Feldwebel. Inferiores ordinum structores ex veteranis eliguntur, ut in expeditione mi-

litem intra factos ordines contineant, & pulverem nitratum inter Sclopetarios diſtribuant. Seqvitur pedeſtris diverſoriorũ deſignator des Fußvolcks Führer. Ordinum ductor der Führer / Decuriones pedeſtres: Plerumq; enim decem ſclopetarii & ſimplares milites, vel ſex duplares conſtituunt unum contubernium, cui qvi præeſt, Decurio pedeſtris dicitur. Atq; hæc de diſtributione Officiorum militarium.

Cap. XVI.

De Diſtributione Exercitûs in certos ordines.

EX collectione plurium militum Exercitus eſt. l.2.§.1. ff. de his qvi not. infam. qvi ex re ipsâ atq; opere exercitii nomen recepit, ut ei nunqvàm liceret oblivifci, qvod vocabatur. Veg. lib.2.c.1.l.1.in fin.ff. de teſt.mil. Diſtribuitur autem Exercitus ſecundum conſvetudinem vel priſcam, vel novam. Priſco Romano more erant manipuli, ex iis cohortes, ex his legio tota. In legione manipuli erant triginta, cohortes decem. Gellius lib. 16. c. 4. Lipſ. lib. 2. de mil. Rom. dial.3. pag.56. In cohorte tres manipuli. Lipſ. ibid. p. 59. Legio ab eligendo appellata eſt, qvod vocabulum eorum deſiderat fidem atq; diligentiam, qvibus milites probantur. Veget. lib. 2. c.1. Romulus fecit eam trium millium, cùm ſumeret è ſingulis tribubus, qvarum tres erant ſingula millia: Exactis regibus qvatuor millium facta. Dionyſ.Halic. lib. 6. Liv. lib. 6. Stadius in not. ad Flor. lib.1.c.1. Ad qvina millia ventum in bello Hannibalis.

lis. Liv. lib. 22. A Scipione in Africam trajecturo sex millium facta. Liv. lib. 30. qvod fortè diu mansit. Nam & Vegetius lib. 2. c. 2. In legionibus, inqvit, singulis sena millia, interdum amplius militare consveverunt. Eqvites in decem turmas ab antiqvis divisi sunt. Polyb. Turma ter denos, i. e. triginta eqvites continuit. Lips. lib. 2. dial. 6. p. 63. Vegetius lib. 2. c. 14. triginta duos contentos: eumq; qvi præfuit Decurionem, qvi sub ejus curâ turmales vocatos scribit. Fœderatorum auxilia dictæ sunt optiones. Bocer. lib. 1. de bello c. 12. nu. 9.

Ex novâ consvetudine exercitus distribuitur in Regimen, eqvitum, peditum & rei armamentariæ. Regimen eqvitum secatur in cohortes & turmas, qvæ pro arbitrio Ducis & præfectorum modò plures, modò pauciores continent eqvites: Ut plurimùm tamen singulæ cohortes ducentis & qvinqvaginta vel trecentis: & singulæ turmæ qvinqvaginta constant eqvitib. Regimen peditum dividitur in cohortes & contubernia. Cohors 300. vel 400. pedites continet, interdum etiam plures pro Ducis arbitrio. Contubernium continet 10. pedites levioris armaturæ, sive simplares, vel qvinq; duplares. Regimen rei armamentariæ itidem pro arbitrio Ducis in certos ordines dirigitur, &c.

Cæterùm de universo exercitu qvædam observanda sunt. I. Nimiùm copiosos exercitus magis propriâ multitudine, qvàm hostium virtute depressos. In omni conflictu non tam prodest multitudo qvàm virtus. Veget. lib. 1. c. 8. pluribusq; casibus subjacet amplior multitudo. Veget. lib. 3. c. 1. qvod Xerxianis, Darianis & Mithridaticis copiis liqvidò demonstrari potest. Ampliùs juvat virtus qvàm multitudo.

Veget. lib. 3. c. 25. II. Nimium in exercitu ornatum non mereri laudem. Horridus miles esse debet, non cœlatus auro argentoq; sed ferro & animis fretus. Liv. lib. 9. Darius usu edoctus, ferro geri bella non auro ait. Curt. lib. 5. pr. Hujusmodi exercitum Antiochus ostentabat Annibali, sed ab eo festiviter delusus est. Macrob. lib. 2. Saturn. c. 2. qvippe illa, præda veriùs qvàm arma sunt: nitentia ante rem, deformia inter sangvinem & vulnera. Liv. lib. 9. III. Maximè providendum est, qvemadmodum sanitas custodiatur exercitûs. Id fieri solere locis, aqvis, temperie, medicinâ, exercitio docet Vegetius lib. 3. c. 2. &c.

Cap. XVII.

De Connexis Exercitûs.

Connexa Exercitûs seqvuntur: ea sunt digniora & minùs digna. Digniora sunt, artifices sive opifices omnis generis, qvos exercitui interesse expedit. P. Greg. lib. 11. c. 5. videlicet fabros lignarios, instructores, carpentarios, ferrarios, pictores: qvi arma per vehicula cæteraq; genera tormentorum vel nova faciant, vel qvassata reparent. Veg. lib. 2. c. 11. Tibicines, Cornicines, buccinatores, Veg. lib 2. c. 22. Minùs digna sunt Calones & Lixæ der Troß. Item mulieres focariæ, qvæ atteſtante Dario apud Curtium lib. 5. pr. nihil aliud sunt qvàm omera & impedimenta. Romanis perniciosissimum videbatur inesse mulierem comitatui, qvę pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessûs convertant. Tacit. 3. ann. Eo consilio Scipio ad Numantiam duo millia scortorum rejecit è castris. Flor. lib. 2. c. 18. Et Philippus Maced.

Maced. Rex bello Thebano, cùm duo Juvenes psaltriam mercede conductam in castra duxissent, re cognitâ ambos extra fines regni sui relegavit. Eandem consvetudinem temporibus Friderici I. Imp. viguisse testatur Guntherus, his versibus:

Non erit in nostris nobiscum fœmina castris,
Qvi reus extiterit, spoliis nudatus abibit
Turpiter, & naso mutilabitur illa resecto.

Atqvi ubi tale qvid hodie? Scorta secum ducunt, ut sic enerventur faciliùs.

Cap. XVIII.

De Hoste.

Objectum belli, est Hostis, cui solenniter bellum indictum est. l.118.ff.de V.S. Geil. de PP. c.4. n.7. Qvantuluscunq; ille sit, contemnendus tamen nullo modo est. Sæpè & contemtus hostis cruentum certamen edidit, & incliti populi regesq; perlevi momento victi sunt. Liv. lib. 21. Malè id cessit Xerxi, Antigono, & in universum omnibus, qvi nimiùm audaces hosti debitam derraxerunt laudem. Spineus lib.2. de tranq.animi pag.62. Qvin potiùs qvalitas illius ad amussim investiganda est. Nihil tutò in hoste despicitur, qvem spreveris, valentiorem negligentiâ facies. Curt. lib.6. Consilio autem & armis hosti obviandum est, non venenis. Pessima illorum hominum conditio est, qvi non apertâ vi, sed clanculùm nocere student, instar urticę, qvæ sine aculeis adurit, ac vulnerat solâ lanugine, soloq; cōtactu. Plin. lib.24. c.13. Sunt & belli, sicut pacis, jura, justéq; ea nō minùs qvā fortiter debes gerere. Liv. lib.5. Barbari solent inficere sagittas veneno: unde toxica

dici

dici putantur à τοξεύεσθαι, vel à taxo arbore. Mylius in hort. Phil. p. 307. Et perpetuâ infamiâ flagrat Manuel Comnenus Imp. qvòd depopulatus est exercitum Conradi Svevi Imp. submissis panibus paratis ex farinâ infectâ comminoliti gypsi tenuissimo pulvere. Peuc. lib. 4. Chron. pag. 878.

M. Aqvilius Asiatici belli reliqvias confecit, mixtis, nefas! veneno fontibus ad deditionem qvarundam urbium: qvæ res ut naturam ita infamem effecit victoriam: qvippe cùm contra fas, Deum, moresq; majorum, medicaminibus impuris in id tempus sacrosancta arma violasset. Flor. lib. 2. cap. ultim.

Hoc loco qværitur: Sitne fides hosti servanda? Qvod omninò affirmandum est: Turpissimum enim est fidem datam fallere. Bodin. 5. pol. 6. Patricius 8. de regno 10. Chassan. de glor. mundi p. 3. conf. 41. Hotom. q. ill. 7. Peck. in c. mutare consilium. nu. 5. de R. J. Fides qvando promittitur, etiam hosti servanda est, contra qvem bellum geritur. c. noli 23. q. 1. Et Ambros. lib. de offic. 1. c. 29. Liqvet, inqvit, etiam in bello fidem & justitiam servari oportere, nec ullum decorum servari oportere, si violetur fides.

Cap. XIX.

De Castrorum locatione, & ductione Exercitûs.

IN Castrametatione eligatur locus, ubi & lignorum, & pabuli, & aqvæ suppetat copia: spectetur loci salubritas:

tas: cavendum ne mons sit vicinus altior, qvi ab adversariis captus possit officere: Considerandum etiam ne torrentibus inundari consveverit campus, & hoc casu vim patiatur exercitus. Veget. lib.1.c.22. & lib.3.c.8. Interdum autem qvadrata, interdum trigona, interdum semirotunda, prout loci qvalitas aut necessitas postulaverit, castra facienda sunt. Veget. lib.1.c.23. De munitione Castrorum v. eund. lib.1.c.24. & 25. Castellan. lib.2. c.45. 47.52. Alex. ab Alex. lib.1. c.12. Dillich. part.1.lib.2. de re mil.p.195.

Rectè locatis castris, de commodâ Exercitûs ductione vel eductione dispiciendum est. Exercitum autem princeps ducit vel per suam ditionem, vel alienam: Si per suam, deprædationes omnes interdicat militibus: Si per alienam, eamq; hostilem, insidias evitare studeat, ne fortè inter prædandum opprimatur. Frontin. lib.1.c.4. Si verò per ditionem alterius cujusdam amici exercitus deducendus, exqvisitissimè milites in officio continendi sunt. De ducendo exercitu per loca angusta v. Ranzov. lib. 2. de bello, cap. 10. Castellan. lib. 2. de off. reg. cap.18.

Cap. XX.

De Excubiarum Constitutione: Tesserâ militari: & vexillis.

IN Excubiis consideranda Reqvisita & Connexa. Reqvisita sunt. I. In Excubiis tam diurnis qvàm nocturnis milites vices inter se distribuant stationum; idq; sorte & olim factum esse non obscurè innuit Virgilius:

Omnis per muros legio sortita periclum

Excu-

Excubat, exercetqve vices qvod cuiqve tuendum eſt.

Et qvoniam impoſſibile videbatur in ſpeculis per totam noctem vigilantes ſingulos permanere, ideò in qvatuor partes ad clepſydram ſunt diviſæ vigiliæ, ut non amplius qvàm tribus horis nocturnis neceſſe ſit vigilare. Veget. lib. 3. c. 8. Lucan. lib. 5.

——jam caſtra ſilebant,
Tertia jam vigiles commoverat hora ſecundos.

Qvies, inqvit, in caſtris erat, & tertiâ horâ parabant ſe vigiles ſecundi.

II. Dux curet ſubinde viſitari excubias, & ipſe etiam eas obeat; non tam diffidētiâ futurorum, qvę imperat, qvā uti militibus exæqvatus ſit cum Imperatore volentib. labor. Saluſt. in Jugurth. p. 164. Si qvi negligēter ſuo officio functi deprehenduntur, capitali ſupplicio in eos animadvertat. Nulla enim eſt negligētiæ venia, ubi de ſalute certatur. Veget. lib. 3. c. 5. Ita Epaminondas vigilem qvem dormientem invenerat, gladio transfixit. Geil. lib. 1. de pp. c. 3. n. 32. ex Plutarcho.

Connexa Excubiarum ſunt, Teſſera militaris & ſigna ſive vexilla. Teſſeram unico verbo conceptam eſſe tutiſſimum eſt, ut puta: Victoria, palma, virtus, Deus nobiscum, triumphus Imperatoris, & alia qvæcunq; voluerint dare ii, qvi in exercitu habent maximam poteſtatem. Veget. lib. 3. c. 5. Iſta vocabula qvotidiè varianda ſunt, ne ex uſu ſignum hoſtes agnoſcant. Veg. ib. Olim etiā ne milites in tumultu prælii à ſuis contubernalibus aberrarent, diverſis cohortibus diverſa in ſcutis ſigna pingebant, qvæ ipſi nominabant digmata. Præterea in adverſo ſcuto unius

uniuscujusq; militis literis erat nomen adscriptum, addito ex qvâ esset cohorte, qvâve centuriâ. Veget. lib.2.c.18.

Nunc pauca de signis sive vexillis, qvorum non tantùm excubiis, sed in universo bello usus est, subjiciam. Potissimùm apud Romanos vexillum semper fuit Aqvila. Paradin. in Symbolo:

——Cœlo Imperium Jovis extulit ales. p.206.

Præterea plura ejusmodi animalia prætulerunt, nata in pugnas aut raptûs. Plin.lib.10.c.4. Romanis, inqvit, legionibus Aqvilam C.Marius in secundo Consulatu suo propriè dicavit. Erat & anteà prima, cum qvatuor aliis Lupi, Minotauri, Eqvi, Apri, qvæ singulos ordines anteibant. Paucis antè annis sola portari in aciem cœperat, reliqva in castris relinqvebãtur, Marius in totum ea abdicavit. Minotaurus inter militaria signa relatus est, qvòd non minùs occulta esse debeant consilia Ducum, qvàm fuit domicilium eius labyrinthus. Festus & Veget. lib.3. cap.6.

In vexillis etiam nomen Principis puniceis literis inscriptum fuisse deprehendimus. Vide Dionem de Crasso in Parthos movente lib.40. Sveton. in Vesp.c.6. Assensere cuncti, nomenq; ejus vexillis omnibus sine morâ inscripserunt. Idem testatur Dion de Virginio Ruffo. Qvinetiam imagines principum habebantur innexæ signis, sed & aliorum, qvos princeps sibi velut æqvabat. Lips. ad 1. ann. Taciti n.147. ex Svetonii Tiberio.

Draconis qvoq; imaginem usurpasse Romanos, Veget.lib.2.c.13. Ammian. lib.16. Isidor. lib.17. arguunt, more tracto vel à Persis, Vopisc. in Aurel. vel Dacis, tempore belli à Trajano contra Decebalum gesto. Honorii Principis ingressum Claudian, in 6. illius Consulatu Draconibus ornat.

qvid

—— qvid fixa Draconum
Ora velint, fluitent ventis: an vera minentur
Sibila, suspensum rapturi dentibus hostem.

Signorum autem in Romanâ militiâ accurata semper cura habita est. Signiferi signo amisso virgis cæsi, securi percussi sunt. Liv. lib. 2. Lips. lib. 4. Mil. Rom. c. 7. p. 143. Si prospera esset militia, signa ornari solebant lauru, floribus, ungventis. Sveton. in Claud. c. 13. Plin. lib. 13. c. 4. Aqvilæ, inqvit, certè ac signa pulverulenta illa ac custodiis horrida inunguntur etiam festis diebus. Econtrà si malè gereretur negotium, signa horrida & incomta fuerunt. Tac. 4. hist. Revulsæ Imperatorum imagines, innexa signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis. &c.

Cap. XXI.

De Obsessionibus.

Obsidionum duæ sunt species: Una, cùm adversarius oportunis locis præsidiis ordinatis, continuis insultibus impugnat obsessos: altera, cùm vel aqvâ prohibet inclusos, vel deditionē speratâ fame, qvando omnes prohibuerit commeatûs, qvo consilio ipse otiosus, ac tutus fatigat inimicum. Veget. lib. 4. cap. 7. Munia autem tam obsidentium; qvàm obsessorum cognoscenda sunt.

Obsidentis munia hæc ferè sunt:

1. Pavorem qvocunq; modo incutiendum esse meminerit inclusis: qvod fecisse Philippum, Pelopidam & Cyrum memorat Frontinus lib. 3. Stratag. 8.

2. Eli-

2. Eliciat obſeſſos per inſidias. Frontin lib.3. c.10.
3. Diſceſſum ſive regreſſum ſimulet. Front.ib.c.11.
4. In oppugnando temerè ne qvid faciat, qvemadmodum Chaones feciſſe legimus in oppugnatione Strati Acarnanum urbis âpud Thucyd.lib. 2.p.69.
5. In ſubterraneo atq; ſecreto oppugnationum genere exqviſitâ utatur prudentiâ, Veget.lib.4.c.24.

Obſeſſorum verò munia ſeqventibus ferè monitorum cancellis incluſa ſunt.

1. Si bene inſtructi ſunt munitionibus & annonâ, fortiter obſidionem ſuſtineant, exemplo Romanorum mulierum, qvæ citiùs abſciſſos crines viris ſuis offerre pugnantibus voluerunt, qvàm ſe hoſti dedere. Veg. lib.4.c.9. Saguntini novem menſibus feſſi fame, machinisq; ferro & igne, verſâ deniq; in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum, tum deſuper ſe ſuosq; cum omnibus opibus ſuis ferro & igne corrumpunt. Florus lib.2.c.6. De obſeſſorum conſtantiâ v. Front. 3. Strat. ult. Noſtro tempore miram Conſtantię laudem meruit obſeſſa ultra triennium Oſtenda; Hæc qvantum valeret conſilio & armis, univerſo Orbi ſatis ſuperq; oſtendit. Tanta verò qvorundam Obſeſſorum fuit conſtantia, ut potiùs extrema perpeti, qvàm deditionem facere maluerint. Cretenſes obſidione Metelli ad ultimam usq; penuriam compulſi, ſuâ jumentorumq; urinâ ſitim torſerunt, juſtiùs dixerim, qvàm ſuſtentarunt; qvia dum vinci timent, id paſſi ſunt, qvod eos ne victor qvidem pati coëgiſſet. Val. Max. lib.7.c.6. Caſilinates obſidione Hannibalis clauſi, alimentorumq; facultate defecti, lora neceſſariis vinculorum uſibus ſubducta, eq; ſcutis detractas pelles ferventi reſolutas aqvâ comederunt. Ibid. Numantini humanorum corporum dapibus uſi ſunt. Val. ib. Vellejus lib. 2. Caliguritani

uxores ſuas natosq; ad uſum nefariæ dapis verterunt. Val. Max. ib. De Byzantinis à Severo Imp. obſeſſis, vid. Dion. lib. 74. p. 855.

2. Videant obſeſſi, ne premantur aqvæ inopiâ. In omnibus publicis ædificiis, multisq; privatis ciſternæ ſunt diligentiſſimè ſubſtituendæ, ut receptacula aqvis pluvialibus, qvæ de tectis effluunt, præſtent. Veget. lib. 4. c. 10. Si ſal defuerit, liqvor ex mari ſumtus per alveos aliaq; patula vaſa diffundatur, qvi à calore ſolis duratur in ſalem. Id. lib. 4. c. 11.

3. Obſeſſi præſeferant, abundare ſe in his, qvæ maximè deſunt: qvod feciſſe Athenienſes, Caſilinos, Thraces, refert Frontinus lib 3. Stratag. c. 15. Et Romani cùm à Gallis obſideretur Capitolium, extremâ famis neceſſitate preſſi, panes in hoſtes ejecerunt, ut abundare commeatibus viderentur: Hoſtes ad pactionem omittendæ obſidionis compulſi ſunt. Val. Max. lib. 7. c. 4.

4. Obſeſſi ab exordio dimenſione ſalubri per idoneos procuratores erogationem temperent. Veget. lib. 4. c. 4. Nunqvam periclitati ſunt fame, qvi frugalitatem inter copiam ſervare cœperunt. Ib.

5. Obſeſſi, ſi aliqvos civium vel peregrinorum de deditione agere deprehenderint, eos muneribus & dehortationibus potiùs delinire, qvàm vi reprimere debent. Exemplum eſt apud Polyb. lib. 1 p. 64.

6. De armis, qvibus olim obſeſſi ſe defenderunt, vide Veget. lib. 4. c. 22.

7. Hoſtibus in urbem irrumpentibus de eminentiore loco, ſaxis aliisq; generibus telorum obviandum eſt: atq; eo caſu portæ civitatis aperiendæ, ut reſiſtere deſinant, fugiendi poteſtate conceſsâ. Veget. lib. 4. cap. 25.

Cap. XXII.

De Eruptionibus Obſeſſorum.

Solent interdum obſeſſi eruptionem facere, vel ipsâ edocti neceſſitate, vel nullâ.

Si neceſſitas ſumma eſt, plerumq; felici eventu eruptiones fiunt. Clauſis ex deſperatione creſcit audacia, & cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido. Curt. lib. 5. p. 171. Ignaviam neceſſitas acuit, & ſæpè deſperatio ſpei cauſa eſt. Cæſar lib. 3. Gell. ibi. Unam eſſe ſpem ſalutis docent, ſi eruptione factâ extremum auxilium experirentur. &c. Acerrima namq; virtus eſt, qvam ultima neceſſitas extundit. Senec. 1. de clem. c. 2. Juſtinus lib. 2. de Lacedemoniis; Nihil, inqvit, erat difficile perſvadere perſvaſis mori: ſtatim arma capiunt, & ſexcenti viri caſtra qvingentorum millium irrumpunt. &c. Onoſand. c. 38. Neceſſitas enim qvædam virtutis eſt deſperatio in hoc caſu. Veget. lib. 4. c. 25.

Si nulla neceſſitas hoc ſvadeat, tutiùs eſt intra mœnia manſiſſe, qvàm temerè erupiſſe. Nullam enim iſti faciunt tam parvam jacturam, qvin eis & propter paucitatem ipſorum, & ſimul propter difficultatem recuperandi nova præſidia, longè maxima videri debeat. P. Comineus lib. 3. p. 88. Vide G. Richter. ax. pol. 126.

Cap. XXIII.

De Antecedentibus prælii, & Duello.

ANteqvàm eamus in prælium, contemplabimur primùm Dūcis ipſius præſentiā, ejusq; actiones ſive officia, in ſelectione loci & temporis pugnæ, ac inſtructione aciei, deinceps de allocutione, claſſico & ſigno pugnæ, deniq; de duello videbimus.

Ipſius Ducis præſentia exercitui plus animi, plus conſilii, plus virium addit, nam in milite unius ſors eſt, in Imperatore univerſum periculum. Egeſippus c.5. 30. Et nihil reip. damnoſius, nihil homini turpius, qvàm ſi illius fidei credatur exercitus, qvi in imperando primas in bello ſibi vendicat: ubi ad manus ventum eſt, poſt principia ſibi cavet loco, Gvevára in H. P. lib.1. c.3. Conſentiunt omnium ferè populorum ſuffragia & mores: ex qvibus nonnihil delibare placet.

Macedones ab Illyriis prælio pulſi, rege ſuo in cunis prolato, & ante aciem poſito, acrius certamen repetivère: tanqvàm ideò fuiſſent victi anteà, qvod bellantibus ſibi regis ſui auſpicia defuiſſent. Juſtin. lib.7.p. 60.

Curru Darius, Alexander eqvo vehebatur: utrumq; delecti tuebantur, ſui immemores: qvippe amiſſo rege nec poterant. Ante oculos ſui qvisq; regis mortem occumbere ducebat egregium: & ſibi qvisq; cæſi regis expetebat decus. Curt. lib. 4. Et lib. 7. p. 286. Tanta erat, inqvit, apud eos veneratio regis, ut facilè periculi, qvod horrebant, cogitationem præſentia ejus excuteret.

De Mithridate R. vid. Appianum lib. de bellis ejusdem.

De Tito Egeſipp. lib.5.excid. Hieroſolym.c.35.

Cùm Evmenes Imp. ægrotaret, exercitus pugnam detre-

detrectavit, ni lecticâ adveheretur in campum, ut ejus auspiciis ac ductu prælium inirent. Plut. in Evmene.

Bartholdi sæpè parvâ manu fuderunt Brabantinos, eò qvòd ducem non haberent: Tandem Ducem vagientem in cunis asportari jusserunt, ibi summâ alacritate triduò pugnatum est. Janson. lib. 6. Merc. Gallobelg. Est igitur Ducis eo casu præsentia in prælio valde necessaria. Nicetas de Manuele Imp. lib. 3. Studia, inqvit, Romanorum atq; audaciam æmulatio, Latinisq; præcellendi aviditas, & Imperatoris oculi, indices actorum incendebant: qvippe nemo, qvi testem habet laborum suorum Imperatorem, eos defugere solet. Sinesius lib. de regno.

Sic Scipio oppugnans Carthaginenses, hortatur, imperat, qvæ in rem sunt: qvodq; plurimùm ad accendendos militum animos intererat, testis spectatorq; virtutis atq; ignaviæ cujusq; adest. Liv. lib. 26. De Germanico Tacit. 2. ann. Qvin & Ingviomerum, inqvit, totâ volitantem acie, fortuna magis qvàm virtus deserebat, & Germanicus, qvo magis nosceretur, detraxerat tegimen capiti, orabatq; insistere cædibus, &c.

Atq; ea causa est, qvòd cum Epaminondâ qvoq; vires Reip. ceciderint. Nam sicuti tela, si primam aciem perfregeris, reliqvo ferro vim nocendi sustuleris: Sic illo, velut mucrone teli ablato duce Thebanorum, Rei qvoq; publicæ vires hebetatæ sunt: ut non tam illum amisisse, qvàm cum illo interiisse omnes viderentur. Justinus lib. 7. p. 57. Qvin & ejus Ducis præsentia petita, cujus incuriâ ipsi pereuntes peribant: Plut. in vitâ Crassi. Crassi ve-

rò, inqvit, etsi omnium eum calamitatum autorem existimarent, conspectum & vocem desiderabant tamen. Sic Varronis adventum gratum habuit populus Romanus post cladem Cannensem. Valer. Maxim. lib.3.c.4.

Dubium idcircò nullum relinqvitur de Ducis in prælio præsentiâ, præsertim si status Imperii, aut salus provinciarum vertatur in discrimine. Tac. 4. hist.

Illud ducis est probi, ut publico certamine nunqvàm nisi ex occasione aut nimiâ necessitate confligat. Veget. lib.3.c.26. Gell. lib.13. c.3. Nunqvàm miles in aciem producendus est, cujus anteà experimenta non feceris: aut inopiâ, aut supervenientibus, aut terrore melius est hostem domare, qvàm prælio, in qvo solet amplius fortuna potestatis habere, qvàm virtus. Veget. ibid. Igitur nunqvam suscipiendum prælium, nisi cùm major emolumenti spes, qvàm damni metus ostenditur. Sveton. in Aug. c. 25. Laudata illa Scipionis vox est: qvòd maluerit unum servare civem, qvàm mille hostes occidere. Hunc seqvi oportet omnes, qvi bellis præsunt. Alieno sangvini tanqvàm suo parcant, & sciant homini non esse homine prodigè utendum. Sen. ep. 89. Si tamen omninò res ita postulat, commoditas loci & temporis probè spectanda sunt.

Locus pugnæ tanto utilior judicatur, qvanto superior fuerit occupatus. In subjectos enim vehementiùs tela descendunt, & majore impetu obnitentes pars altior pellit. Veg. lib. 3. c.13. Frontin. lib. 2. c. 2. De tempore ad pugnam deligendo vid. eund. Frontin. lib. 2. c. 1. Illud cavendum, ne lassi aut confecti fame milites producantur ad prælium: operaq; danda est, ut hostem adhuc jejunum & fameli-

cum

cum allicias. Potissimùm verò qvid milites pugnaturi sentiant, investigandum est. Formido vel fiducia ex vultu, verbis, incessu, moribus cernitur: qvippe animis penè omnium hominum hoc naturaliter evenit, ut trepident, cùm ad conflictum venerint. Veg. lib. 3. c. 12. Plerumq; etiam vanis & inanibus magis, qvàm justis formidinis causis milites commoventur Curt. lib. 4. Et ut excelsiores spiritûs concipiant milites, subsidia post aciem collocanda sunt, refecta lectissimis militibus, utsicubi hostis vehementer insistit, ne rumpatur acies, provolent subitò & suppleant loca. Veg. lib. 3. c. 17. Atq; illi qvi superveniunt, terribiliores sunt hosti iis qvi in manibus sunt, & pugnant. Thucyd. lib. 5.

Cætrùm de instructione aciei vide Ranzov. lib. 3 c. 4. Leo Imp. de appar. bell. c. 18. Lips. lib. 4. de mil. Rom. dial. 6 & 7. Veget. lib. 3. c. 14. Dillich. part. 2. lib. 1. p. 273. & seqq. Bllay. lib. 2. de regim. mil. c. 3. Plurimum verò momenti est in instructione aciei: Si sapienter disponitur plurimum juvat: si imperitè, qvamvis optimi bellatores malâ dispositione franguntur. Veget. lib. 3. c. 5.

Allocutio nunc seqvitur: qvæ est cùm publicè Imperator *suos* milites affatur, eosq; vel retinet, vel impellit: retinet aliqvando nimis aut properè gestientes: impellit tarantes aut timentes: Utilis isthęc monitio: nam desperantibus crescit animus adhortatione ducis, & si nihil ipse timere videatur, crescit animus si ex insidiis vel occasione aliqvid fortiter fecerit. Ve. lib. 3. c. 9. Tunc inimicorum ignavia vel error ostendédus est, vel si anteà à nobis superati sunt, commemorandum. &c. Veget. lib. 3. c. 12. Fiebat olim ea allocutio in Tribunali, qvod è cespite subitò erigebat. Lucan. de Cæs. lib. 5. ——stetit aggere fulti

Cefpitis intrepidus vultu. Plin. in paneg. Trajani: Decora facies Confulis, multa poft fecula tribunal viridi cefpite extructum, nec fafcium tantùm fed pilorum fignorumq; honore circumdatum. De Bundvicâ regina Britanniæ Dion. lib. 6.. p. 699. Comparato exercitu ad centum viginti millia hominum, in tribunal factum ex terrâ paluftri, more Romano confcendit, fœmina proceriffimo corpore. &c. Tale igitur alloqvium erat, qvod vel approbatio, vel improbatio feqvebatur. Approbatio plerumq; per clamorem facta eft. Liv. lib. 7. vel concusfionem armorum, fic ut haftis ferirent fcuta. Amm. Marc. lib. 20. Tac. de mor. Germ. Si difplicuit fententia, fremitu afpernantur: fi placuit, frameas concutiunt. Honoratiffimum genus affenfus eft, armis laudare. Cui confentit Cæfar lib. 7. de bl. Gal. Conclamat omnis multitudo, & fuo more armis concrepat, qvod facere in eo confveverunt, cujus orationem approbant.

Allocutio finit. Claffïcum excipit. Qvoties pugnatur, & Tibicines & Cornicines pariter canunt. Veg. lib. 2. c. 22. Auditur ftridor lituum clangorq; tubarum. Lucan. lib. 1. Vide Qvinctil. lib., c. 16. Tympana pulfantur: qvorum ufus Romanis ignotus. Lipf. lib. 4. de mil. Rom. dial. 10. p. 200. Parthos ifta ufurpaffe Plutarchus in Craffo refert; & Indos Curtius lib. 8.

A Claffico differt fignum pugnæ: illud auribus, hoc oculis ferviit, & tempore claffïcum præivit. Romani cùm pugnare decreviffent, tunicam puniceam in prætorii faftigio extendebant in haftâ: ut difperfi convenirent,

ad

& ad conflictum sese præpararent. Plut. in Bruto & Fabio. Cæsar vexillum russum proposuit. lib. 2. bel. Gal. Lips. lib. 4. Mil. ult. & in not. ad lib. 1. ann. Taciti n. 137.

Nunc ad Duellum progredior, qvod plerumq; veteribus in usu ante prælii initium: Et sanè plurimum illis tribuisse plurimos reperio. Germani olim ejusmodi observationem auspiciorum habuisse dicuntur, qvâ gravium bellorum eventûs explorarunt. Tacit. de mor. Ger. c. 4. Ejus gentis cum qvâ bellum est, captivum qvoqvo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis qvemq; armis, committunt, victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur. Rittersh. in partit. feud. pag. 587. Et Alexander eo modo eventum belli adversus Darium suscepti cognovisse scribitur. P. Camer. 2. med. 19. Longobardi qvotiescunq; deesset probatio, judici per duellum fidem faciebant. Alciat. lib. de duello c. 4. pr. Et in Daniâ olim Fronto Rex legem tulit, ut omnes controversiæ duello definirentur: qvod adhuc in Moscovia usitatum esse refert Bodinus lib. 4. de Rep. c. ult. Exemplum controversiæ per duellum decisæ adducit Cujac. ad tit. 4. 1. Feud. Hotom. ill. q. 3. Borcholt. c. 7. n. 50. de feud. Tiraq. de jur. prin. q. 40. Grammaticus decis. 1. n. 24. Verum enimverò qvàm maximè improbanda est hujus probationis species, c. consuluisti 2. q. 4. fieri enim facilè potest, ut vincatur is, cujus causa justissima est. c. significantib. ext. de pugnâ vulgari. tametsi evenire soleat, ut eventus belli, velut æqvus judex, unde jus stat, ei det victoriam. Liv. lib. 21. Duellum verò illud qvod ob patriæ salutem suscipitur, omninò licitum est. Ferdinand. Vasq. 1. contr. ill. 49. qvale fuit illud Davidis cum Goliatho 1. Reg. 17. Vasq. ibid. nu. 18. Cujusmodi etiam est, qvòd miles permissu ducis, cum milite hostis ob bonum publicum

æqvis legibus instituit, Alciat. lib de duello.c.3. Alia ratio est in Duce, qvi si ab hoste ad singulare certamen provocatus fuerit, temerè se sistere non debet. Castellan. lib. 2. cap. 29. ne si occubuerit, animum despondeat exercitus. Qvapropter Carolo V. vitio verti non potest, qvòd Francisco Galliarum Regi provocanti non comparuit. Sleidan. lib. 6. p. 124. Cæterùm hoc loco observatu dignum est, provocatorem plerumq; à provocato vinci. Ita vincit David Goliathum: Manlius Torqvatus Gallum: Romulus Acronem: Heraclius Imp. Cosroën R. Pers. & multi alii provocatores suo exemplo docent, non satis feliciter sibi istud cessisse.

Cap. XXIV.

De Actu Prælii.

IN ipso prælio inconditos qvosdam clamores, tum in hostium terrorem, tum in suorum incitamentum, à variis populis fieri planum est ex historiis. Inde pauca depromam.

Macedonum clamore, inqvit Curtius lib. 3. ingens fit victoriæ initium: qvia fortiores videntur, qvi provocare non dubitant, & plus animi est inferenti periculum, qvàm propulsanti. Lips. lib. 4. Mil. dial. 11. in fin. Germani (antiqvitùs) in prælium ituri, altâ voce canunt. Tac. de mor. Ger. c. 1. Sunt illis hæc qvoq; carmina, qvorum relatu, qvem Barditum vocant, accendunt animos, futuræq; pugnæ fortunam ipso cantu augurantur.

Persæ idipsum facere soliti sunt. Diod. Sic. lib. 17. Amm. Marcel. lib. 24. Curt. lib. 3. Jam in conspectu, inqvit, sed & extra teli jactum utraq; acies e-

rat, cùm priores Persæ inconditum & trucem sustulere clamorem. Sic & Israëlitæ cùm occupati essent in oppugnando Hierichunte, ex mandato Dei clamorem ingentem fecerunt. Josuæ 6. ℣. 20. 2. Mac. 12. v. 15.

De Turcarum horribili ululatu in initio prælii vid. P. Camer. 1. med. hist. c. 77.

De Romanis Gellius lib. 1. c. 11. Qvid ergo, inqvit, ille vult ardentissimus clamor militum Romanorum, qvem in congressibus præliorum fieri solitum scriptores annalium memoraverunt? Illius etiam meminit Vegetius lib. 3. c. 18. & Salust. in Jugurthâ pag. 122. Et qvod magis est, de eventu pugnæ ex clamore judicarunt: Ita enim Livius de conflictu Volscorum & Romanorum lib. 4. Clamor, inqvit, indicium primum fuit, qvo res inclinatura esset, excitatior, crebriorq; ab hoste sublatus: ab Romanis dissonus, impar, segnis, sæpè iteratus, prodidit pavorem animorum. Nec tantùm clamore Romani sunt usi, sed strepitu etiam & concussione armorum. Polyb. lib. 1. & 12. Dion. lib. 36. & 47. Amm. Marcel. lib. 14.

In actu prælii interdum capiendum consilium ex tempore: qvippe minimè omnium bellum ex decretis procedit, sed ipsum ex se multa invenit, & ut res sunt natæ. Thucyd. lib. 1. qvale cœpisse legimus Scythas pugnantes cum exercitu Joan. Comneni apud Nicet. cap. 4. Omnes currûs in orbem conjunxerunt, iisq; non exiguâ suarum copiarum parte impositâ, pro vallo sunt usi, ac multos obliqvos aditûs platearum instar in iis reliqverunt &c.

Plurimum enim in præliis potest celeritas: arripienda occasio est, qvę in bello solet amplius juvare qvàm virtus. Veget. lib. 3. cap. 26. ne detur spatium perterrefactis

refactis hostibus sese rursus colligendi: atq; omninò si fieri potest, acies hostium turbanda est. Frontin. lib. 2. c. 4. Julius Cæsar tantam sibi apud suos auctoritatem, tantam apud posteros famam conciliavit μηδὲν ἀναβαλλόμενος:

Nil actum credens, si qvid superasset agendum.

Lucan. Id est viri & Ducis, non deesse Fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium. Liv. lib. 28.

Præterea Dux cohibeat primum impetum Militum: qvemadmodum scribitur Marius contra Cimbros militem tenuisse in castris, donec invicta ea rabies & impetus, qvem pro virtute barbari habent, consenesceret. Flor. lib. 3. c. 3. Temeritas enim ubi primum impetum effudit, sicut qvædam animalia omisso aculeo, torpet. Curt. lib. 4. Deinde in actu prælii omnes milites incedendi ordinem servent: ut æqvali legitimoq; spatio miles distet à milite. Veget. lib. 1. c. 26. nec ultrà qvàm expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Ib. Qvòd si trepidæ apparent res, major sumenda est audacia. Infirmi ingenii est, lapsu aliqvo, summæ rei diffidere, cùm exiguis momentis subito inclinentur omnia qvæ in bello geruntur. Egesipp. lib. 4. c. 2. In rebus asperis, & tenui spe, fortissima qvæq; consilia tutissima sunt. Liv. lib. 25. Plurium qvandoq; præliorum eventus inter initia contra illos magis fuit, qvibus victoria debebatur. Veg. lib. 3. cap. 25. Atq; eo casu incitandi sunt militum animi consilio, manu, voce. Tac. 3 hist. exemplo Cæsaris, qvi teste Lucano lib. 7.

Verbere conversæ cessantes excitat hastæ.

Atq.

Atq; hactenus de præliis nonnulla signasse sufficiat: Nunc ad præliorum conseqventia animum, qvàm paucissimis potero, convertam.

CAP. XXV.

De Conseqventibus Præliorum.

PRæliorum conseqventia hæc ferè sunt, qvæ seqvuntur.

1. Militum vulneratorum cura habenda est. Ranz. lib. 3. cap. 14. Præit suo exemplo Trajanus Imp. qvi qvoties deficerent ea, qvibus vulnera militum obligarentur, fertur ne vesti qvidem suæ pepercisse, qvin etjam discidisse ad obliganda vulnera militum: cæsisq; in prælio statuisse aram, & qvotannis parentari jussisse. Dion. lib. 68. p. 775. Sic & Metellus saucios cum curâ refecit: meritis in præliis more militiæ donat: universos in concione laudat, atq; agit gratias, hortatur ad cætera, qvæ levia sunt, parem animum gerant pro victoriâ, satis jam pugnatum, reliqvos labores pro prædâ fore. Salust. in Jugurh. p. 11.

2. Cadavera cæsorum terræ mandanda sunt. P. Camer. 2. med. hist. c. 64. ex insepultis enim cadaveribus magna morborum seges pullulat. Atq; hæc res Alexandrum movit, ut ingruentibus morbis, qvos odor cadaverum totis jacentium campis vulgaverat, maturiùs castra moverit. Curt. lib 5. In clade Cannensi pons de cadaveribus jussu ducis factus in torrente Gello. Flor. lib. 2. c. 6.

3. Obtentâ victoriâ cohibendi sunt milites, ne

cito

citò nimis diffundantur in prædam. Sæpè enim obſtitit vincentibus pravum inter ipſos certamen, omiſſo hoſte, ſpolia conſectandi. Tacit. 4. hiſt. cujus rei documentum eſt miſerabilis illa Chriſtianorum ſtrages ad Agriam Hungariæ anno 1596.

4. Fuſi hoſtes non nimis longè inſeqvendi ſunt. Caſtel. lib. 2. cap. 28. nec temerè hoſtibus occludendæ ſunt viæ, qvò faciliùs deleantur fugientes. Nam clauſi licet exigui numero, & infirmi viribus, hoc ipſo tamen ſunt hoſtibus pares, qvia deſperantes ſciunt aliud ſibi licére non poſſe, ſed

Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem. Virgil. 2. Æn. Veget. lib. 3. c. 21. Frontin. lib. 2. c 6.

5. Qvicunq; eventûs fuerint, colligendi ſunt ſuperſtites bello, erigendo adhortationibus congruis, & armorum inſtauratione refovendi. Veg. lib. 3. c. 25. dubiorumq; animi in fide retinendi ſunt. Exempla vide apud Frontin. lib. 2. c. 11.

6. Cùm inſperata accidant magis ſæpè qvàm qvæ ſperes. Plaut. in Moſtell. adverſa iſta qvæ incidèrunt diſſimulanda ſunt. Exempla vide apud Frontin. lib. 2. cap. 7. Saluſt. in Jugurth. p. 118. Res, inqvit, humanæ ita ſeſe habent, in victoriâ vel ignavis gloriari licet: adverſæ res etiam bonos deterrent. Tum demum religione incenduntur hominum animi: neglectisq; rebus omnibus iratum numen reconciliare ſtudent.

Tanta adeo cùm res trepidæ, reverentia divûm
Naſcitur. Sil. Ital. lib. 7. bel. Pun.

Cap. XXVI.

De Conſiliis bellicis directis.

Ad

AD bellum fructuosè gerendum & Senibus qvi consultant, & Juvenibus strenuis qvi dereta perficiant opus est. A. Gvevára lib. 1. H. P. c. 8. Qvid enim sine consiliis omnes isti bellorum apparatûs? fumus: qvid viri? funus. Lips. 5. pol. 16. Difficulter vincitur, qvi verè potest de suis & adversarii copiis judicare, Veget. lib. 3. c. 26. Qvinimò plerumq; consilium plus expedit rebus bellicis, qvàm arma: qvod vel Aqvilæ docet exemplum, qvæ commissura cum hoste Cervo, priùs in pulvere volutat se, deinde cornibus insidens cervinis, pulverē pennis collectum in oculos spargit, alis ora verberans, donec excœcatum in rupes det præcipitem. Paradin. in symb. Heroic: Ardua deturbans vis animosa qvatit. pag. 90 ex Plinio. Consilia autem ista occultissimè habenda sunt: Dux bonus, ad exemplum Caroli V. qvid fieri velit, tractet cum multis, qvid verò facturus sit, cum paucissimis ac fidelissimis, vel potiùs ipse secum. Veget. lib. 3. c. ult. Imitetur Metellum, qvi si consilii sui interiorem tunicam consciam esse sensisset, continuò eam cremari jussisset. Val. Max. lib. 7. c. 4. Nulla consilia meliora sunt qvàm illa, qvæ ignoravit Adversarius, anteqvàm facias. Id. lib. 3. cap. 26. Exempla vide apud Frontin. lib. 1. c. 1. & lib. 4. c. 7. Hostium verò consilia, ad amussim, si fieri potest, exploranda sunt. Id Scipionem, Q. Fab. Max. Carthaginenses, & alios complures fecisse, refert Frontinus lib. 1. Stratag. c. 2. Tuum verò consilium cùm adversariis proditum cognoveris, dispositionem mutare te convenit. Veget. lib. 3. cap. ult.

CAP. XXVII.

De Stratagematis.

Qværi-

QUæritur: An Stratagematis uti gloriosum & honestum sit? Negatur à plerisq;.

1. Ajunt ista esse bonæ fidei è diametro contraria: Virum sanctum & sapientem scire veram esse victoriam, qvę salvâ fide & integrâ dignitate pareretur. Flor. lib. 1. c. 12. qvin imò aperta odia armaq; palàm depelli: fraudem & dolum obscura, eoq; inevitabilia. Tacit. 4. hist. nu. 37. Et Salustius, Hostem, inqvit, adversum deprimere, homini strenuo haud difficile est: occulta pericula neq; vitare neq; facere bonis in promtu est.

2. A plerisq; populis vili ea habitu & viro gravì indigna. Achæis qvippe hostes suos fraude circumvenire nefas esse visum est: censentibus neq; splendidam, neq; firmam ullam victoriam, nisi qvis palàm & ex condicto depugnans, animos qvoq; dejecisset adversariorum. Polyb. lib. 13. Sic & Divico legatus Helvetiorum ad Cæsarem missus ait de Helvetiis, eos ita à patribus majoribusq; suis didicisse, ut magis virtute, qvàm dolo contenderent. Cæsar lib. 1. p. 8.

3. Idq; eò studiosiùs eos curasse, qvantò decentius esse judicarunt viro, non fraude, neq; occultis, sed palàm & armatum hostes suos ulcisci. Tac. 2. ann.

4. Qvinimò illa ipsa ad plenam victoriam parum efficacia censeri, qvandoqvidem insurgant faciliùs, qvi eo pacto subacti: non virtute sed occasione, & arte ducis victos se rati. Tac. in Agric.

Verumenimverò potior eorum sententia est, qvi Stratagematibus in bello plurimùm tribuendum esse existimant. Nam & Deus ipse mandavit Josuæ, ut civibus Acmiticis strueret insidias. Jos. 8. ℣. 2. Et Davidi ut à tergo adoriretur Philistinos. 2. Sam. 5. ℣. 23. Qvin imò laudabilius est astu & calliditate hostes superare qvàm vi apertâ;

Et

Et Lacedemonii cùm stratagemate hostem superassent, bovem Marti sacrificarunt, cùm vi apertâ gallum: cujus rei rationem reddit Plutarchus in institutis Laconicis: qvòd ita vellent assvefacere Duces, ut non modò bellicosi essent, sed etiam calliditate, qvæ in Impp. reqviritur, ad Stratagemata pollerent. Cragius lib. 3. de rep. Lac. c. 15. Atq; ideo boni Duces non aperto Marte prçlium, in qvo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, ut integris suis, qvantum possunt, viribus, hostes interimant, certè vel terreant. Veget. lib. 3. c. 9. Et qvacunq; ratione hostilibus obviare conatibus permissum est: Nihilq; ad justiciam interest, cùm justum bellum susceperis, utrum apertâ pugnâ vel insidiis vincas. c. Dominus 23. q. 2. Machiavel. lib. 3. disput. c. 40. Nullo discrimine virtutis an doli, prosperi omnes laudantur bellorum eventûs. Amm. Marcel. lib. 17. Et sicut nihil interest, qvomodo captivus reversus sit, utrum dimissus, an vi vel fallaciâ potestatem hostium evaserit. l. 26. ff. de captivis: ita nihil refert, dolum vel vim in oppugnando hoste adhibeas. Idq; secundũ jus ratiocinationis gentium, cujusq; etiam barbaræ Reip. interest, ut hostium suorum vires qvocunq; modo frangantur, minuantur, enerventur. Costalius ad l. 5. ff. de just. & jur.

Nec officit, qvod paulò ante dictum est, bonæ fidei ista esse contraria. Istud dari potest de privatis simultatibus: aliud verò est in bellis: nam dolus an virtus qvis in hoste reqvirat? Et cùm res militaris tota dependeat ex consiliis, qvis neget Stratagematibus maximam eorum partem accepto referendam esse? Omnis militaris prudentia laudem meretur: cur non & Stratagemata, in qvibus flos istius prudentiæ svavem odorem emittit? Qvin imò illi, qvi calliditate adversariorum suorum subacti sunt, ipsius naturæ

ductu intelligunt, sed illis subesse debere, qvos naturæ donis & artis præsidiis ad gubernandum conformatos, & qvodammodò divinitùs evectos cognoscunt. Cæterùm de Stratagematis vide Poliænum, Frontin. Reusner. Valer. Max. lib. 7. c. 4.

Cap. XXVIII.

De Consiliis bellicis minùs acutis.

PRæter Stratagemata sunt & aliæ inventiones bellicæ, in hostium perniciem directæ, qvales sunt qvæ seqvuntur.

1. Procuratio dissidiorum & seditionum in exercitu hostili. Nulla enim qvamvis minima natio potest ab adversariis suis perdeleri, nisi propriis simultatibus seipsa consumserit. Veg. lib. 3. c. 9. Et nihil præstare magis fortuna potest, qvàm hostium discordiam. Tac. de mor. Ger. Qvibus hoc mediis fiat, docet Ranz. lib. 2. c. 14.

2. Exploratio vel per proprios homines, vel per captivos, vel per occultas epistolas. Qvæ per proprios homines fit, cautione summâ peragi debet, ne si intercipiantur illi, consilia nostra emánent. De modo examinandi captivos, ut secreta prodant, vide Ranz. lib. 2. c. 4. Qvæ per occultas epistolas fieri solet exploratio, itidem summâ prudentiâ fieri debet. Varia hujus rei apud priscos deprehendimus vestigia. Andronicus tabellariorum vestibus insuit literas. Gregoras lib. 9. Siculi bacillis usi. Nic. Olaus in Attilâ c. 18. Romani columbis. Lips. 2. Sat. 6. Jul. Cæs. lacte tithymali. Plin. lib. 26. c. 8. & mutatione sitûs literarum. Gell. lib. 17. cap. 9. Harpagus exenterato lepore. Herod. lib. 1. Poliæn. lib. 7.

lib. 7. Histiæus servo raso. Herod. lib. 5. De Lacedemoniis vide Gell. lib. 17. c. 9. & Athen. lib. 10. c. 17.
3. Missis corruptoribus exuendam ad fidem hostes emercari expedit. Tac. 12. ann.
4. Duces hostium apud suos in suspicionem adducendi sunt. Sic Hannibal suspectum conatur facere Romanis Q. Fabium: Archidamus Atheniensibus. Periclem. &c.
5. Proditio procuranda est hostilis exercitûs. Front. lib. 3. cap. 3.
6. Insidiæ struendæ sunt, qvibus hostis ex improviso percellatur. Danda est opera duci, ut hostem obruat imparatum cibum capientem, ex longo itinere lassum, eqvos pascentem, ac nihil tale cogitantem Veget. lib. 3. c. 22. His delectatum Romulum Q. Fab. Max. Sempron Gracchum, & cæteros tradit Front. lib. 2. Stratag. c. 5. De Hannibale v. Val. Max. lib. 7. c. 4.
7. Interceptioni etiam vel militum vel commeatûs studendum est. Ranz. lib. 2. c. 15.
8. Mora deniq; vel ad hostem eludendum, & occasionem rei benè gerendæ ei præcidendam, vel ad premendum fame adhibenda est. Multa bella impetu valida per tædia ac moras evanuerunt. Tac. 2. hist.

Festinare nocet, nocet & cunctatio sæpe:
Tempore qvæqve suo qvi facit, ille sapit.

Myl. in horto Philos. p. 96. Plin. lib. 16 c. 25. Morus novissima omnium germinat, & tamen parit inter primas: ita qvi tempus idoneum operiuntur rei conficiendæ, etiamsi seriùs cœperint, tamen maturiùs conficiunt. Plin. lib. 15. cap. 24.

Cap. XXIX.

De Disciplinâ Militari: & de delictis Militum: eorumq; pœnis.

PRæcipuum decus & stabilimentum Imperii est militaris disciplinæ tenacissimum vinculum. Val. Max. lib. 2. c. 7. qvæ antiqvior fuit parentibus Romanis, qvàm caritas liberorum. lib. 19. de capt. & postl. reverf. Illa sanè acriter retenta principatum terrarum Romano Imperio peperit. Val. d. loco. Igitur omnibus imperii nervis Duces ad revocandam pristinæ militiæ disciplinam conniti, omnes culpas militares legibus vindicare, nulliq; errantium ignoscere debent. Veg. lib. 3 c. 10. exemplo eorum, qvi plurimum eorum in re bellicâ potuerunt.

Tiberius inter eos potissimam disciplinam acerrimè exegit, animadversionum & ignominiarum generibus ex antiqvitate repetitis. Sveton. in Tib. cap. 19.

Bellisarius rusticorum tantam curam habuit, ut in ducendo exercitu, neminem eorum violari, nemini inferre damna pateretur: ne poma qvidem ex arboribus pendentia milites sui attingere audebant. Aretin. lib. 3. de bello contra Goth. pr. qvem hâc in re nostro tempore in expeditionibus Hungaricis imitatus est laudatissimus heros Comes Schwartzenbergicus.

Totilas agrorum cultoribus per omnem Italiam mali nil qvicqvam intulit, sed terram vt intrepidè colerent, nil seciùs ut anteà imperavit, sibiq; ac reip. tributa dependerent, & fructus domini reportarent. Procop. lib. 3. de bello Gothico. Possent testimonia veterum de aliis maximè strenuis disciplinæ militaris assertoribus adduci, veluti Iphicrates apud Prob. pag. 699. Aureliani Imp. Pescennini Nigri apud Æl. Spartian. &c. Sed ad coërcitionem militarem deflectimus.

Pœnæ militares considerantur in militibus vel singulis, vel universis. In singulis militibus pœnæ olim erant

rant non capitales, qvædam verò capitales, qvibus vita adimitur. Illarum loco habeo, fustuarium, missionem sangvinis: & missionem ignominiosam.

Fuste percussi milites hoc modo: Fustem capiens Tribunus condemnatum leviter tangebat, qvo facto, omnes ferientes, alius fustibus, alius lapidibus, plerumq; subsecuta inde mors est. Fustes illi ex vite fuerunt, aut aliâ materiâ: qvi ex vite, reservati sunt civibus. Liv. lib. 17. Plin. lib. 14. c. 1. Myl. in horto Philos. pag. 50. Patricius lib. 3. de regno. tit. 4. in fin. p. 168. & lib. 7. tit. 1. p. 427.

Sangvinis missio ita fiebat. Moris erat jubere ignominiæ causâ militi venam solvi, & sangvinem dimitti. Gell. lib. 10. c. 8. qvid ita? an ideò (qvod placuit Gellio) hoc factum in militibus stupentis animi, & à naturali habitu declinatis, ut non tam pœna, qvàm medicina videretur? an, qvod probat Muretus lib. 13. var. c. ult. ut sangvinem, qvem cum gloriâ fundere pro patriâ noluerant, eum cum ignominiâ amitterent? an verò nota fuit meritæ & ultimæ animadversionis, cum clementiâ remissæ?

Missionem ignominiosam experiebatur, qvi ob delictum solvebatur militiâ. l. 2. §. 2. ff. de his qvi not. inf. Huc pertinet Exauctoratio, qvæ est detractio militarium insignium. Ita Severus Imp. milites petulantes Zonis vestimentisq; exutos militaribus nudos dimisit. Herodian. in vitâ Severi.

Aliæ etiam militares ignominiæ huc referendæ, veluti si qvis castris excedere jussus esset. Liv. lib. 10. Val. Max. lib. 2. c. 7. Ita Corbulo apud Tacit. 13. ann. præfectos militésq; tendere omnes extra vallum jussit. Si qvis stipendio privaretur. Val. d. loco. Frontin. lib. 4. c. 1. Si militibus hordeum daretur pro tritico. Dion. lib. 49. de Antonio. Liv. lib. 27. de Marcello. Sveton. c. 23. de Augusto. vid. Veget. lib. 1. c. 13. Idem Augustus discinctos

 stare

ftare juffit. Sveton. c.24. Julianus amictos vefte muliebri ftare juffit, ratus militibus, qvi viri effent, eam pœnam graviorem morte futuram. Zofimus lib.3.

Capitales pœnas nunc attingam paucis, primùm qvibus ex caufis illæ irrogatæ, deinde qvib. modis.

Ac primo fciendum eft, capite puniri Defertores. l. non omnes.5.§. defertor. l. qvi excubias. 10. in pr. ff. de re mil. Liv. lib.24. Sveton. de Augufto c. 24. Centuriones ftatione defertâ, itidem ut manipulares capitali animadverfione puniit. Deinde qvi in acie prior fugam fecit, propter exemplum capite punitur. l 6. §. qvi in acie: de re mil. Sic Lacedemoniis probrofa fuit fuga ex acie: manentes in ordine aut vincebant, aut occumbebant. Herodotus lib.7. Cragius lib.3. de rep. Lac. c. 11. De aliis pœnis, qvibus Lacedemonii affecêre milites ignavos vid. Plutar. in Agefilao. Apud eosdem clypeum abjicere, pro ignominiofiff. eft habitum. lb. P. Cam. 2. med. hift. 29. Et apud Germanos fcutum reliqviffe, præcipuum flagitium: nec aut facris adeffe, aut concilium inire ignominiofo fas: multiq; fuperftites bellorum infamiam laqveo finiverunt, Tacit. de mor. Ger. c. 2. in fin. Apud Romanos verò, fi miles in acie per metum abjeciffet arma, capitale fuit. Liv. lib.2. Val. Max. lib.3. c. 2.

Species exeqvendi in delictis iftis capitalibus non uniusmodi fuiffe liqvet. Apud Macedones obruti lapidibus. Curt. lib.6. Arrian. lib.4. Apud Romanos gladiis reos objectos fuiffe liqvet ex illo Taciti 1. ann. p. 15. Stabant pro concione legiones, diftrictis gladiis: reus in fuggeftu per tribunum oftendebatur: fi nocentem acclamaverant, præceps datus trucidebatur, & gaudebat cædibus miles, tanqvàm femet abfolveret. Vid. Amm. Marcel. lib. 29. Securi percuffos memorat Livius lib. 2. &. 28. Animadverfiones autem in caftris extra vallum fiebant, qvemadmodum in

in oppidis extra muros. Tac. 1. ann. n. 115. Senec. 1. de irâ. c. 16. Veget. lib. 1. c. 23. Atq; hæc de pœnis singulorum militum.

Qvòd si plures peccassent, aut decimatio, aut vicesimatio, aut centesimatio usurpata est Decimatione decimus qvisq; ad supplicium est lectus. Liv. lib. 2. Ea Romanis patria qvædam punitio in eos, qvi ordines reliqvissent, aut signa deseruissent. Dionys. Halicar. lib. 9. Posteriorum animadversionum meminit Capitolinus in Opilio Macrino, qvi eos qvandoq; centesimavit, qvi digni essent decimatione atq; vicesimatione. Isti supplicio & dedecus inerat, & terror tristitiaq; gignebatur, circa ipsam punitionem in omnium aspectu. Plutar. in Crasso. Interdum etiam legio aliqva tota sacramento solvebatur, signis aqvilâq; ademtis, non tamen dimittebatur protinus, sed seorsim in exercitu agebat sub uno aliqvo vexillo. Appian. lib. 2. donec præmia solverentur. Intereà erat immunis ab excubiis & vigiliis, exceptâ pugnâ in hostem.

CAP. XXX.

De Stipendiis & præmiis militaribus.

MIlites pœna & timor in sedibus corrigunt, in expeditione spes & præmia faciunt meliores. Veget. lib. 3. c. ult. Igitur stipendia & præmia conferri illis debent, aliâs periculum est, ne fortè castrensis oriatur seditio. Stipendia autem tam veterum militum qvàm nostrorum attingam.

Veteribus stipendium triplex: in pecuniâ, frumento, veste. Apud Romanos, anteqvàm Galli occuparent urbem, privato sumtu se alebant milites. Liv. lib. 4.

Polybiano ævo stipendium pedites accipiebant in diem obulos duos, ductores ordinum duplum, eqvites drachmam, id est, triplum. Pediti in diem duo obuli dati, in mensem decem denarii, h. e. Philippéus Hispanicus. En veterum parsimoniam & mores! an illa unqvam Resp. major, aut sanctior, bonísve exemplis ditior fuit, aut in qvam tam serò avaritia luxuriaq; immigraverint, vel ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniæ honos fuerit?

Verùm qvamdiu illi frugalitati honos? Primus Julius Cæsar legionibus stipendium in perpetuum duplicavit, Sveton. c. 26. Et post eum Augustus omnes ubiq; milites ad certam stipendiorum præmiorumq; formulam adstrinxit. Sveton. c. 49. Eum modum fuisse decem diurnos asses, ex illâ Pescennini qverelâ apud Tacit. lib. 1. patet: ubi dicit, denis in diem assibus animam & corpus æstimari. Vid. Lips. ibid. in not. Domitiani ævo stipendium menstruum erant aurei terni, atq; ita in diem viginti qvinq; asses. Zonar. in Domit. Ulteriore ævo, credibile est plus militibus esse datum: qvin etiam non raro donativa in eos collata: ita tamen ut illius dimidiam partem seqvestrarent apud signa, ibidem ipsis asservandam, ne per luxum aut inanem rerum comparationem à contubernalibus posset absumi. Veget. lib. 2. c. 20. Sveton. in Domit. c. 7. Tacit. 1. ann. nu. 132. Duplici ferè fine, ut continentior esset miles, & ut majore pro signis suis dimicaret audaciâ. Homines enim in iis maximam habent curam, in qvibus suam vident positam esse substantiam.

Pecuniæ additum est frumentum: idq; ideò ut militi victus suppeteret, ne cogeretur inopiâ ad rapiendum aut deserendum. Frumenti modum (inqvit Polybius) accipiunt pedites Attici medimni duas partes: Medimnus autem, attestante Suidâ, sex modios habuit

Eqvi-

Eqvitibus duo medimni, id eſt, duodecim modii dati ſunt. Cæſar verò frumentum, qvoties copia eſſet, etiam ſine modo menſuraq; militibus præbuit, Sveton. Legumina etiam qvædam militi data deprehendimus apud Plaut. in Craſſo. Qvicqvid eam in rem datum erat, vendere non poterant: ſi qvi vendidiſſent, promta erat in eos animadverſio. Exemplum hujus rei apud Sveton. eſt in Galbâ c. 7. Militi, inqvit, qvi per expeditionem annonâ arctiſſimâ, reſiduum cibariorum tritici modium centum denariis vendidiſſe arguebatur, vetuit, ſimul atq; indigere cibo cœpiſſet, à qvoqvam opem ferri: atq; is fame extabuit.

Præter frumentum etiam Veſtes datæ ſunt militibus. Ita enim loco Taciti paulò antè adducto milites qveruntur de ſtipendio ſuo, & decem aſſibus veſtem, arma, tentoria redimenda eſſe. Lampridius in Alexandro, Donavit, inqvit, & ocreas & braccas, & calceamenta inter veſtimenta militaria. Qvin imò & boum tergora ſuppeditata. Tacit. 4. annal. Sed hactenus de ſtipendiis veterum.

Noſtro ævo non fixum habent milites ſtipendium: pro perſonarum qvalitate nunc augetur, nunc minuitur. Vid. Dilich. part. 1. lib. 2. rei mil. pag. 210. Ordinarium verò minorum militum ſtipendium plerumq; qvatuor florenorum Imperialium eſſe conſvevit: qvo contenti vivant, neminemq; concutiant. Luc. 3. ℣. 14.

Præmia militaria apud veteres fuerunt torqves, armillæ, phaleræ & haſtæ. Torqvem virtutis præmium fuiſſe diſcimus ex Vegetio lib. 2. c. 7. & Tacito 1. ann. ubi Flavius Arminii frater jactat aucta ſtipendia, torqvem & coronam, aliaq; militaria dona. Ita Auguſtus Cæſar Aſpernatem lapſu eqvi de-

bilitatum aureo torqve donavit. Sveton. c. 2. Ita Bellisarius iis qvi prosperè pugnassent, armillas & torqves præmia donavit. Suid. Armillæ etiam in hoc genere. Liv. lib. 10. Eqvites, ait, omnes ob insignem pluribus locis operam corniculis armillisq; argenteis donat. Atq; ideò Festus Armillas ex auro, qvas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimat, qvod antiqvi humeros cum brachiis Armos vocabant. Phaleras in illorum donorum numero fuisse Silius docet lib. 15.

——phaleris hic pectora fulget,
Hic torqve aurato circumdat bellica colla.

Hastâ deniq; fortes viros Romani donarunt. Festus: qvæ pura dicitur à scriptoribus, qvòd sine ferro fuerit. Atq; hæc de præmiis. Eorum loco etiam habitæ sunt Coronæ, de qvibus infrà cap. 37.

Cap. XXXI.
De Privilegiis Militaribus.

PRæmiis militaribus adjungo Privilegia: qvæ etiam beneficia dicuntur. l. 3. ff. de test. mil. l. ult. pr. C. de jur. delib. Atq; illa in hostimentum egregiè navatæ operæ conceduntur, ut plures reperiantur, qvi pro patriâ dulce & decorum esse putent mori. Ex istis privilegiis hæc ferè sunt. 1. milites immunes sunt à muneribus. l. 3. §. 1. ff. de mun. l. 10. §. angariorum ff. de vac. mun. l. 2. C. de re mil. 2. Milites etiam veterani in solutione moram faciẽtes non conjiciuntur in carcerem. Wesenb. consf. 50. n. 20. Covarr. 2. var. resol. 1. n. 4. Menoch. arb. lib. 1. q. 88. n. 9. 3. Torturæ non possunt subjici. l. 8.

l. 8. pr. C. de qvæstionib. 4. Si condemnati sunt non tenentur ultra, qvàm facere possint. l. 6. pr. l. 18. de re jud. 5. Filiusfam. miles peculium suum castrense habet, in qvo patri nihil juris. l. 3. C. de castrens. pec. l. 10. ff. eod.

—— nam qvæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore censûs,
Omne tenet cujus regimen Pater. Juven. Sat. ultim.

6. Contra milites non currit tempus petendæ restitutionis in integrum. l. ult. C. qvib. non objicitur longi temp. præscrip. nec præscriptio l. ult. C. de restit. mil. 7. Excusat eos ignorantia juris. l. 1. ff. de jur. & fact. ign. qvoniam magis arma qvàm jura scire præsumuntur. l. fin. C. de jur. delib. 8. Milites tam civilibus qvàm criminalibus non alibi qvàm coram suis ducibus conveniendi sunt. l. fin. C. de re mil. 12. C. 36. 9. Filiusf. miles heres institutus etiam citra jussum patris suo arbitrio pro hærede se gerere potest. l. miles 5. ff. de castr. pec. Bocer. lib. 1. de bello. c. 19. n. fin. 10. Deniq; jure militari absq; solennibus testamentum condere possunt. tot. tit. ff. & Inst. de test. mil. Bocer. lib. 1. c. 20. & seqq. qvod qvidem privilegium illis non tantùm remunerationis causâ indultum est, sed etiam ratione simplicitatis & juris ignorantiæ. Viglius ad pr. tit. Inst. de mil. test. n. 8. Idq; etiam obtinet in militibus limitaneis: nam & illi propter subita qvædam pericula in expeditione degere censentur. ar. l. 6. §. 1. de V. S. Geil. 2. obs. 118. nu. 6. Bocer. lib. 1. de bello. c. 28. n. 11. Atq; etiamnum hodierni milites, qvi honesta merent stipendia, veterum militum privilegiis gaudent. Grassus §. Substitutio. q. 66. Bocer. ibid. num. 8. Vagantes verò isti: **Gart: vnd Herrnlose Knechte /** pri-

privilegiis his nullo modo frui possunt. Reichs Abscheid zu Augspurg de anno 1555.

Cap. XXXII.

De Cædibus & Stragibus in bello.

EXpeditis belli actibus, descendendum nobis est ad adjuncta belli, qvalia sunt cædes: vastatio : incendia: & Captivitates. De Cædibus & Stragibus nonnulla subjiciam. En qvæ belli sit conditio!

Nobilitas cum plebe perit, latéqve vagatur
Ensis,& à nullo revocatur pectore ferrum.
Stat cruor in templis,multâqve rubentia cæde
Lubrica saxa madent;nulli sua profuit ætas.
Non senis extremum piguit ferventibus annis
Præcipitasse diem, nec primo in limine vitæ
Infantis miseri nascentia rumpere fata.
Crimine qvo parvi cædem potuère mereri?
Sed satis est jam posse mori. Lucan. lib.2. bel. civil.

In Judæâ diversis vicibus duodecies centena & qvadraginta millia hominum cæsa summatim retulit Lipsius lib.2.de constantiâ.c.21. Peca R. Jud.uno die centum viginti millia cecidit. 2. Par. 28. ℣. 6. In pugnâ Attilæ cum Romanis in campis Catalaunicis,anno post N.C.451. utrinq; cæsa referuntur 162000. In bello civili, qvod inter se gesserunt filii tres Ludovici Pii Imp. plus qvàm centum millia hominum in primo conflictu cecidisse perhibentur. Peuc. 4. Chron.in vitâ Lotharii 1. &c. Julius Cæsar qvinqvagies collatis signis cum hostibus dimicasse, &

ſe, & undecies centena ac nonaginta duo millia hominum in prœliis occidiſſe ſcribitur. Poſſem recenſere plures funeſtioresq; ſtrages, qvas qvælibet abundè ſuggerit hiſtoria: Verùm ego

Tempore deficiar, tragicos ſi perſeqvar ignes,
Vixqve meus capiet nomina nuda liber.

Ovid. 2. Triſt. p.337. Ideoq; hinc ad cætera belli adjuncta tranſitum facio.

Cap. XXXIII.

De Vaſtatione, Incendiis & Rapinis in bello.

Alterum belli adjunctum eſt depopulatio agrorum & territoriorum per incendia & rapinas: qvo nomine miſera bella appellat Auguſtinus lib.2. de Civit. Dei c.25. & lib.3. c.10. Hæc qvidem, ut & ipſum bellum, licita eſt, ſed ita, ut frugibus, agris & hortis parcamus, niſi vel ſumma neceſſitas, vel utilitas aliter ſvaſerit. Deut. 20. & 23. Joſ. 8. 1. Sam. 15. 2. Reg. 3. Alb. Gentil. 2. de jur. belli cap.23.

Miſera qvidem iſta bellorum conditio eſt, illa verò miſerrima, qvòd videmus rapi virgines, pueros, divelli liberos à complexu parentum, matresfamiliarum pati, qvæ victoribus collibuiſſent: fana atq; domos ſpoliari: cædem, incendia fieri, poſtremò armis, cadaveribus, cruore atq; luctu omnia compleri. Saluſt. in Catil. p.44. Sortem hanc experti ſunt Waldenſes, cùm juſſu Franciſci I. Regis Galliarum exſtirparentur funditùs, Sleidan. lib.15. pag.365. Cæterùm de belli incommodis vid. Damhoud. in pract. crim.

crim. c. 82. n. 1. Geil. 1. de PP. c. 4. num. 43. Vasqvius. lib. 1. controv. c. 10. n. 9.

Cap. XXXIV.

De Captivitate.

TErtium adjunctum belli est Captivitas; cujus deploranda est conditio. Capti enim ad vilissima qvæq; munia adiguntur, & morte qvâvis graviora supplicia experiuntur. Sesostres barbaricâ insolentiâ qvatuor reges captos currum trahere coëgit. Tamerlanes Bajazetem tractavit miserrimè. Saporis in Valerianum Imp. inhumanitas omnibus nota est: nec non Basilii II. Imp. tyrannis, qvi victoriâ contra Samuelem Bulgarorum R. potitus, qvindecim millia captivorum excæcavit. Zonar.

Sanè qvi vincit, plenum jus in victum captivum obtinet: sed hominem esse meminerit exemplo Cyri, Crœsum captivum suscipientis: cogitet nullo in loco, nullâ in personâ stabilibus nixam radicibus consistere fortunam, sed incertissimo flatu huc atq; illuc actam, qvos in sublime extulit, improviso decursu destitutos profundo cladium miserabiliter immergere. Valer. Max. lib. 6. c. ult. Non complectar hîc eorum nomina, paucos attigisse sufficiat. En Syphacem Numidarum Regem, qvàm misere ille in Tyburtinam custodiam conjicitur? En Aristonicum, en Chilpericum & Ludovicum Galliæ Reges: En Regem Angliæ Richardum: en Ludovicum Sfortiam Ducem Mediolani, qvi caveâ ferreâ inclusus periit?

Istam Captivitatis miseriam studiosè evitare qvidam victi conati sunt, & extrema qvæq; perpeti maluerunt, qvàm vivi in manus victoris incidere. Numantini duces suos, seq; patriamq; ferro & veneno, subjectoq; undiq; igne peremerunt, ne in manus Romano-

manorum inciderent. Florus lib. 2. c. 18. In eversione Carthaginis Uxor Asdrubalis, comprehensis duobus liberis, à culmine se domûs in medium misit incendiũ, imitata Reginam, qvę Carthaginẽ condidit Flor. lib. 2. c. 15. Didonem intelligit, qvæ vitam sibi, cõscenso priùs rogo, gladio finivit. Just. lib. 18. Virg. 4. Æn. in fin. Cleopatra, ne viva permitteretur victoris arbitrio, pectori suo adhibuit aspidem, cujus morsu dulciter periret: nam serpens ille ictu oculis caliginem inducens, cum nonnullâ voluptate perimere dicitur, & absq; labore. Dioscorid. lib. 6. c. 38. Dion. lib. 51. p. 452. Simrius R. Israëlis tantùm per dies septem oppugnatus ab Amrio, Sardanapalum imitatus est, & seipsum in ignem cum suis conjecit. 3. Reg. 16. ℣. 18. Perdiccas bello innoxio Ariarathi R. Cappadocum illato, prælio victor, nihil præmii præter vulnera & pericula retulit: qvippe hostes ab acie in urbem recepti, occisis conjugibus & liberis, domos qvisq; suas cum omnibus copiis incenderunt: eodem congestis etjam servitiis semetipsos præcipitant, ut nihil hostis victor suarum rerum, præterqvàm incendii spectaculo frueretur. Justin. lib. 13.

Atq; hæc de belli adjunctis hactenus: Seqvuntur ejusdem Effecta, tam tristia, qvàm læta. Inter tristia præfero subactionem: inter læta victoriam, pacificationem & dimissionem exercitûs.

Cap. XXXV.

Qvalem se Victor erga subactos gerere debeat.

Egre-

EGregia est illa apud Æmyl. Prob. in Timoleonte sententia: Eam ducendam esse præclaram victoriam, ex quâ plus sit clementiæ, qvàm crudelitatis. Nam qvemadmodum aut Balsamum, si vim ferri adhibeas, læsum emoritur. Tacit. 5. hist. c. 2. pr. Solin. c. 38. p. 308. Freigius lib. 28. phys. p. 782. aut Ozimon fragrantissimum Basilienkraut si tractetur asperiùs, summum fœtorem spirat: Ita recens victi, si rigidè nimis habeantur, aut deficiunt, aut pro grato obedientiæ succo, grave rebellionis virus exhalant. Johan. Major Poëta.

Ozimon est fragrans, si leni pollice tractes;
Plus æqvo pressum, ceu grave virus, olet.
Asperitas semper peccat, sed gratia raro:
Hic jus est, ubi jus qvi moderetur erit.

Clementiam propriam Victoris virtutem esse debere dico: & dixi suprà lib. 2. polit. c. 31. apud principes Severitatem debere esse abditam, clementiam in promtu. Qvemadmodum Leoni tantum ex feris clementia in supplices, prostratis parcit, & ubi sævit, in viros potiùs qvàm in fœminas fremit, in infantes, non nisi magnâ fame. Plin. lib. 7. c. 16. Ita ubi soli, qvi rebus præest, hæc virtus competit, adeò ut tum demum victoria qvàm minimum invidiæ sit habitura, cùm plurimum humanitatis habuerit. Discat victor ex optimis qvibusq;, qvi vincere norunt, qvalem se erga subactos gerere debeat. Sistam ex multis Alexandrum, collocabo Cyrum, ponam L. Paul. Æmylium, Philippum Macedonem, & Aurelianum Cæsarem. Alexander humanissimè tractavit Darium. Curt. lib. 4. & Porum Indorum R. Eum enim ob honorem virtutis incolumem in regnum remisit. Justin. lib. 12. Idem captivas egregiâ formâ virgines & regiâ stirpe genitas non modò dimisit, sed etiam restitui eis suas opes jussit. Curt. lib. 6. p. 141. Cyrus qvàm clemen-

clementer Crœsum ab se devictum tractârit, Herod. lib. 1. commemorat, & ego suprà nonnihil attigi. De L. Paulo Æmilio Florus lib. 2. c. 12. Sed nec reverentior, inqvit, captæ majestatis (Persei sc.) alius Paulo fuit, qvum in conspectum venisset & hostis, in templum recepit, & in conviviis adhibuit, liberosq; admonuit suos, ut fortunam, cui tantum licéret, revererentur. Philippo Macedoni bellum cum Atheniensibus fuit, qvibus per insidias victis, metu belli gravioris, cùm interficere omnes posset, incolumes sine precio dimisit. Justin. lib. 7. Idem cùm oppugnaret Methonem, & oculo esset privatus, nec segnior in bello, nec iracundior adversus hostes factus est, adeò, ut interjectis diebus pacem deprecantibus dederit. Justin. lib 7. Egregium autem Aureliani est factum, qvi cùm urbem Tyana obsideret, juratus ne canem qvidem militares gladios evasurum, si urbem expugnaret, urbe captâ cùm ad crudelitatem illum improbi exacuerent, canes ad unum mactari jussit. Vopisc. in Aurel.

Econtrà ex aliis è diametro oppositis narrationib. intelligere victor discat, qvanto scelere sese obstringat, si nimium in victos desæviat. Educo ex multis Caracallam Imp. cujus truculenta in Alexandrinos subactos crudelitas passim decantata est. Xiphil. Herodiañ. & ex eo Lips. lib. 2. de Constant. c. 24. Qvid sceleratius excogitari potest, qvàm qvod Sulla qvatuor legiones contrariæ partis fidem ejus secutas, in publicâ villâ, neqvicqvam fallacis dexterę misericordiam implorantes obtruncari jussit? Val. Max. lib. 9. cap. 2. Non jam dicam de C. Mario, de Mithridate, de Hannibale: Valerius loco adducto pro me dicet. Illud admiratio-

ne non indignum, etiam eos, qvi aliâs laudem habent clementiæ, interdum aliqvanto graviorem exegiſſe vindictam. Triſte orbi ſpectaculum ira præbuit Alexandri. Duo millia, inqvit, Curt. lib. 5. c. 4. Tyriorum, in qvibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi, per ingens littoris ſpatium pependerunt. Miſericordiam etiam movere poſſet homini, cui robur & æs triplex circum pectus. Horat. 1. od. 3. qvod Auguſtus Peruſiâ captâ trecentos è dedititiis, electos utriusq; ordinis ad aram D. Julio extructam, hoſtiarum more mactavit. Sveton. &c. Sed ex his factis qvid fugiendum, ex ſuperioribus qvid complectendum, victor non inſolens eligere noverit.

Cap. XXXVI.

De Victoriæ habendæ modo: & qvalis victor, reſpectu Dei & ſuiipſius, eſſe debeat.

Victoria Deo adſcribenda eſt præcipuè, eiq; ſolennes gratiæ in publico perſolvendæ. Judic. 7. 1. Sam. 14. Pſ. 143. 76. 33. Illud agnoſcimus in populo Iſraëlitico, qvi hoſtibus ſæpè viribus & numero fuêre inferiores, & palmam nihilominùs auſpiciis Domini retulerunt. Non certè adſcribendum eſt aut prudētiæ aut robori Abrahami, qvòd trecentis octodecim ſervis potentiſſimos ſubjugavit Reges. Gen. 14. Joſeph. 1. antiq. 11. ſed Domino: Non Gedeon innumerabiles Midianitarum copias trecentis ſuorum fundere potuiſſet, absq; Domino: Non David Goliathum, nec Jonathan cum armigero mille Palæſtinos cecidiſſet, niſi adjutus divinâ clementiâ: nec Amaſias exiguis ſuis copiis ſtraviſſet decem millia Idumæorum, ſi absq; Domino fuiſſet: nec Antoninus Philoſophus Imp. contra

contra Marcomannos pugnans victor recessisset, nisi victoriam exorasset à Domino fulminatrix illa legio. Dion. lib. 71. p. 811. nec treccenti Lacedemonii universum Xerxianum exercitum fundere potuissent, nisi fataliter Persis hæc clades contigisset. Qvid est, qvod Lucullum superiorem fecerit, cùm duceret exercitum contra Tigranem, vix vigesimam ejus copiarum partem ? 10000. hominum occidit, vix 100. suorũ vulneratis, & 5. cęsis: Qvid de pugnâ Theodosii Imp. cum Arbogasto & Evgenio dicendum? Imperatorem parvâ manu hostes aggressum venti juvant. Jovian. Pontan. lib. 2. de fortunâ c. 15.

Cùm verò pro felicitate superbiùs & incautiùs mentes efferantur humanæ, Veget. lib. 3. c. 25. victor insolentiam & superbiam ob rem benè gestam cane pejus & angve effugiat, & se hominem esse tum maximè cogitet, cùm Deus undiq; consalutatur. Senec. de vitâ beatâ. c. 25. Pleriq; omnes fortunâ aspirante felicem rerum suarum exitum nacti inflantur, insolescunt, ac per superbiam humanos & communes casûs parum considerant: indeq; non pauci conspiciuntur, secundam fortunam non secus ac gravissimum onus minùs commodè sustinere. Diod. Sicul. lib. 18. Non cogitant isti, qvàm infidâ fiduciâ se extollant. Thucyd. lib. 1. Exemplum refert Justinus lib. 8. pr. de Lacedemoniis. Ideoq; prudenter monet Onosander c. ult. Postqvàm omnia feliciter & ex animi sententiâ cesserint, fine bellicis negotiis imposito, caveat Imperator, ne ob res secundas elatior aut gravior videatur, sed placidus sit ac benignus, néve fastum minaci ac truculento vultu præseferat, sed civilem atq; amabilem benevolentiam comiter omnibus exhibeat. Illa enim invidiã ac livorem gignunt: ista mutuum amorem conciliant.

Prætereà victoriâ leniter & moderatè utendum: ita tamen ut eam perseqvaris, & non tantùm scias vincere, sed etiam victoriâ utiliter & rectè uti, &c. Exemplo est **Metellus apud Salust. in Jugurth.** p. 120. qvi qvò clarior

Mm 2 post

post devictum Jugurtham, eo magis anxius erat: Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare: cavere tamen necubi hostibus oportunus fieret: meminisse post gloriam invidiam seqvi.

Cap. XXXVII.

De Triumphis, Trophæis: Ovationibus & Coronationibus.

Victoria obtenta declaratur triumphis, trophæis, ovationibus & coronationibus.

Triumphi magnificentiam descripsit Ovid. 4. Trist. el. 2. Illius signum palma est arbor, qvæ non cedit aut flectitur, si magna pondera imponas, sed adversus ea resurgit, & sursum nititur. Gell lib 3. c. 6. Plin. lib. 16. c. 42. Tale victoris est ingenium, qvod urgentibus opprimentibusq; non cedit. Plutar. in 8. Sympos. In triumpho autem ante currum Reges captivi deducebantur. Ita enim Ovid. 4 Trist. el. 2.

> Vinclaqve captivâ Reges cervice gerentes
> Ante coronatos ire videbit eqvos.

Sic Perseus Macedoniæ, Gentius Illyriæ reges ducti sunt. Liv. lib. 5. dec. 5. p. 147. Andriscus etiam in urbem catenis ductus est, hoc qvoq; illi in malis suis indulgente fortunâ, ut de eo populus Romanus, qvasi de novo Rege, triumpharet. Flor. lib. 2. c. 14. in fin. Jugurtham cum duobus filiis Marius in triumphum duxit. Stadius not. ad Flor. p. 147. Diocletianus de Persis & rege eorum Narse triumphum egit, & cùm

cùm cæteros captivos nobiles militaresq; præfectos ante currū duxit, tum inprimis uxorem, sorores & liberos Regis, memorandū regiæ fortunæ inter pauca exempla spectaculum, & Gazam Persicam opulentissimam prætulit. Sigon. lib. 1. de Occid. Imp. p. 31. Zenobia, qvæ diu gesserat bella cum Aureliano Imp. tandem cum liberis Romæ captiva in triumpho ducta est. Mel. 3. Chron. p. 421. Honorius in triumpho Attalum ipsum vinctis post terga manibus ante currum duxit, qvem peractâ de more pompâ, truncatâ in pœnam repetitæ perfidiæ dexterâ, Liparas relegavit. Sigon. lib. 11. de Occ. Imp. p. 273. De Odoacri triumpho idem lib. 15. p. 377.

Nec tantùm captivi in triumphum ducti, sed & omnis præda in bello capta. Anicius triumphum agens de Gentio R. Illyriorum transtulit in triumphum multa militaria signa, spoliaq; alia & supellectilem regiam, auri pondo 27. argenti 19. denariûm tria millia & centum triginta millia Illyrici argenti. Liv. lib. 5. dec. 5. p. 147.

In Curru triumphali sedebat carnifex, qvi coronam auream gemmis distinctam sustinens, victorem admonebat, ut respiceret, id est, ut reliqvum vitæ spatium provideret, nec eo honore elatus superbiret. Lips. lib. 2. de Constant. c. 26. Appensa qvoq; erant currui nola & flagellum, qvibus notabatur ipsum in eam calamitatem incidere posse, ut & flagris cederetur, & capite damnaretur. Nam qvi ob facinus summo supplicio afficiebantur, nolas gestare solebant, ne qvis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret. P. Cam. 1. med. hist. 12.

Trophæa appellantur spolia fixa in stipitibus, teste Nonio. Inde etiam monumenta victoriæ erigi cœpta ex marmore saxoq; in jugis montium & editioribus locis. Ista qvidem victis ipsâ graviora victoriâ videntur, qvod

patet ex illo Taciti 2. annal. Miles in loco prælii Tiberium Imperatorem salutavit, struxitq; aggerem, & in modum trophæorum arma, subscriptis vicinarum gentium nominibus, imposuit. Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, qvàm ea species dolore & irâ affecit. Qvi modo abire sedibus trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt, plebes, primores, juventus, senes, agmen Romanum repentè incursant, turbant. &c.

Ovationes differunt à triumpho, qvòd pedibus urbem ingrediebantur ovantes, triumphantes verò curru. Ovantes myrteâ coronâ cincti. Freig. lib. 28. physf. pag. 808. Ovans uno eqvo utebatur interdum, & à plebeiis vel ab eqvitibus Romanis deducebatur in Capitolium, & de ovibus sacrificabat, unde & Ovatio dicta est. Triumphantes qvatuor albis eqvis vecti, & Senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificabant. &c.

Coronationes apud Romanos de præclarâ in bello navatâ operâ commonebant. Corona civica ex foliis qvernis tributa est illi, qvi civem singulari periculo in pugnâ liberasset. Gell. lib. 6. c. 6. Plut. in qq. Rom. 92. Plin. lib. 15. c. 4. Lucan. lib. 1.

Servati civis referentem præmia qvercum.

Paradin. in symb. Servati gratia Civis. Claudian. de laudib. Stilic.

Mos erat in veterũ castris, ut tempora qvercũ
Velaret, validis fuso qvi viribus hoste
Casurum potuit morti subducere civem.

Militaris corona ex auro in formam muralium pinnarum facta, concessa est illi, qvi primus vi & armis hostium mœnia transcendisset. Parad. ib. Obsidionalis è gramine

mine erat decerpto è loco intra qvem obsidebantur, qvia summum victoriæ indicium erat, herbam porrigere victos. Plin. lib.22. c.4. Hanc P. Decio impositam esse scribit Livius lib.7. vid. Parad. in Symb. Merces sublimis honorum. p.261. Corona Castrensis, qvæ & vallaris dicta, illi indulta est, qvi primus oppugnando vallum hostile occupasset. Parad. in Symb. Hoc valli insigne recepti. Aurea navalis illi, qvi navali prælio classem hostium armatus ingressus esset. Parad. in Symb. Classis monumenta subactæ. Deniq; de oleaginâ Coronâ qvandoq; legimus; velut apud Dionem lib.49. de Augusto: & alibi.

Cap. XXXVIII.

De Pacificatione & Induciis.

Alterum belli effectum lætum est Pacificatio, cujus tractatio prudentibus atq; fidis hominibus committenda est. P. Comin. lib.1. Nec tutum est in eâ tractatione ipsos Principes intervenire. Idem lib.3. p.79. septem exemplis hoc confirmat. Qvòd si tamen illis ita placuerit, armatos esse convenit Duces de Pacificatione tractantes. Bodin. 5. de rep. c.6. p.940. P. Gregor. lib.4. de rep. c.10. p.225. Ant. Mach. lib.3. p.369. Antiqvi Oratores miserunt

Velatos ramis oleæ, veniamq; rogantes: Virg. 11. Æn. Et. 7. Æn.

Tum satus Anchisâ delectos ordine ab omni
Centum Oratores augusta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes.

Est enim Olea pacis signum Idem 2. Georg. Gen. 8 ℣. 11. Athenæ qvoq; victores oleâ coronant. Plin. lib.15 c.4. Cæterùm in pacificatione ineundâ Insidiæ prudenter evitandæ sunt. Freqventiùs enim conventionum

pacisq; simulatio crudelis, qvàm arma, nocuerunt. Veget. lib. 3. cap. 3.

Pax sit tuta & secura, itemq; honesta, simplex & candida: nam turpi pace mors est potior, & tutius est bellum apertum pace suspectâ. Potius esse statuat vir fortis, cum dignitate cadere, qvàm cum ignominiâ servire: pacisq; nomine involutum bellum reformidet. Lips. 5. pol. 19.

Induciæ autem semel pactæ strenuè custodiendæ sunt: Violatores earum acerrimè puniendi. G. Richter. ax. pol. 275. Bodin. 5. de rep. 6.

Cap. XXXIX.

De Obsidibus.

AD pacem firmandam dari solent Obsides, itemq; pro servandis induciis. Geil. 2. de PP. cap. 2. num. 12. ut si domestici Imperii tædeat, sit regressus ad Principem. Tacit. 12. ann. c. 3. hi ferè dati ab inferiori, accepti à superiori. Cæsar lib. 1. de bell. Gal. de Helvetiis. Et Dion. lib. 59. ait: Vitellium coëgisse Artabanum ad dandos obsides.

Si, qvi dederant, descisceren à fide, capite luebant obsides. Itaq; cùm Volsci fidem fefellissent, Romani trecentos Volscorum obsides securi percusserunt. Dionys. Halic. lib. 6. Et Tarentinorum obsides fugientes retracti ac virgis diu cæsi de Tarpejo dejecti sunt. Livius lib. 35.

Notandum autem Obsides utplurimum degenerare in mores eorum, apud qvos degunt: qvod comprobat Tacit. de Venone. 2. ann. 1. & 11. annal. §. 5. & 14.

&.14. ann. §.4. & Perseus de fratre Demetrio apud Liv. lib. 40. de Joviniano Marcellinus lib. 18. & de filio Arminii Tac. 11. ann. 5. Sic Philippus Alexandri M. pater adhuc puer obses datus est Thebanis, & triennio obses habitus, primæ pueritiæ rudimenta in urbe severitatis antiqvæ, & in domo Epaminondæ summi & Philosophi & Imperatoris deposuit, Justin. lib. 7.

CAP. XL.

De dimissione Exercitûs.

BEllo confecto Duces & milites persolutis stipendiis dimittendi sunt: non retinendi in ditione Principis, præsertim si sint externi, ne seditionem moveant, vel latrocinia exerceant. Militibus deinde testimonia & literæ publicæ, qvas nostri **Paßbort** vocant, indulgentur. Atq; istæ laudes, qvibus haud minùs qvàm præmio gaudent militum animi, Livius lib. 2. pag. 98. impellunt eos ad edenda potiora virtutis suæ documenta.

Prætereà dimisso Exercitu, Dux & autor illius damna subditis illata resarcire tenetur. Geil. 2. obs. 57. num. 6. & lib. 2. de PP. cap. 19. num. 25. Bocer. lib. 1. de bello c. 29. num. 6. De Ducibus belli invicem paciscentibus, an & qvando præjudicent subditis, qvo minus contra eos, qvi damnum dederunt, agere possint, vide Myns. 4. obs. 9. Atq; hæc hactenus de re Militari rudi penicillo delineare volui.

Tu qvæso summe Pacis arbiter Deus optime maxime, potentiorum pectora ad pacem probè colendam flecte & dirige: Tu tristes inimicitias, sangvineumq; illud Bello-

næ flagellum, qvo defœdatur florentis imago Reipublicæ, discute. Tu sub umbrâ alarum tuarum nos protege: Sic gratâ mente tuas in omne ævum prædicabimus laudes, & vivemus.



Finis Libri VI. Politicorum.
G. S. D.



GEOR-




GEORGII Schönborner / Sileſ. Phil. & J. U. D. Conſil. & Cancellarii ZOLLERINI,

Liber VII. Politicorum.

De Rerumpublicarum Everſionibus.

CAP. I.

Providentiâ divinâ everti Respub.



Dixi hactenus de Rerump. conſtitutione & adminiſtratione, tam togatâ, qvàm militari: Reliqvum eſt, ut de earundem everſionibus nonnihil diſſeram. Temporum vices verti vides, ita & Reſpublicas. Perpetua iſta in omnibus rebus lex eſt, ut ad ſummum perducta rurſus ad infimum, velociùs qvidem qvàm aſcenderunt, relabantur. Natura hoc qvod vides regnum mutationibus temperat: nubilo ſerena ſuccedunt: turbantur maria cùm qvieverunt:

flant

flant invicem venti: Noctem dies seqvitur; pars cœli consurgit, pars mergitur. Contrariis rerum æternitas constat. Senec. ep. 107. Inter peritura vivimus. Id. ep. 91. In eum intravimus mundum, in qvo his legibus vivitur. Ib. Flores, odoresq; in diem gignit Natura, magnâ ut palàm est admonitione hominum, qvæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere. Plin. lib. 21. c. 1. Idem de rebusp. qvod de earum incolis dico: Nihil publicè stabile est: tam hominum qvàm urbium fata volvuntur. Senec. ep. 91. Qvæ domesticis bellis steterant regna, qvæ externis, impellente nullo ruunt. Ib. Circumagi & velut in orbem recurrere fortunâ versante rotam videntur. Usq; adeò nil sibi qvisqvam spondere potest firmum & stabile. Senec. in Octav. atq;

Omnia mortali mutantur lege creata. Manil. 1. Astron. O mira & nunqvam comprehensa Necessitatis Lex! Lips. 1. de constant. c. 16.

Ad hanc legem animus noster aptandus est: hanc seqvatur, huic pareat: & qvæcunq; fiunt, debuisse fieri putet, nec velit objurgare naturam. Optimum est pati, qvod emendare non possis: & Deum, qvo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. Senec ep. 107.

—— Cede tempori
Deoqve: rebus omnibus
Vicissitudo debita: Hæc mori vides
Repentè, at illa oririer.
Necessitati ut obseqvare, te monent
Tot urbium cadavera,

Ferire

Ferire visa vertice antè qvæ suo
 Poli utriusqve cardinem:
Ubi illa jam imperare sveta Regibus
 Superba Septimontium?
Ubi Micenæ? ubi incluta urbs Agenoris,
 Corinthus, Argos, Ilium?
Minuta, magna, summa & ima respice,
 Perenne sub polo nihil. Joan. Douza.

Igitur Deum, ut Rerump. fundatorem benignum, ita eversorem justum agnoscimus: Manus tua, Domine, gentes disperdit, & plantasti eas, afflixisti populos, & expulisti eos. Ps. 44. ℣. 3. Tu solio regali imponis reges, eosdemq; inde deturbas. Dan. 2. ℣. 21. Tu regnis terminum constituis, tu certos nascendi pereundiq; limites signas: Concede clementer inexhaustam tuam sapientiam, bonitatem infinitam, justitiam supra omnem humanum captum, nobis exinde agnoscere, eamq; summis posse efferre præconiis.

CAP. II.

De Eversionibus Rerump. ob Magistratuum Injustitiam & Impunitatem delictorum.

Regna non modò à gente ad gentem, sed etiam à familiâ ad familiam transferuntur propter injustitiam Siracid. 10. ℣. 8. Omnem enim injusticiam aversatur Dominus. Deut. 25. & adversus iniqvos judicia sua æqvissimè exercet. Psal. 97. ℣. 2. Idq; etiam metuendum hoc nostro seculo, qvo

Victa

Victa jacet pietas, & Virgo cæde madentes
Ultima cœlestûm terras Astræa reliqvit.

Ovid. 1. Metam. Juven. Sat.6. & qvæ anteà fuerunt vitia fiunt mores. Multi postqvàm nihil scelerati reliqverunt inausum, non tantùm impunè dimittuntur, sed ad summum admoventur Reip. gubernaculum. O tempora! o mores! heu! qvàm seculo premimur gravi, qvo scelera regnant! Sen. in Octav. In atrocissimis delictis, proh dolor! tantum abest, ut sangvine suo malefactor luat, ut etiam ære scelestum corpus redimat! Pravos judices lex vetus privabat oculis: proh hominum fidem, si hodie isthæc adhiberetur severitas, qvàm paucos integris oculis reperias!

At verò an non cessante executione legis civilis, qvâ multentur, divina vindicta sese exseret? Ita sanè est, ubi consummata est infelicitas, cumq; placet & delectat Turpitudo, desinitq; remedio esse locus, pœnam promeritam Deus exigit. En tribum Benjamin florentissimam! an ullam aliam ob causam hanc exstirpatam putas, qvàm qvòd nollent sistere Gibeonitas, qvi stupr[illegible]rant Levitæ conjugem? Judic.19. An Lacedemoniorum Remp. ullà aliâ re labefactatam & concussam arbitrabimur, qvàm qvòd Magistratûs connivere maluerunt filiarum Scedasi in Leuctris habitantis stupratoribus subditis suis, qvàm ullam ab iis exigere vindictam? Qvid aliud evertit Corinthum amœnissimam urbem, qvàm qvòd impunitos dimisissent cives, qvi legatos Romanos lotio perfuderant. Florus lib. 2. c.16. Qvid causæ est, qvòd flammis exusserint Galli urbem Romam? Arunti Hetrusco à Gallo qvodam Conjux rapitur, raptor impunitus dimittitur: Arunx rei indignitate motus attrahit Gallos in Italiam, unde malorum lerna, cædes civium, & agrorum depopulatio. An non eadem nobis extimescenda? annon terrere nos debebant vestigia? O miseros nos, qvi furenter nostras rui-

mus in clades! Ubi consilium? ubi ratio? Sed tu clementissime Deus, ab imminentibus cladibus istis benigne nos protege: da vires animumq; redeundi ad frugem, Tu magistratuum, Tu civium flecte voluntates, ne qvis eorum suo desit officio. Et sic ab interitu vindicabitur Resp.

CAP. III.

De Rebuspublicis ob discordiam eversis.

ALter gradus Ruinæ Imperiorum est Magistratuum Discordia: cujus imago Laurus est Camerario in Embl. Vim ex vi:

> Damna dat atqve facit vis vi collisa potentum,
> Ramorum attritu ut flamma resultat edax.

In eam naturaliter proni sunt hominum animi: ii præsertim qvi se cæteris plus posse confidunt; Suffænos istos sive Narcissos intelligo, de qvibus Esaias Propheta loqvitur. c. 5. ℣. 21. Hos si paulatim afflavit Cæsia illa Diva, miserè furialis abripit Erinnys ad serenda discordiarum semina: nihil tam consideratè ab aliis dici fierive potest, qvod non isti in calumniam rapiant. Alter meritos alteri invidet honores: suam obfuscari laudem existimans, nisi crescentem gloriam alienam oppugnatum eat. Unde necesse est, negligi salutem Reip. permisceriq; fretum cœlo; qvo nomine discordiam exultare canit Silius 13. bell. Pun: Namq; ubi Magistratûs Sophismatibus indulgent, faciuntqve pluris odia sua, qvàm patriæ commoda: Hanc civitatem necesse est à DEO deseri, & mergi in

imum

imum calamitatum barathrum. At verò videamus, qvàm consortis impatiens sit potestas, qvàm nulla fides regni sociis! Romanos geminos unum non cepit regnum, qvos unum uteri cepit hospitium. Cyprian. in lib. de Idol. vanit.

Fraterno primùm maduerunt sangvine muri.

Lucan. lib. 1. Initium verò postremæ ætatis in populo DEI ante Christum natum extitit à contentionibus & dissidiis summorum Pontificum, qvi cùm atrocibus cædibus & odiis dimicarent de Pontificatu, attraxerunt reges Syriacos, & paulò pòst istis sublatis Romanos. Sic & Alexandri Magni successores, colisis inter se viribus, seipsos mutuam in perniciem egerunt. Sic Occidentis Imperium primò dissidiis successorum convulsum, paulatimq; velut nervis incisis ac solutis compagibus inclinatum ad ruinam, posteà exterarum gentium impetu ac violentiâ graviùs impulsum penè corruit: his per ruinas violantibus & rudera diripientibus, nemine prohibente, imò consternatis omnibus ac trepidantibus. Sic & Romanum Imperium à tempore Philippi Imp. Friderici Barbarossæ filii, usq; ad Rudolphum I. discordibus electionibus & interregnis valdè labefactatum est. Sic Johanni Lucemburgico Regi Bohemiæ, distractis per discordiam Silesiæ proceribus, occasio oblata est avellendi Silesiam à regno Polonico. Atq; ita non magno negotio effectum est, ut aliqvi spontè, aliqvi expugnati minis vel precio, plurimi blandis capti pollicitationibus, libera colla obvio jugo Bohemico subdiderint. Cureus part. 1. annal. Silef. p. 96. Peucerus 5. Chron. p. 1030.

Cùm igitur discordiæ accepto ferenda sit vel Eversio Reip. vel Conversio, maximoperè colenda est illa

—— parvis dives Concordia rebus. Sil. Ital. 9. lib. bell. Pun. qvam invictissimis argumentis Apostolus in ep. ad Ephes. c. 4. ℣. 3. & seqq. divinitùs svadet. Vid. qvæ

qvæ dixi ſuprà lib. 1. c. 5. Utinam vel Cornicum exemplo mutuam & intemeratam coleremus fidem! Alciat. embl. 38. Utinam politicæ gubernationis conſortes naturam haberent Geryonis! Juſtin. lib. 44. p. 254. Utinam Mercurialem illum angvibus circumvolutum ſpectarent caduceum! Dubio procul Remp. haberent florentiſſimam & ab exterorum incurſionibus, incolarumq; molitionibus inviolabilem.

CAP. IV.

De Rerumpubl. jacturâ ex ambitione & plura habendi cupidine.

VEriſſimum eſt, qvod Thucydides in deſcriptione ſeditionis Corcyreæ tradit: πάντων κακῶν αἰτία ἡ ἀρχὴ διὰ πλεονεξίαν καὶ φιλονεικίαν. Omnium malorum cauſa Cupiditas Imperii & Ambitio: Civitates factionibus ſcinduntur in partes: honoribus cumulantur indigni: ſimpliciores opprimuntur: fraudes & technæ laudantur. Ejus rei exemplum ſuppetat Resp. Romana Democratica: qvæ ſanè ob paucorum ambitionem everſa eſt. Craſſus, Cæſar & Pompejus inſatiabili fame imperandi perciti non priùs qvieverunt, qvàm mutatum bellis civilibus Reip. ſtatum vidiſſent: Sunt alii, qvorum ſuprà lib. 6. c. 4. mentionem feci, qvi nihil magis habent in votis, qvàm ut

—— Lybiam remotis
Gadibus jungant, & uterqve Pœnus
Serviat uni. Horat. 2. od. 2.

Nempè hac ratione feliciſſimos ſe judicant, ſi multas per milites provincias obtineant, & novas veteribus adjungant: ignari qvod ſit illud ingens paratumq; regnum:

Nn Impe-

Imperare sibi maximum imperium est. Seneca epist. 113.

——Tunc omnia jura tenebis,

Cùm poteris Rex esse tui. Claud. de 4. Hon. cons. Præterea cùm suis non sunt contenti limitibus, pluribusqve inhiant provinciis, perdunt ea, qvæ jam antè in tuto locaverunt: exemplo Civitatum Græciæ, qvæ dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt. Justin. lib. 8. pr. Trajanus solâ gloriæ cupiditate incensus Armeniis Parthisq; bellum intulit. Dion. lib. 68. p. 781. armaq; Romana ultra Evphratem fl. Romani Imperii terminum transtulit: Verùm isti subacti, jugi Romani impatientes, paulò pòst resilierunt, & sese in libertatem asseruerunt. Est igitur urbium regnorumq; pestis, ista regnandi tam dira cupido. Virg. 1. Georg.

Cap. V.

De Abdicatione Magistratûs intempestivâ.

SI qvis vel ætate vel valetudine impediatur, qvò minùs superesse possit negociis civilibus, magistratu sese abdicare poterit. c. 1. de renunciat. in 6. neq; eorum qvi renunciarunt exempla desunt. Diocletianus apud Nicomediam sponte Imperiales fasces relinqvens, in propriis agris consenuit. Aurel. Vict. Attalus omissâ regni administratione, hortorum culturæ animum applicuit. Justin. lib. 36. Sic & Tymoleon deposito imperio privatim Syracusis, qvod reliqvum vitæ fuit, vixit. Æmyl. Prob. in Timol. p. 749. De Svatacopio Rege Bohemiæ & Moraviæ vide Æn. Sylvium cap. 13. hist. Boëm. &

Phil

Phil. Camer. 1. med. hist. 45. De Carolo V. Cæs. Beutherum lib. 9. hist. in pr. Dresser, lib. 6. Chron. pag. 556.

Dixi abdicationem esse licitam: Turbatâ verò Rep. & domesticis externisq; conqvassatâ motibus, abdicationem istam plurimum secum trahere incommodi nemo negaverit. Nam si qvis eo tempore renunciet, qvo ob ingruentes rerum necessitates maximus ejus poterat esse usus; nullusq; reperitur, qvi vicem ejus cum laude supplere possit: ruit in exitium præceps orbata Rectore Civitas; & in istâ ἀναρχίᾳ suo pleraqve nutu agere incipit Bellua multorum capitum: Ardet omnibus animus: & alter alterum conatur opprimere, qvò minùs evehatur ad id fastigium: vnde Remp. concidere necesse est.

CAP. VI.

De Violatione Disciplinæ publicæ in Religionis negocio: & de bello Theologico.

FIrmissima Reip. columna est Disciplina publica, qvam suprà lib. 3. in tuitione legum, religionis, commerciorum & Jurisdictionis positam esse diximus. Si qvid horum violetur, periculum est ne disrumpantur omnes civilis societatis nervi. Religio verò potissimum vinculum & firmamentum Reip. ab omni violatione probè munitum sit oportet: Sic conservabitur societas: tam princeps qvàm subditi suum facient officium: evitabiturq; tetra hominum ac rerum confusio. Ita autem muniatur istud vinculum, qvemadmodum lib. 3. c. 11. scripsimus: ne conscientiis ea eripiatur libertas, qvam cuiqve sua

ſuggerit Religio. Corporibus imperat Magiſtratus, non animis: Religionem ſvadeat, non vi & armis cogat: fidem afflatu cœleſti cordibus hominum ingenerari cogitet; non verò minis aut ſuppliciis. Deniq; liberrimum Deo placere cultum, non coactum, perſvaſum ſibi habeat: Qvod credibile eſt conſideraſſe inclytos illos Heroas, qvorum fama & virtus per univerſum terrarum orbem diffuſa eſt, videlicet optimos Principes Sileſiæ Epiſcopos, Jacobum à Saltzâ J. U. Doctorem, & Capitaneum Ducatûs Glogovienſis, & Balthaſarum à Promnitz. Hi tempore renaſcentis Evangelii, neminem ſuorum ad hujus vel illius religionis profeſſionem ſuſcipiendam coëgerunt. Cureus par. 2. annal. Sileſ. p. 398. atq; exinde tranqvillum obtinuerunt imperium, & omnibus Sileſiæ incolis, ejusmodi principes ſingulari voto expetendi ardentiſſimum ingenerarunt deſiderium. Exigit idipſum etiam ſalus Reip. nam perpetuis ſeditionibus ſcatet regnum, in qvo rigidè nimis imperatur religio. Superioribus annis nec Carolus V. turbatam Germaniam, nec Henricus IV. Galliam, nec Maximilianus II. Auſtriam, nec Stephanus Poloniam, aliter ſedare potuerunt, niſi liberum omnibus religionis permitterent exercitium. Qvod ſi annis ab hinc 43. Belgii Statibus Philippus Hiſpaniarum Rex indulſiſſet, non implicatus eſſet bello, qvo ſanè juxta Ovidianum illud 7. Metamorph.

> Inter utrumqve volat dubiis victoria pennis.

Alii aliis modis Religionem violant, ſuisq; calumniis & disceptationibus intempeſtivis efficiunt, ut ad interitum vergat Resp. Illos intelligo qvosdam Theologaſtros: qvi omnia ſe ſimulant ſcire, nec qvicqvam ſciunt. Plaut. in Trinum: & qvidem falſóne an verè laudent, culpent qvem velint, non flocci faciunt. Ib. Pecorum ritu ſeqvantur antecedentium gregem, pergentes

gentes non qvò eundum est, sed qvò itur. Præterea illis pro veritate mendacium, pro candore calumnia, pro simplicitate superciliosa arrogantia, pro eruditione pomposa & umbratilis ostentatio arridet: ut non alios esse agnoscas, qvàm qvibus lingvam acuit impurus ille spiritus. Scripta eorum plena virulentiæ, & canini latratûs, consule & miraberis: Audi qvosdam de suggestis publicis declamantes, mirùm qvantoperè aliorum famæ detrahant; qvàm non doceant, sed noceant, omnesq; ad Orcum suo arbitratu detrudant, qvi aliqvid videntur sensisse altiùs, qvàm ut ab eiusmodi Midis capi possit. Verùm solabitur bonos viros, qvorum laceratur fama, innocentia, edoctos, Invidiam pari cum virtute ambulare passu: rosamq; qvò est venustior, eò citiùs arrodi à Scarabæis & araneis.

Toxica ab hôc carpit sublimis aranea flore,
Dulcia qvô parvæ mella parantur api:
Sic qvoq; virtutem scelerata Calumnia carpis,
Et qvod in hôc damnes, improbe livor, habes.

Qvòd si qvisqvam mirabitur, causam eversionis Reip. istis imputari: is profectò mirari desinet, si amotâ suspicionum nube dextrè & candidè judicaverit de conqvassatis Rebusp. per istos bellorum Theologicorum turbines: atq; etiamnum hodie insatiabile istud Cacoëthes multorum PseudoTheologorum animos ita obsedit, ut disceptandi publicè de maximè arduis Religionis capitibus libertatem, non nisi cum ipsâ vitâ omittere satagant. Qvòd si veritatis inqvirendæ studio, candidè, ut virum bonum decet, judicarent de aliis, ferendi essent utiq;: Verùm insignis eorum est malitia & improbitas, cum ruditate conjuncta intolerabili: atq; ita ad maledicendum naturâ & arte facti sunt, homines publico reperti exitio, & nun-

qvàm satis coërciti. Qvòd si fideles principes medelam his malis maturiùs adhibere cessaverint, vereor ne criminandi ista tam publicè qvàm privatim erumpens licentia, & seditiones rebellionesq; undiqvaq; parturiens, secum universæ Reip. trahat ruinam.

Cap. VII.

De Rebusp. eversis ob Idololatriam, blasphemias & perjuria.

IDololatria est crimen læsæ majestatis divinæ abominabile & execrabile, qvâ & varii commentitiiq; coluntur Dii, & honor soli Deo conveniens tribuitur cuicunq; rei, qvæ non est Deus: & Deus alligatur ad Statuas. Chytræus in R. V. p. 129. Evertit hæc res plurimas Resp. qvarum aliqvas adducam. Salomon Rex omnibus virtutibus cumulatissimus, polluens sese Deorum plurium cultu, causam præbet divulsioni regni & defectioni decem tribuum. 1. Reg. 12. Regnum Samariæ exscinditur à Salmanassare Rege Assyriaco, ob cultum idololatricum. 2. Reg. 17. ℣. 9. Ezech. 23. ℣. 9. Hoseæ 10. ℣. 7. 8. Propter illam ipsam idololatriam deletum est à Nebucadnezare Regnum Juda, abducto populo in Babylonem, templo spoliato, & urbe dirutâ. 2. Reg. 25. Occidentalis Imperii ab Orientali avulsio non aliunde qvàm ex Idolorum cultu secuta est. Peucer. lib. 4. Chron. p. 669.

Blasphemiæ vocem deducunt à βλάξ βλακὸς genere piscis vilissimi & insipidissimi, à qvo stupidi & fatui βλακὲς nominantur. Inde βλασφημία, indigna est & contumeliosa de Deo locutio, qvalis est Arheorum, Epicureorum, Hypocritarum & Desperantium.

Ob hoc ſcelus Pharao fluctibus aqvarum maris rubri obruitur. Et Sennacheribi poſteritas ob effuſas in Deum criminationes per Rabſacen, integrum regnum conſervare non potuit: partem Chaldæi occupant 2. Reg. 18. ℣. 30. & 19. ℣. 10. 22. 2. Paral. 32. Eſaiæ 36. ℣. 15. Sic & Nebucadnezar meritas ſuæ blasphemiæ pœnas luit. Dan. 4. Qvod itidem Regi Tyriorum contigit Ezech. 28. ℣. 2. & 8. Huc pertinent perjuri, qvi

—— fortunæ in caſibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Naturâ volvente vices & lucis & anni:
Atq; ideò intrepidi qvæcunq; altaria tangunt.

Juvenal. Sat. 13. Ex multis adduco Zedechiam Regem Hieroſolymitanum, qvi fidem feſellit jurejurando confirmatam Regi Nebucadnezari: Urbs expugnatur, & flammis ultricibus deletur 2. Reg. ult. Plura vid. apud G. Richt ax. Oecon. 74. Peuc. 5. Chron. p. 1119.

CAP. VIII.

De Everſionibus Rerump. ex Confuſione Libidinum.

NOn tantùm regna, ſed & gentes ob fœdum Libidinis propudium, exciſas diſſipataſq; ſæpiùs legimus. Pete ex ſacris documenta: obvia ſunt magno numero. Prioris mundi incolæ voragine aqvarum omnes, exceptis octo hominibus, abſorpti ſunt, qvòd libidinibus ſeſe polluiſſent. Geneſ. 6. ℣. 2. Eâdem de causâ exciſæ ſunt qvinqve amœniſſimæ urbes, Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim & Segor. Gen. 19. in deſerto 24000. hominum

propter fornicationem occiſa ſunt, & ſuſpenſi omnium tribuum Principes. Num.25. Præterea tota tribus Benjamin, cùm hôc ſcelere ſeſe obſtrinxiſſet, deleta eſt. Judic. 20. Profanos ſcriptores conſule: infinita exemplorum vis ſeſe offeret. Urbs Troja opulentiſſima ſolo æqvata fuit, Principibus cæſis, & nobilibus matronis ac puellis in captivitatē abductis, idq; propter raptum Helenæ. Ioniam Cyrus vaſtavit, in has miſerias à ſcortationibus ſuis conjectam. Romæ regia Reip. gubernandę ratio deſiit, qvòd Tarqvinius ſtuprū intuliſſet Lucretiæ: Sublataq; eſt Decēvirorum poteſtas propter tentatam ab Appio pudicitiam filiæ Virginii. Sic & Thebæ everſæ propter raptum Chryſippi & inceſtum Oedipi. Sic in Leuctris poſtqvàm violatæ eſſent Scedaſi filiæ à duobus Lacedemoniis, eodem in loco, bello cruentiſſimo Lacedemoniorum vires debilitatæ ſunt. Melanchthon lib. 2. Chron. p. 241. Spinéus lib. 5. de tranqvil. an. p. 275. Hiſpania eandem ob cauſam ceſſit Saracenis. Spinéus ib. pag. 272. Roder. Toletan. lib. 3. rerum Hiſp. c. 18. vid. plura apud G. Richter. ax. polit. 26. Igitur cum Sophocle, ab his libidinum ſcopulis, ſicut à Domino agreſti ac furioſo profugiamus. Cicero in Catone Maj. p. 191. eosq; velut latrones inviſos habeamus. In hoc enim amplectuntur ut ſtrangulent. Senec. ep. 51. in fin. vid. Boiſſard. embl. 37. & 38. Thom. Chaloner. de Rep. Anglorum lib. 6. Bodin. 4. de Rep. c. 1.

Cap. IX.

De Rebusp. ob luxum & Superbiam everſis.

Vix

VIX ulla Resp. diu ſtetit, qvæ luxurioſorum conſilio geſta eſt: Vix ulla concidit, qvam non ebrioſi everterent. Cato Cenſorius mirabatur, qvomodo Civitas in qvâ piſciculus cariùs venderetur qvàm bos, diu ſtare poſſet: & rectè: nam qvi delitiis opimantur & exſaturantur, pigri & inſolentes fiunt; hinc ruina & interitus. Molle enim ocium illos facilè in bellum aut civile, aut cum vicinis impellit: & cùm molles & effœminatos reddiderit, efficit etiam, ut bellum temerè ſuſceptum malè adminiſtrantes vincantur. Atq; eo conſilio Fabius Maximus exercitum Annibalis in delitias induxit, permiſsâ ei Campaniâ, in qva aliqvandiu commoraretur: proſpiciens fore, ut poſt labores ocio & dulcedine frugum illius regionis deguſtatâ, genio indulgerent, itaq; molles, pigri & obtuſiores redditi, facilè bellarentur. Balſaare Rege Babylonico agitante convivia cum principibus, facilè fuit Darianis invadere urbem ſomno vinoq; ſepultam. Virgil. 2. Æn. Qvemadmodum & Gothi nullo negocio occuparunt Italiam, imperante Honorio, & paulò pôſt Theodoſio. Eadem hodie agitaretur fabula, ſi Deus hoſtilem immitteret exercitum: Non jam ampliùs naturæ deſideriis contenti vivimus: Epulæ noſtræ non labore, non ſudore, non fame condiuntur more Laconico. Plut. in Lycurgo: non Pythagoram, non Cyrum, non Epaminondam, non Auguſtum Cæſarem ſeqvimur, qvibus omnibus eximia frugalitatis cura fuit. Xenoph. in Cyropæd. Plut. in Apoph. Verùm pulchrum eſſe videtur inſiſtere veſtigiis luxurioſorum hominum, Apicii, Heliogabali, Muleaſſis, & qvæ alia naturæ portenta agnoſcimus, infinitaq; palati irritamenta accerſimus; vinum Cretenſe, uvas Damaſcenas & Corinthiacas, ſpecies Indiæ Orientalis, nec contenti unqvàm ſumus iis rebus, qvas noſtra regio parit, qvamvis utiliores ſint nobis & ſalubriores iis, qvæ importantur aliunde. Ubi verò ſunt leges illæ ſumtuariæ? Ubi Orchia Fannia, qvam Lucilius Centuſſim vocat, qvòd

vetaret ultra 100. asses in convivio insumere: Ubi Didia, Licinia, Cornelia, Antonia? Macrob, 3. Saturn. c. 18. Ubi Oenoptæ Atheniensium, qvi qvid qvisq; liberet in convivio observabant? Athenæus lib. 10. c. 7. Ubi lex Minois, ne compotationib. usq; ad ebrietatẽ indulgendi detur licentia? Plato in Min. Ubi lex Basilidis, qvi eos, qvi publicè ebrii conspicerentur, in carceres conjecit, non depromendos inde nisi triduo ante pascha? P. Oderbornius lib. 1. de vitâ Basilid. Sed qvid dico de legibus? Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam. Plaut. in Trinum. Summum amicitiæ terminum nostri existimant, si convivantes usu rationis & sensuum, memoriâq; amicorum, famulorum & domûs suæ privent. Non jam vitio hoc alicui vertitur: Timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocant. Liv. lib. 22. Temperantiam tenacitatis: Zelum & fortitudinem temeritatis, constantiam pertinaciæ, justiciam crudelitatis, magnanimitatem arrogantiæ appellatione infuscant. Virtus non est nisi ad affectus eorum conformata, nec vitium nisi ab iisdem dissentiat. At verò horum voces prudentioribus eodem loco esse videntur, qvo ventre redditi crepitûs. Senec. ep. 91. Luxui conjuncta est Superbia: qvæ propter dona qvædam à Deo concessa plurimum sibi ipsi tribuit, & alto supercilio despicit cæteros. Atq; ut Ebrii objecta geminata intuentur, propter fumos in oculorum nervos penetrantes, qvi spiritum visivum reddunt impuriorem, atqve perturbant: ita Superbi sua si qvæ habent dona multò majora esse somniant, qvàm reverâ sunt. Divitias miratur Crassus: Alexander potentiam: Niobe polypædiam: Goliathus robur & vastitatẽ corporis: atq; ideò isti omnes majores sibi videntur, qvàm qvibus possit fortuna nocere. Ovid. 6. Metam. Verùm in omnia scelerum præcipitia ruunt. Syrac. 10. ℣. 14. seqviturq; eos ultor à tergo Deus. Senec. in Herc.

fur.

fur. Nam & regium imperium propter nimiam Tarqvinii superbiam finitum est. Valer. Max. lib. 4. c. 4. Deus principes superbos detrudit solio, atq; humiles evehit. Sirac. 10. ℣. 17. Deus per Abdiam prophetam c. un. ℣. 3. Iduméis ob fastum denunciari jubet: Ecce, inqvit, parvum dispositurus sum te inter gentes, contemtus eris valde: Superbia animi tui decipit Te: ô qvi habitas in fissuris petræ, qvi exaltas solium tuum, qvi dicis in corde tuo: Qvis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris, ut aqvila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Jerem. 49. ℣. 16. Eadem ferè comminatio est apud Esaiam c. 3. ℣. 16. & c. 17. ℣. 1. Exempla ubivis obvia sunt. G. Richter. ax. pol. 166. Spinéus lib. 2. de tranqvill. an. p. 58. & seqq.

CAP. X.

De Oppressione Pauperum.

PAupertas prisca apud secula omnium Civitatum conditrix, omnium artium temperatrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes percomta. Apul. 1. Met. non vili habenda est. Nam præterqvàm qvòd αὐτοδίδακτος hæc est virtus. Spin. lib. 1. de tranq. p. 10. omnesq; artes perdocet, ubi qvem attigit. Plaut. in Sticho. Namq; Deus ipse insignem pauperum curã gerit, eosq; evehit. Psal. 113. ℣. 7. 1. Sam. 2. ℣. 8. & magistratibus, tenuium patrocinium suscipientibus, florentissimam opibus & victoriis Remp. gubernandam tradit. Qvi verò egenorum qvantamcunq; reliqvam

sub-

substantiam diripiunt, magnas sibi & Reip. accersunt clades: qvod comminatur Dominus per Prophetam Amos c. 5. ꝟ. 11. Idcirco, inqvit, qvòd diripuistis pauperem, & prædam electam tulistis ab eo: domos qvadrato lapide ædificabitis; & non habitabitis in eis: Vineas plantabitis amœnissimas, & non bibetis vinum earum. &c. Hodie eò mores redacti sunt, ut paupertas maledicto probroq́; sit, contemta divitibus, invisa pauperibus. Senec. ep. 115. Sed si rectiùs æstimaverimus, pauperies inter mala referenda non est. c. illa cavenda. 15. q. 1. Geil. 2. obs. 95. n. 21. qvandoqvidem illius horridior aspectus solidis & certis bonis abundet. Val. Max. lib. 4. c. 4. pr. qvod non nisi à Publicolis, Æmyliis, Fabriciis, Curiis, Scipionibus, Scauris intelligitur. ibid. aut si faciendum illud est, nulli malum erit nisi repugnanti. Senec. ep. 123. in fin. Neq; deforme est egestatem fateri. Thucyd. lib. 2. p. 103. Turpe eam evitare nolle. Turpissimum verò pauperem deprimere, & deplumare.

Cap. XI.

De Factionibus.

FActio est paucorum aut plurium inter se coitio: & cum aliis dissensus. Lips. 6. pol. 3. Alio sensu de factionibus loqvitur Julius Cæsar. lib. 6. de bel. Gal. p. 135. In Galliâ, inqvit, non solùm in omnibus civitatibus atq; pagis partibusq;, sed penè etiam in singulis domibus factiones sunt: earumq́; factionum sunt principes, qvi summam auctoritatem

tem eorum judicio habere existimantur, qvorum ad arbitrium judiciumq; summa, omnium rerum consiliorumq; redeat. Id ejus rei causâ antiqvitùs institutum videtur, ne qvis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret: Suos enim opprimi qvisq; & circumveniri non patitur, neq; aliter si faciat, ullam inter suos habet auctoritatem. Qvibus verbis Clientelare jus notari scribit P. Gregorius lib. 47. Syntag. jur. cap. 7. n. 17.

Factiones autem istæ, de qvibus nos loqvimur, Rebusp. plurimum nocent: eæq; fuére eruntq; pluribus populis magis exitio, qvàm bella externa, qvàm fames morbíve, qvæq; alia in Deûm iras, velut ultima publicorum malorum, vertunt. Liv. lib. 3. In Angliâ sursum deorsum omnia versa, ex factionibus & partialitatibus familiarum illustrium: In Judæam attraxit Antiochum Regem Syriæ depopulatorem factio Menelaica. Sic tempore belli civilis inter Cæsarem & Pompejum factio alia Pompejana erat, alia Juliana; qvibus pessundata est Reip. facies. Qvandoq; etiam factionum altera pars, qvæ domestico certamine inferior est, externo potiùs se applicat, qvàm civi cedat. Liv. lib. 34. Unde peregrinis munita auxiliis confidentiùs rem gerit, & si primo impetu sors non abnuat, sævit in cives, gaudetq; eorum deletione plenariâ. Neq; alius esse discordiarum exitus inter claros & potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus & regnum. Cic. de Aurusp. respons.

Factionibus verò obviandum: Primùm ut legibus interdicantur. Arist. 5. pol. 8. Deinde ambitiosa certamina prorsus exscindantur, atq; adeò nec nomina nova, aut aliud qvid, ex qvo oriri dissidia possint, permittantur. Dion. lib. 52.

lib. 52. Et ista qvidem in principio sedulò curanda sunt, ut dissipentur Magistratuum potentiorumq; contentiones. Arist. 5. pol. c. 4.

Principiis obsta, serò medicina paratur.

Præterea cœtûs & concilia, & secretas consultationes esse non sinas, Liv. lib. 34.

Cap. XII.
De Defectionibus.

Subditi deficiendi occasionem plerumq; arripiunt ex nimiâ Tributorum exactione. Exemplo sunt Frisii, de qvibus dixi lib. 5. c. 22. Ita cùm primi Athenienses sociis imperarent Tributum, hi defecerunt. Thucyd. lib. 1. Freqventer etiam ex asperiore gubernandi modo Defectio nascitur: qvâ de causâ defectionem decem Tribuum expertus est Rehabeam. 2. Paral. 10. ℣. 14. 16. Nulli autem ad deficiendum sunt procliviores, qvàm qvi recèns sunt subacti. Exemplum est apud Tacit. 4. an. p. 156. de Ternestinis, & apud Liv. lib. 8. de Privernatib.

Verùm pœna in Defectores severa statuenda est. Celtiberorum rebellium ad qvindecim millia cæsa aut capta: signa ademta duo & triginta. Liv. lib. 1. dec. 5.

M. Porcius Cato Cos. cùm multos subjugasset Hispaniæ populos, iiq; defecissent, arma eis ademit, qvam rem adeò ægrè passi, ut mortem multi sibimetipsis consciscerent. Liv. lib. 4. dec. 4. p. 29.

Bergestani sub coronâ veniêre omnes, ne sæpiùs pacem solicitarent. Liv. dec. 41. lib. 4. p. 29.

Severior pœna in defectores Babylonios statuta est: Victor enim tria millia procerum patibulis affixit, datâ

cæteris

cæteris veniâ urbem incolendi. Herod. lib 3. in fin p. 218. Nec non in perfugas bello Punico ducentos & nonaginta: namq; illi Romam missi virgis in Comitio cæsi, & de saxo dejecti sunt. Liv.

Cap. XIII.

De Seditionum subjectis, origine & progressu.

SEditio definitore Lipsio 5. pol. 4. est multitudinis in Principem aut magistratûs subitus & violentus motus. Origo illi à causis variis, tum respectu Magistratuum, tum subditorum, tum cladium publicarum.

Ex parte Magistratuum pullulat istud malum, qvoties violatur aut religio, aut non rectè habetur regimen Reip. Ob violatam religionem sæpissimè exulcerantur hominum animi ad ciendam seditionem: qvemadmodum plebs Constantinopolitana ob impietatem Anastasii Imp. qvaternitatem adorare præcipientis, seditiosa commovit arma. Evagr. lib. 3. c. 43. & seq. Niceph. lib. 16. c. 38. Nihil enim est, qvod magis infixum sit hominum animis, qvàm Religio: in qvâ si rigidiùs qvid fuerit imperatum, continuò

Fit via vi, rumpunt aditus, loca milite complent. Virgil.

Si verò malè habetur Reip. regimen, idq; aut intensius, aut remissiùs, nasci solet seditio, tum ex oppressione, tum ex indulgentiâ.

Oppressio qvantoperè in administratione Reip. officiat, suprà aliqvoties tetigi: Temperata cohibent animos: assidua verò & acria extremaqve in audaciam jacentes

jacentes excitant, & omnia experiri ſvadent. Senec. 1. de clem. c. 12.

Officium ut faciat, nimis ô Rex ne preme plebem,
Svaviùs ut ſpirent, ozima ne terito.

Cam. in Embl. Qvò mollius, eò ſvavius, vid. ſuprà lib. 6. c. 35. Sic populus conqveritur de nimiâ oppreſſione à Salomone factâ. 1. Reg. 12. ℣. 4.

Oppreſſionis ſpecies eſt fœnebre malum, qvod Tacitus lib. 6. an. 3. ſeditionum diſcordiarumq; creberrimam cauſam eſſe dicit.

Ex alterâ parte Indulgentia ſeditionem nonnunqvam parit: qvæ ſententia eſt Appii, apud Liv. lib. 2. dicentis: Non miſeriis, ſed licentiâ, tantùm concitum turbarum, & laſcivire magis plebem, qvàm ſævire. Atq; hoc pacto Magiſtratûs anſam ſeditionibus præbent.

Subditi plerumq; ex ocio nimiâq; felicitate & ſatietate eò impelli ſolent. P. Gregor. lib. 23. c. 7. & 23. Meliorum perniciem qværere, dare nutriculas ſeditionis, plebis eſt libertate pereuntis. Typot. lib. 1. de legib. Sanè negotium nomine horridum, civitatis Romanæ mores in ſuo ſtatu continuit, blandæ appellationis qvies plurimis vitiis reſperſit. Val. Mal. lib. 7. c. 2. Reſpectu cladium publicarum divinitùs immiſſarum, qvalia ſunt annonæ gravitas, bellum, peſtis, etiam ſeditioſi concurrere ſolent, cauſam malorum in homines conferentes. Talis orta ſeditio ſcribitur ſub Antonino Pio apud Aurel. Victorem: & ſub Tiberio apud Tacit. 6. An. 3. Iisdem, inqvit, Conſulibus gravitate annonæ juxta ſeditionem ventum, multaq; & plures per dies in theatro licentiùs efflagitata, qvàm ſolitum

tum adversus Imperatorem. Castrensium seditionum exempla ubiuis obvia sunt.

Nunc de Subjecto seditionum, nempe qvi concitare eas soleant, paucis dicendum est. Sunt primùm Inopes, deinde qvi ære alieno gravati sunt, tum qvi commisso scelere pœnam metuunt, deniq; ambitiosi qvidam & ventosi.

Inopes primùm in eam valdè proni: namq; illi bonis invident: vetera odêre, nova expetunt: odio suarum rerum mutari omnia student. Salust. in Jugurthâ. Atq; illi imitantur piscatores, qvi non nisi stagno turbato capiunt angvillas: qvo nomine Cleon apud Aristophanem his verbis latinè redditis reprehenditur:

Namq; id, qvod iis, angvillas qvi captant, usu tibi venit:
Ut unda si stabilis fiet, nil qvicqvam capere possint,
Sin susq; deq; concitaverint lutum in palude
Captura præstò est, ut lucrum tibi motâ civitate.

Obærati, decoctis rebus suis, eodem propendent. Qvippe afflicta illis fides in pace, suntq; rebus turbatis alacres, & per incerta tutissimi. Tacit. 1. hist. Exinde orta est Corcyréa illa seditio apud Thucyd. lib. 3. Itemqve illa Panormitana, de qvâ P. Camer. 1. med. hist. 40. p. 182.

Illi verò qvi perpetratis maleficiis pœnam metuunt, commovendo seditiones prævenire volunt, priusqvàm ea inferatur. Arist. 5. polit. 3. P. Gregor. lib. 23. De Rep. c. 5. Aretius 2. probl. 156.

Deniq; ambitiosi qvidam vehementer ad turbandam seditionibus Remp. accenduntur. Illi privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent. Tacit. 11. annal. honoresq;, qvos qvietâ Rep. desperant, perturbatâ conseqvi se posse arbitrantur. Cic. 2. in Catilin. Huc pertinent & alii, qvi non tam præmiis periculorum, qvàm ipsis periculis læti, pro certis & olim partis, nova, ambigua, ancipitia malunt. Tacit. 2. hist.

Progressus talis ferè esse consvevit: Aliud clàm, aliud palàm agunt. Clàm cœtûs cogunt: nocturnisqve colloqviis, aut, flexo in vesperam die, dilapsis melioribus, deterrimum qvemq; congregantes. Tacit. 1. annal. Causa atq; origo omnis furoris penes auctores est, reliqvi contagione insaniunt. Liv. lib. 28. Qverelas inserunt, & ambiguos de principe sermones, qvæq; alia turbamenta vulgi. Tacit. 1. hist. Palàm speciosa prætexunt nomina. Libertatem præ se ferunt: Durum, invisum, grave est illis servitia ferre. Seneca in Troad. Idipsum Catilina conjurationis suæ socios considerare jubet. En, inqvit, illa, qvàm sæpiùs optastis, libertas: præterèa divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt: fortuna ea omnia victoribus præmia posuit. Salust. Inde rerum novarum studio pessimi qviq; accenduntur: primò levissimus qvisq; & futuri improvidus, spe vanâ tumens. Tacit. 1. hist. Mox, qvod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuère. Ibid.

Tum verò indomitas ardescit vulgus in iras.
Ovid, 5. Met.

Jamqve

Jamqve faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat. Virg. 1. Æneid.

Qvanto qvis audaciâ promtus, tanto magis fidus, rebusq; motis potior habetur. Tacit. 1. annal. Omnesq; eum extollunt, qvem procaciorem audacioremq; in certamen ruere viderunt: cunctantes impellunt, trahunt, objurgant: ſæpiùs etiam anteqvàm confectum fuerit negocium, honores invicem diſtribuunt. Atq; iſta ſeditionum ſunt flabella: hi fomites. Nunc videamus de earundem Remediis.

CAP. XIV.

De Remediis Seditionum & pœnis.

REmedia Seditionum hæc ſunt:

I. Occurrendum in tempore: nam omne malum naſcens facilè opprimitur: inveteratum fit plerumq; robuſtius. Cic. Philip. 5. Nihilq; in discordiis civilibus feſtinatione tutius, ubi facto magis qvàm conſulto opus eſt. Tacit. 1. hiſt. 16.

II. Ad ſopiendam ſeditionem plurimum confert Eloqventia. Lupum ajunt auribus non teneri, at populum & civitatem auribus maximè oportet ducere. Plutarch.

Tum pietate gravem, ac meritis ſi fortè virum qvem
Conſpexère, ſilent, arrectisq; auribus aſtant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Virg. 1. Æn. Sic Menenius Agrippa populum à patribus ſecedentem oratione ſuâ flexit. Liv. lib. 2. Plut. de vir. illuſt. c. 18. P. Scipio militum ſeditionem ex diuturno partim otio, partim ſtipendiis non ſolutis, ortam compoſuit. Liv. lib. 28. Polyb. lib. 11.

M. Popilius Lænas Cos. plebis contra Patres ſeditionem concitatam, cum auctoritate, tum oratione ſuâ ſedavit. Cic. in Bruto. Et Pyrrhus ipſe fatebatur à Cyneâ Oratore ac legato ſuo plures urbes oratione, qvàm à ſe armis expugnatas eſſe. Plutar. in Pyrrho.

Divus Julius ſeditionem exercitûs verbo uno compeſcuit, Qviritès vocando, qvi ſacramentum ejus detrectabant. Tac. 1. ann. p. 14. Lucan.

—— Diſcedite caſtris,

Tradite noſtra viris ignavi ſigna Qvirites.

Divus Auguſtus vultu & aſpectu Actiacas legiones exterruit. Tac. 1. ann. p. 14. Qvod itidem de Caligulâ notat Sveton c. 9. qvòd milites in furorem usqve præcipites ſolus haud dubiè conſpectu ſuo flexerit.

III. Si vires jam egit ſeditio, fortioribus remediis agendum. Tac. 1. ann. Si imperium detrectetur, bello certandum. Ib. Sic Vitalianus motâ ſeditione contra Anaſtaſium Imp. navali prælio victus à Mariano Duce Anaſtaſii. Proclus Mathematicus naves ſeditioſorum incendit arte Archimedicâ, adhibitis cavis ſpeculis, à qvibus radii ſolis accenſi vicinas naves inflammarunt. P. Melanth. lib 3. Chron. p. 534. Et Theodoſius Arbogaſtum & Evgenium ſeditioſos ingenti prælio vicit. Et Henricus IV. Imp. Rudolphum Sveviæ Ducem ad Mersburgum.

IV. Plebs ſeditioſa variis artibus verſanda eſt. Divellendi auctores ſeditionum, qvo remedio tutiſſimè conſenſus multitudinis tollitur. Tacitus.

V. Auctores ſeditionum occultis præmiis allicendi ſunt ad obedientiam. Non deerunt, qvi gratiam melioris partis bono publico velint qvæſitam. Livius lib. 2.

VI. Qvi-

VI. Qvidam per fallaciam demulcendi sunt: mittendi ad eos, qvi eadem velle simulent, qvo plus auctoritatis consiliis insit. Tac. 2. hist.

VII. Plebs etiam ambiguis promissionibus induci potest, ut qvieti sese tradat: Sin instantiùs urget, irrita facilè faciet Princeps, qvæ per seditionem populus extorserit. Tacit. 1. annal.

VIII. In seditiosos culpam deprecantes, supplicio non animadvertendum est: Sufficiat si nefariæ seditionis auctores sangvine luant, qvod admiserunt. Liv. lib. 28.

IX. In complices Seditiosorum non nimis anxiè inqvirendum est: non qvi consiliis, non qvi opibus juvisse dicentur, severiùs indagandi. Tac. 2. ann.

X. Arma seditiosis adimenda sunt. 1. Sam. 13. ℣. 19. Geil. 2. de PP. c. 9. num. 34. Alber. Gentil. de jure belli. lib. 3. cap. 11.

Pœnæ autem pro varietate circumstantiarum variè infliguntur. Olim apud Svevos & Francos, prædones, incendiarii & seditiosi, si nobiles essent, anteqvàm morte plectebantur, ignominiæ causâ canem ferre de comitatu in proximum comitatum cogebantur. Gunther. lib. 5. Lig. Cujac. 11. obs. 22. Peuc. 4. Chron. pag. 902. De Muntzero, Johanne Leidensi & Cnipperdolingo Seditionum auctoribus vid. Sleid. lib. 10.

CAP. XV.

De Bellis Civilibus*.

BEllum civile est motus Subditorum truculentior, in principem, aut inter sese (ut si in Orbe Romano Princeps contra Principem, vel civitas contra

principem, aut aliam civitatem imperialem infurgat) l. un.in pr. ibi. ex bellis civilib. qvæ in fe populus Rom. movebat. C. de caduc. toll. Idq; propriè non vocatur bellum, fed qvædam civilis disfenfio. l. fi qvis ingenuam §. ult.ff.de captiv. & poftlim.reverf. Qvid vero eft? hæccine civilis disfenfio evertit Remp? Audi Saluft. ad Cæf. pag. 331. his verbis: Ego fic exiftimo, qvoniam orta omnia intereunt, qvâ tempeftate Urbi Romanæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conferturos: Ita defeffos & exfangves Regi aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neq; cunctæ gentes conglobatæ movere aut contundere qveant hoc imperium. Nam qvid qvæfo falvi effe poteft ruptis difciplinæ repagulis? Illam in pace inexorabilem discordiæ civium refolvunt, paratis utrinq; corruptoribus, & perfidiâ impunitâ. Tac. 1. hift. qvid reftat ampliùs ad complementum fcelerum, ficubi pedibus conculcatur.

Illud amicitiæ fanctum & venerabile nomen? Ovid. 1. Trift. Atqvi fluxa eft per discordias militum fides. Tac. 2. hift. —eftq; ibi fas ubi maxima merces. Lucan. lib. 10. bell. civil. Qvid addi poteft ad interitum Reip. ubi profcriptiones innoxiorum ob divitias, cruciatûs virorum illuftrium, vaftæ urbes fugâ & cædibus, civium miferorum bona, qvafi prçda venum aut dono dantur? Saluft. in orat. Lep. Sanè Reip. nomen fanctum polluitur. Profperum ac felix fcelus virtus vocatur. Senec. in Herc. fur. Caftra ex unâ parte contraria, & parentum liberorumq; facramenta diverfa. Senec. 2. de Irâ. O miferam iftam rerum faciem! O crudeles qvi in eam funt proni! hos horrens genuit,

Cauca-

Caucasus, Hircanæq; admorunt ubera Tigres. Virg. Isti miscere cuncta, & privata vulnera Reip. malis operire statuunt. Tacit. 1. hist. publicam ruinam malunt, qvàm sua proteri. Vell. lib. 2. Nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura cara habere potest, qvem discordiæ, qvem cędes civium, qvem bellum civile delectat eumq; ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humanæ naturæ ejiciendum puto. Cicer. Philip. 12. Qvalem se vir bonus in bellis civilibus gerere debeat, qviescat, an abeat in partes. Vid. Lips. 6. pol. 6.

Cap. XVI.

De Proditionibus.

NUnc Proditio occultum & insidiosum malum latebris suis extrahendum est. Val. Max. lib. 9. c. 6. qvod tantum incommodi humano generi affert, qvantum salutis bona fides. Val. ib. qvodq; uno momento perdit diu magnâ industriâ servatam Remp. Ideò Claudian. in Ruff. lib. 2 exclamat:

> Heu heu! qvàm brevibus pereunt ingentia causis!
> Imperium tanto qvæsitum sangvine, tanto
> Servatum, qvod mille Ducum peperêre labores:
> Qvod tantis Romana manus, contexuit annis,
> Proditor unus iners angusto tempore vertit!

Propendent in hoc scelus:

1. Homines leves, & qvi pendent ex ancipiti mutatione temporum. Curt. lib. 4. qvibus mos eſt
—— humili læſiſſe veneno
Summa, nec impoſitos unqvam cervice volenti
Ferre Duces. Statius in Thebaid.

2. Simulatores, qvi — abſcondunt pectoris æſtûs, Corn. Gall. qvi aliud lingvâ promtum, aliud corde clauſum habent, qvos non antè intelligas, qvàm proditus ſis. Sen. controv. 7. lib. 7. Atq; ut faciliùs fallant, fideliſſimos ſe præſtant ad tempus: & in parvis ſibi fidem præſtruunt, ut cùm operæ pretium ſit, cum mercede magnâ fallant. Liv. lib. 38.

3. Avari, qvi famæ, fidei, omnibusq; rebus commodum ſuum anteferunt. Saluſt. in Jug. qvi incubant gazæ,
Ut magnus Draco, qvem canunt Poëtæ
Cuſtodem Scythici fuiſſe luci. Martial. lib. 12. pag. 340.

Pœnæ autem atrociſſimæ in eós conſtituendæ ſunt. Exoſum enim ſemper eſt viſum hoc hominum genus:

Romani ſcelerum ſemper ſprevère miniſtros.
Noxia pollicitum domino miſcere venena
Fabricius, Regi nudatâ fraude remiſit,
Infeſto qvem Marte petit, bellumqve negavit
Per famuli patrare nefas: ductosqve Camillus
Trans murum pueros, obſeſſæ reddidit urbi.
Claudian. de bell. Gild.

Germani proditores & transfugas arboribus ſuspen-

pendunt, ignavos & imbelles, & corpore infames cœno ac palude, injectâ insuper crate, mergunt. Tacit. de mor. Ger. c. 5. Jure Saxon. statuta est proditori pœna ordinaria rotæ. tex. in art. 13. lib. 2. Et rectè qvidem: Nulla enim esse potest in tanti sceleris immanitate puniendâ crudelitas. Cic. 4. in Catilin. Idqve non tam ulciscendi causâ, qvàm ut & in præsens sceleratos cives timore ab impugnandâ patriâ deterreas, & imposterum documentum statuas, ne qvis talem amentiam velit imitari. Cicero ad Brut. ep. 25.

Qvòd verò præmiis qvibusdam proditores affectos legimus, non herculè ideò factum est, qvòd illo honore digni haberentur, sed ut aliorum sollicitarentur animi. Curt. lib. 5. Et Augustus suo illo dicterio, proditionē amare se, proditores odisse, significare voluit his qvi proditione profuerunt, nihil deberi gratiæ; licet enim officium qvod præstant pro tempore gratum est, ipsi tamen habentur pro malis & fœdifragis.

CAP. XVII.

De Conjurationibus.

CONjuratio nunc seqvitur, qvâ & ipse Reip. status & magistr. evertitur. Ad eam induci facilè sese patiũtur, qvi novis student reb9, exosumq; in pace servitiũ habent: & contumaciam cum pernicie, qvàm obseqvium cum securitate malunt. Tac. 4. hist. 17. in fi. Ita plurimos in Neronem animavit spes, qvæ ex novis rebus petebatur. Tacit. 15. annal. Et Belgæ mobilitate & levitate animi, novis imperiis studentes contra P. R. conju-

rarunt. Cæsar. lib. 2. bel. Gall. in pr. Deinde etiam Inopes, & qvi ære alieno laborant, animum ad hoc scelus applicant: nempè sublatis è medio principibus, opes adepturos se sperant. Talis erat in conjuratione Catilinariâ Cn. Piso, adolescens nobilis, summæ audaciæ, egens, factiosus, qvem ad perturbandam Remp. inopia atq; mali mores stimulabant. Saluſt. in Catil. p. 17. Deniq; omnium maximè ad conjurationem ineundam inclinant, qvi injuriâ aliqvâ affecti ultionem non aliter, nisi nefariis istis adversus inferentem agitatis consiliis, meditantur: qvomodo ad societatem conjurationis Neronianæ Lucanum Poëtam accendit, qvod famam carminum ejus premebat Nero. Tacit. 15. annal. Arctissimis autem fœderibus se solent obstringere, ut tutiora maneant eorum consilia. Saluſt. de Catil. pag. 21. Fuère, inqvit, eâ tempestate, qvi dicerent Catilinam oratione habitâ, cùm ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sangvinem vino permixtum in pateris circumtulisse, inde cùm post exsecrationem omnes degustavissent, sicut in solennibus sacris fieri consvevit, aperuisse consilium suum. &c. Cæterùm de Conjurationibus vide latè tractantem Scip. Gentil. JC.

Cap. XVIII.

De Conjurationum divulgatione & pœnâ.

EXpedit Reip. perniciosa ista & clancularia consilia emanare: ideoq; Deus variis modis patefacere solet machi-

machinationes iſtas hoſtiliter ſubtiliterq; ſtructas; Faciliùs erumpunt, ſi plures adhibeantur in conſilium: fruſtrà ſilentium & fidem in tot conſciorum animis & corporibus ſperes. Tacit. 15. ann. 8. Sæpiùs etiam à mulierculis conjuratorum emánant arcana: qvomodo Fulvia Catilinæ conjuratos ad Ciceronem Cos. detulit. l.8.ff.ad l. Jul.Maj. Saluſt. in Catil. p. 25. Philotæ itidem conjuratio hoc pacto prodita eſt. Arrian. Bodin. 4. de rep. c.7. pag.737.

Pœnam in Conjuratos ſeveram ſtatui neceſſe eſt: præſertim in ipſa conjurationis capita. Liv. lib.8.p.331. Solent etiam de Conjuratorum filiis ſumi ſupplicia, qvoniam in iis paterni ſceleris metuuntur exempla. l.5.C.ad l. Jul. Majeſt. Ita in liberos Sejani animadverſum eſt. Tac. 5. ann. omnesq; ejus ſocios uno edicto necari juſſit Tiberius. Id. lib.6. ann.3. Ita Mutianus Vitellii filium interfici juſſit, manſuram discordiam contendens, ni ſemina belli reſtinxiſſet. Id.

Hîc verò qværitur: Utrum ſciens conjurationem contra principem vel remp. & non revelans puniendus ſit ordinariâ violatæ majeſtatis pœnâ? Negat l. Metrodorus ff. de pœn. ar. l.2. ff. ad l. Pomp. de Paricid. Sanè capitalem pœnam in eum ſtatuendum Dd. communiter placuit. Mynſ. 5. obſ.40. n.1. Diſtingvit Fachineus 9. controv. 86. inter accuſationem & denunciationem: teneri eum ad denunciandum, non verò ad accuſandum, niſi probationibus benè ſit inſtructus.

CAP. XIX.

De ſtructurâ Inſidiarum.

INſidiæ utplurimùm iis ſtrui ſolent, qvi ſolutè leviterq; vivunt. Nam cùm contemtui omnium ſint obnoxii, fieri

fieri non poteſt, qvin multas oportunitates præbeant inſidiantibus. Ariſt. 5. pol. 10. Nec enim facilis aggreſſu, aut contemtu ſobrius: ſed ebrioſus: nec vigilans & excitatus, ſed ſomnolentus. Id. 5. pol.11. Deinde non rarò naſcuntur inſidiæ, qvotiens princeps non ſatis tenax ſuæ eſt diſciplinæ, nec defungens parco parabiliq; victu ad implenda naturæ deſideria, in peregrina & victarum gentium mala impellitur. Exemplo eſt Alexander apud Curt. lib.6. pag. 140.

Inſidias autem Principibus plerumq; ſtruunt, qvi illis ſunt familiariſſimi. Regum exitûs ſi reputaverimus, plures à ſuis qvàm ab hoſtibus interemtos reperiemus. Curt. lib.9. Ut enim ligna abſumuntur carie in iis generatâ, & à tineis in veſtimento natis ipſum veſtimentum abroditur: Ita ſæpè intra parietes aliqvis eum nutrit, cujus ſcelere deinde & vitâ & dignitate ſpolietur. A. Gvevára in hor.prin.lib.2. c.12.p.264.

Hac de re cõqveritur Auguſtus ad Liviam apud Dionem lib.55. Illud inter cætera, inqvit, difficilimum eſt in Imperio, qvòd non reliqvorum more tantùm nobis ab hoſtibus, ſed ab amicis qvoq; timemus: qvodq; multò plures ab his, qvàm ab alienis perniciem invenerunt.

Ella R. Iſraëlis, filius Beſæ, à miniſtro ſuo primario Simr. qvi ei deinceps ſucceſſit, interemtus eſt, cùm eſſet ebrius. 3. Reg.16. ℣. 9.

Amon R. Judæ ob tyrannidem anno regni altero familiarium ſuorum conjuratione oppreſſus eſt. 4. Reg. 21. 2. Par.33.

Sic Joas ſuorum conſpiratione occiſus eſt. 2. Par. 24. ℣. 25. 2. Reg.12. ℣. 20.

Et Simon Maccabæus per inſidias unà cum filiis à Ptolemæo genero interemtus. 1. Mac. ult. ℣. 12. & ſeqq.

Ale-

Alexander II. R. Mac. filius Amyntæ, patruus Alexandri M. insidiis Eurydices matris appetitus occubuit. Justin. lib. 7. p. 62.

Meleager R. Mac. regni mense altero à suis peremtus, cui successit Antipater, eandem fortunam expertus, cùm regno præfuisset dies 45.

Hiempsal filius Micipsæ per insidias ita cæsus est à Jugurthâ. Salust. in Jugurth.

Agamemnon à Conjuge adulterâ Clytemnestrâ: Ulysses à filio Telegono nato è Circe.

Mithridates puer tutorum insidias passus est, cum fero eqvo impositum, eqvitare jaculariq; cogebant. &c. Justin. lib. 37.

Tiberius Imp. insidiis Caligulæ interemtus est.

Arminius petitus armis, cùm variâ fortunâ certaret, dolo propinqvorum cecidit. Tac. 2. ann. in fin.

Domitianus oppressus est amicorum libertorumq; intimorum conspiratione, simul & uxoris. Sveton. in vitâ ejus. c. 14.

Numerianus Imp. adolescens egregiæ indolis, cùm oculorum dolore correptus lecticulâ veheretur, impulsore Apro, qvi socer ejus erat, per insidias occisus est: & cùm dolo occultaretur ipsius mors, fœtore cadaveris prodita est. Eutrop. lib. 9. p. 74.

Albertus I. Imp. à fratris filio Johanne, cui tanqvam prodigo administrationem Sveviæ ademerat, interfectus est. Peuc. 5. Chron. p. 1061.

Horum omnium, qvorum feci mentionem, recognosce exemplum, qvi familiarium suorum insidiis perierunt, aut apertâ vi aut dolo, & intelliges, non pauciores servorum irâ cecidisse, qvàm Regum, Senec. ep. 4. Vid. suprà lib. 1. c. 9. p. 60. Id verò justissimâ Talionis lege sæpissimè evenit, ut structæ in autorem recidant insidiæ:

Cir-

Circumretit enim vis atq; injuria qvemqve,
Atq; unde exorta est, ad eum plerumqve revertit. Lucret.

Nec iniqvum est, fraudulentissimos qvosq; fraude ipsâ in insidias deduci. Florus. Sic Prusias Bithyniæ Rex dum Nicomedem filium interimere cupit, ipse hoc scelus luit. Justinus lib. 24. p. 208. Sic Heliogabalus qvas Alexandro Severo insidias struebat, ipse experiebatur. Lamprid. Sic Gryphus periit. Justin. lib. 38. p. 230. Sic Haman. Esth. cap. 7. ℣. 9. & 10. Sic duo illi pudicitiæ Susannæ insidiatores supplicio, qvod paraverant aliis, affecti sunt. Daniel. 13. ℣. 62.

—— neq; enim lex justior ulla est,
Qvàm necis artifices arte perire suâ. Ovid.

De Carolo VI. Rege Francorum, cum pomo suo venenato huc referendo, vid. Frossard. lib. 4. Bernard. Girard. lib. 18. hist. Gall. Hug. Falcand. lib. 6. de Sicil. calam. c. 5.

Cap. XX.
De ratione evitandi insidias.

INterdum nullâ providentiâ humanâ laqveos insidiarum evitare possunt principes; qvibus aliâs hostem adversum opprimere haud difficile est: occulta pericula vitare non possunt. Sal. ad Cæs. Mansvescunt corda ferarum, at qvorundam hominum magis magisq; indurescunt: minantur anteqvàm feriant feræ: odia hominum improvisò erumpunt. Hi qvi te dominum vocant, heu qvàm parvo precio venale genus & instabile, qvàm levibus ex causis mutabuntur, & ex militib. hostes fient! Blandi vultus in horrorem, datæq; tibi dexteræ tuam forsitan in perniciem convertentur, neq; si fiat, novum erit aut insolitum.

Remedia tamen qvædam cape.

I. Est Diligens indagatio: ne principem lateat qvid qvisq; subditorum faciat aut dicat. Arist. 5. pol. 11. Facta dictis conjungo: Rarò enim nisi malè locuti, malefaciunt. & lingvæ temeritas pervenit ad gladios. Curt. lib. 6. Indagandi, qvi aut ipsum Principem criminantur, aut sermonib. vituperantium criminantiumq; faciles aures prębent, Curt. lib. 8. Indici præmia decernenda, pecunia & impunitas. Salust. in Catil. Non tamen omnibus, qvæ ab illo dicentur, fides adhibenda est: qvin potiùs acriter examinanda & discutienda sunt, ex illo Mæcenatis monito apud Dionem lib. 52. Qvòd si facilè fidem habeat Princeps de insidiis sibi structis, vulgi rumore lacerabitur, tanqvam viros insontes ob invidiam aut metum extinxerit. Tac. 15. an.

II. Remedium est, ut in eos, qvi semel deprehensi sunt, gravis parata sit animadversio, ut deterreantur cæteri à simili audaciâ. Interdum tamen dissimulatio locũ habebit, solum sæpè insidiarũ remedium est, si non intelligantur. Tac. 14. ann. Sic principes & Senatores Carthaginenses Hannonis evitarunt insidias. Justin. lib. 21. Sic Eteocles Lacedæmonius militum conspirationem evasit. Xenoph. lib. 2. hist. Græc.

III. Remedium est innocentia Principũ, in qvâ plus præsidii, qvàm in custodiâ aliqvot millium hominum. De illâ gloriatur Titus Imp. apud Dion. lib. 56. p. 755. Nemo, inqvit, injuriâ me afficere, aut inseqvi contumeliâ potest: propterea qvod nihil ago, qvod reprehensionem mereatur: ea vero qvę falsò de me dicuntur, prorsus negligo. Ea etiam mens qvandoq; fuit Caligulæ, qvi libellum de salute suâ oblatum non recepit, contendens, nihil sibi admissum, cur cuiqvam invisus esset, negavitq; se delatoribus aures habere, Svet. c. 15. in fin.

IV. In remediis pono Calliditatem sive Astutiam: qvâ ratione Commodi Imp. insidias vafrè invitavit Sixtus ille Condianus apud Dion. lib. 72. pag. 825. Eqvum conscendit poto leporis sangvine: ex eoq; paulò pòst cecidit consultò, & sangvinem qvem biberat, pro suo evomere cœpit: mox erectus à suis, qvasi esset statim moriturus, domum illatus delituit. Tum aries pro ejus corpore in arcam conjectus, combustusq; est: Ipse deinde diu hinc inde variis in locis vagari cœpit. Astutum fallere difficile est. Terent. in And. & ut Seneca ait in Troade: ——non facile est Tibi

Decipere Ulyssem, id est, vafrum, astutum, versipellem.

V. Deniq; fortissimum contra insidias telum est Divina protectio: qvâ tuti sunt principes. Deus custodit eos ne capiantur. Prov. c. 3. Si verò gratiosam suam præsentiam iis subtraxerit, frustrà se munierint loricis, galeâ, armis, præsidiisq; militum.

Præbenda est gladio pulchra hæc & candida cervix. Juven. Sat. 4.

CAP. XXI.

De Causâ Eversionum formali, & qvomodo à Conversione & mutatione differat.

Resp. everti dicitur, cùm leges, magistratûs, subditi abolentur & extingvuntur: qvod fit si ἀναρχία sit, & populus deleatur funditus. Ἀναρχίαν Aristoteles 5. pol. 3. vocat confusionem Reip. in qva Imperantium & Parentium discrimen sublatum est.

Conver-

Converſio autem Reip. ſive mutatio eſt, ubi forma adminiſtrationis alicujus Reip. mutatur in aliam formam: veluti cùm popularis gubernatio mutatur in regiam, aut hæc in Tyrannidem: aut etiam ubi una Resp. transplantatur in aliam.

Qvatuor verò modos τῆς μεταβολῆς τῶν πολιτειῶν proponit Ariſt. 5. pol. 1. qvos in duos contrahit cap. 7. inqviens, omnes respub. mutari vel in eam formam, ad qvam magis inclinant, h. e. in ſibi vicinam, vel in contrariam.

Cauſas 15. Converſionum in Rep. recenſet id. 5. polit. 3. & 4.

Democratia mutatur vel in Oligarchiam, vel in Tyrannidem, vel in Democratiam prorſus intolerabilem.

In Oligarchiam mutatur potiſſimùm ex nimiâ Tribunorum plebis improbitate: qvi aucupantur gratiam populi: & ditiores cives apud plebem falsò traducunt, tanqvam libertati omnium inſidientur. Unde iſtis metus incutitur, ne aliqvando impulſu Tribunorum opprimantur ex improviſo: atq; ideò ſatiùs eſſe putantes prævenire qvàm præveniri, conſpiratione inter ſe factâ Imperium Civitatis ad ſe pertrahunt, hocq; modo ex Democratiâ Oligarchiam conſtituunt. Hoc qvinq; exemplis declarat Ariſt. 5. pol. 5.

In Tyrannidem verò mutatur, ſi vel tribuni, qvibus ſumma gerendi belli commiſſa eſt, deſciſcunt à populo, & ſibi ſolis imperium ſumunt: vel cives operis ſuis intenti non animadvertunt, qvomodo paulatim aliqvis potentiorum civium, totam gubernationem ad ſe pertrahat: qvalis apud Athenienſes Piſiſtratus, apud Megarenſes Theages, & apud Syracuſanos Dionyſius.

In extremè malam mutatur bona Democratia, cùm præcipui magiſtratûs tantùm per ſuffragia imperitæ multi-

titudinis creantur, nullâ habitâ ratione virtutum: tum per largitiones facilè extorqveri possunt suffragia.

Oligarchia interdum mutatur in alias formas, vel ex injusticiâ Magistratûs Oligarchici, vel ex seditionibus, Arist. 5. pol. 6.

Aristocratia mutatur ex seditionibus & incuriâ negligentiâq; justiciæ, V. Arist. 5 pol 7.

Monarchia mutatur. 1. ex injusticiâ illata personis, famæ & bonis subditorum. Arist. 6. pol. 10.

2. ex metu subditorum: nam qvem metuunt oderunt, qvem qvisq; odit periisse expetit. Cic. 2. off. Et id. 1. off. Nulla vis imperii tanta est, qvæ premente metu possit esse diuturna.

3. Ex contemtu Monarcharum: qvod declarat Arist. 5. pol. 10. qvinqve exemplis.

4. Ex cupiditate honoris, gloriæ & lucri: cùm qvidam ex interfectione Monarchæ gloriam & præmium se reportaturos confidunt. Arist. 5. pol. 10.

CAP. XXII.

De Eversionibus Urbium.

EVersas Rerump. partes contemplabimur, urbes & earum incolas.

Urbes ab interitu tueri non potest vel ædificiorum structura magnifica, vel præsidiorum vis inexhausta, vel solers indigenarum cura, & vigilantia. Idemq; illis accidit, qvod magnis arboribus, hæ diu crescunt, unâ horâ exstirpantur Scythæ ad Alex. apud Curt. lib. 7. p. 167. Audi Livium de Albæ ruderibus lib. 1. p. 31. disserentem: Egressis Urbem Albanis Romanus passim publica privataq; omnia tecta adæqvat solo, unâq; horâ qvadringentorum annorum opus, qvi-

qvibus Alba ſteterat, excidio ac ruinis dedit. Audi eund. lib. 7. p. 300. de Satrico diruto: Volſci ferocior ad rebellandum, qvàm ad bellandum gens, certamine victi, fugâ effusâ Satrici mœnia petunt, & ne in muris qvidem ſatis firmâ ſpe cùm coronâ militum cincta jam ſcalis caperetur urbs, ad qvatuor millia, præter multitudinem imbellem ſeſe dedidére: Oppidum dirutum atq; incenſum, &c.

Corinthus exciſa, & tubâ precinente deleta eſt. Flor. lib. 2. c. 16. Simili modo Athenæ everſæ à Lyſandro ad tibiarum cantum.

De Carthagine deletâ v. Flor. lib. 2. c. 18. & Stad. in not. p. 131. De Numantiâ eund d. loco. Solin. c. 40. De Thebis dirutis Juſtin. lib. 11. Ovid. lib. 13. Metam.

Clara fuit Sparte, magnæ viguère Mycenæ;
Nec nō & Cecropis, nec non Amphionis arces:
Vile ſolum Sparte eſt, altæ cecidère Mycenæ:
Oedipodioniæ qvid ſunt, niſi nomina, Thebæ?
Qvid Pandioniæ reſtant, niſi nomen, Athenæ?

Livius lib. 7. p. 327. In Veliternos, inqvit, veteres cives Romanos, qvòd toties rebellaſſent, graviter ſævitum: & muri dejecti, & ſenatus inde abductus. &c.

Mediolanum à Friderico I. Imp. everſum, ita ut per medium urbis in modum crucis aratrum traheretur. Marianus. Bardevicum eodem modo everſum eſt ab Henrico Leone. Crantzius lib. 7. Saxon. cap. 2.

Leodium à Carolo Burgundo expugnatum, direptum & crematum. Tilius, Gagvinus, Nauclerus, Crantzius lib. 12. Vandaliæ cap. 40.

Qvod verò de Urbe Româ aït Lipſ. in lib. de Amphitea-

atro cap. 6. his verbis: Tres ad pulcherrimum hoc mundi opus evertendum Dii conspirarunt: Crenus, Vulcanus, & pater ipse gentis:

Non tamen annorum series, non flamma, nec ensis,
Æternum potuit hoc abolere decus.

Satis convincitur, qvòd toties solo æqvata Romana mœnia, & urbs ruderibus planè deformata fuerit: præsertim à Totilâ anno Christi 546. ab Alarico anno 410. Socrat. lib. 7. c. 10. à Genserico anno 472. & ab Odoacro Herulo anno 476.

Cæterùm in eversionibus Urbium sæpiùs sal, more à Judæis ducto, super eversæ urbis solo spargitur: scilicet ut in fundatione juncti taurus & vacca symbolum futuræ sobolis & fœcunditatis: sic sal sterilitatis & inopiæ rerum omnium. A Romanis qvoqve lentem & salem πένθιμα credi, h.e. lugubria, ac proinde mortuis apponi consvevisse, Plutarchus in Crasso refert.

Cap. XXIII.

De Exstirpatione hominum, & translatione in servitutem.

URbium incolæ exstirpantur aut divinitùs aut humanitùs. Divinitùs deleti sunt Sodomitici tractûs accolæ: de qvibus præter sacras literas Genes. 19. Oros. lib. 1. & Tacitus 5. hist. 2. Haud procul, inqvit, inde campi, qvos ferunt olim uberes, magnisq; urbibus habitatos, fulminum jactu arsisse: & manere vestigia, terramq; specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita, aut manu sata, si-

ve herbâ tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevère, atra & inania, velut in cinrem vanescunt. Ego sicut Judaicas qvondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim, ita halitu lacûs inſici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoq; fœtûs segetum & autumni putrescere reor, solo cœloq; juxtà gravi. Vid. Solin. Polyhist. c.48.

Humanitûs exscindi dicuntur urbes, cùm hominum industriâ unà cum incolis delentur: qvemadmodum Byzantini à Severo Imp. Dion. lib.74. in fin. Hierosolymitani à Tito. Joseph. lib. 7. excid. c. 9. & seqq. Tacit. 5. Hist.2. & ab Hadriano Imp. Evseb. lib.4.c.7. Idem de illis ferendum judicium, cùm rediguntur in servitutem. Nam mortalitati comparatur servitus. l.209. ff. de R.J. Sic capto & diruto Satrico qvatuor millia venditi. Liv. lib.7. p. 300. Ita Thebani captivi sub coronâ venduntur, qvorum precium non ex ementium commodo, sed ex inimicorum odio extenditur. Justin. lib.11. Coronæ in modum disponebantur capti, qvo faciliùs ab emtoribus considerari possent. Gell. lib.7.c.4.

CAP. XXIV.

De fatali Rerump. periodo.

SApienter Crœsus ad Cyrum, humanarum rerum cursum instar circini esse ait, qvi rotatus semper eosdem fortunatos esse non sinit. Herod. lib.1. Qvicqvid enim ex imo ad summum perductum claritatis fastigium, rursus resolvitur in suum principium, & ad nihilum redigitur: Qvod evidenter in Imperiis mundanis conspicitur: Oriuntur, moriuntur: crescunt, decre-

ſcunt:florent,plorant:vigent,rigent: & cætera,plerumq; ætas illis præſtituta eſt certiq; limites: his velut carceribus gloria eorum circumſcripta eſt: hæc meta creſcentis potentiæ. Qvingentos annos plus minus ex collectione aliqvot documentorum, obſervavimus tam ex ſacris,qvàm profanis ſcriptoribus.

A principio collectionis populi Dei, nempè vocationis Abrahami ex Haran, anni ſunt 435. ad egreſſum Iſraëlitarum ex Ægypto: Regnum Judaicum à Saule ad Zedechiam ultimum annis qvingentis qvinq; floruerat: Reverſa Judæorum gens à captivitate Babylonicâ patriam incoluit annis ferè totidem usq; ad extremam πανολεθρίαν & excidium urbis.

Lacedemoniorum Resp. à Lycurgo fundatore ſub Heraclidis, ad Alexandri M. ætatem qvâ concidit,eâdem periodo circumſcripta eſt: uti etiam Romana Democratia à tempore exactorum Regum ad Auguſtum: Occidentalis Imperii dignitas ab Auguſto totidem ſeculis usq; ad Auguſtulum concluſa eſt. Inter Conſtantinum M. ſedem Imperii Conſtantinopoli figentem, & Carolum M. veterem Imperio Occidentali, pulſis Longobardis, gloriam reſtituentem, ille ipſe annorum occurrit numerus. Atq; hodie mira hujus rei obſervatio.

En florentiſſimæ Pannoniæ limites! illam ad regiam dignitatem evexit Henricus II. Imp. Exacto qvingentorum annorum curriculo concuti ac labefactari cœpta eſt hujus regni gloria, captâ Budâ Metropoli, potioribusq; ejus provinciis devaſtatis, violentiâ Mahometicâ. En Poloniam! Ejus regni initium collocatur circa annum Chriſti milleſimum. Peuc. 5. Chron. p. 1019. Hodiè qvò longiùs exceſſit fatalem periodum, eò ſqvalidior eſt illius facies. Conqvaſſatur nunc malum! fœdâ ex inteſtinis bellis ſtrage: disſenſionibusq; civilibus labefactatum penè nutare videtur.

In aliis autem regnis dimidia tantùm periodi qvingentorum

torum annorum occurrit: Ista ferè 250. annis circumscripta sunt: Monarchia Persica, qvæ à Cyro usq; ad Darium ultimum opibus & potentiâ floruit, annorum 230. armis Alexandri M. dissoluta corruit. Et Regnum Longobardicum in Italiâ 240. annis floridum, à Carolo M. excisum est.

Qvibusdam etiam septingentorum annorum curriculum attributum: Carthago enim post annos septingentos triginta septem exscinditur, qvàm fuerat exstructa. Solin. c. 40. A Româ conditâ usq; ad civile bellum Cæsaris & Pompeii sunt anni 705. usq; ad Actiacam Augusti victoriam anni 729. A tempore, qvo Romana Resp. summo fastigio collocata est, videlicet Carthaginis deletæ usq; ad devastationem à Totilâ Gothico Rege factam, anni sunt 688. Septingentis etiam annis Mauri incoluerunt Hispaniam.

Cæterùm hoc loco notandum est, omnia regna ferè fatales habere limites, ultra qvos progredi feliciter non possunt. Act. 17. ℣. 26. Ps. 104. ℣. 9. Rom. Imp. limites fuêre ad Occidentē Oceanus, à Septētrione Rhenus & Danubius, ab Oriente Tygris, à Meridie Atlas: idq; in fatis fuit Romanis armis, ut Ctesiphontem transire non potuerint. Fl. Vopisc. in Caro. Imp. Diocletianus tamen transiit. Pomp. Lætus in Diocl. Et Trajanus rebus magnis ad Orientem gestis limites Imperii ad rubrum mare promovit. Tac. lib. 2. ann. Crassus itidem ad Zeugmam Assyriæ urbem ad citeriorem Evphratis ripam positam, pervénit, sed successu parùm prospero. Flor. lib. 3. c. 11. Assyriaci Imperii terminus fuit Hellespontus Pol. lib. 1. Et Darius Hystaspes movens in Scythas ultra Tanaim non est progressus. Sed nos ad signa Eversionum progredimur.

Cap. XXV.
De Signis Eversionis Rerumpubl.

INter ſigna Everſionum referimus primùm Cometas, deinde Terræmotûs, tum Eclipſes.

De Cometis multorum ſeculorum docet obſervatio, magnas clades orbi Terrarum, excidia Civitatum, regnorum mutationes, & alias calamitates publicas per eos denunciari. Freig. lib. 25. phyſ. p.645. Peucer. de divinat. p.358. Garcæus in Meteorol. p.34. Camer. lib.2. de oſtentis.p.345. P. Gregor.lib.21.de Rep. c.6. Mizald. lib. 2. Cometegr.

Terræmotûs verò tum ſigna ſunt everſionum. Garcæus in Meteorol. p. 392. & 411. tum earundem inſtrumenta. Unus ſub Tiberio Terræmotus duodecim celebres Aſiæ urbes evertit. Tacit.2. ann.7. Totidem Campaniæ oppida alius ſub Conſtantino: & unum aliqvod Attilæ bellum plus qvàm centenas. Lipſ.1. de Conſtant.c.16. Qvandoq; etiam totæ inſulæ abſorptæ. Helice, Burc, Athlantis; & in Selandiæ partibus duæ inſulæ cum oppidis virisq;. Lipſ.ib.

Eclipſes licet naturales ſuas habent cauſas, attamen mutationes in Imperiis futuras portendunt. Freig.lib.14. Phyſ.p.314. Præterea plures ſoles ferè viſos conſtat, cùm nova eſſent fœdera conſuta, aut ſtructæ adornatæq; conſpirationes, vel ad rapienda imperia, vel eos qvi præſiderent de faſtigio dejiciendos, aut omninò niſi aliqvi res novas molirentur, à qvibus impendérent innovationes, turbationésve etiam in religione. Peucer. de divinat. p. 353. P. Gregor.lib.21.de Rep.c.7.

Qvid verò de Numeris Platonicis? Obſcuritate nimiâ res involuta eſt. Plato lib. 8. de Rep. cauſam mutationis & interitûs regnorum transfert in converſionem & revolutionem qvorundam orbium cœleſtium, factam certo annorum numero, qvem poſtqvàm res attigerunt, incipiunt rurſum qvodammodò retrogradi, & paulatim in deterius mutari. Communior eſt eruditorum ſententia: Platonem

tonem notare voluisse, miram esse efficaciam numeri septenarii & novenarii cum suis qvadratis & cubicis: qvâ de re vid. Peucer. de divinat. & Bodin. 4. de Rep. c. 2.

Cap. XXVI.

De Migrationibus Gentium.

EVersis Rebusp. aut Urbibus Migratio gentium seqvitur: Eaq; ferè semper ex Septentrione fieri consvevit. Ex Cimbricâ Chersoneso in Italiam erumpunt Cimbri & Teutones: itemq; Gothicæ gentes, qvæ olim tenuerunt utramq; ripam Vistulæ. Ex illis qvidam Italiâ cedentes progressi sunt in Thraciam, atq; ibi Getæ appellati sunt. Sic & Turcæ ex Caucasi angustiis Septentrionalibus irruperunt in Asiam. Peuc. 4. Chron. p. 721. Sic Svevi sedes suas diu tenuerunt in Pomeraniâ, exinde novas qvæsiverunt sedes in Rhetiâ Vindeliciaq; provinciis Romanorum. Idem 4. Chron. p. 616. Sic Longobardi relictis antiqvis sedibus, in tractu Magdeburgensi, duce Alboino per Noricum & Pannoniam Italiam adierunt, totaq; penè Cisalpinâ Galliâ ad Apenninum usq; occupatâ, regnum constituerunt. Id. 4. Chron. p. 618. Nonnullos etjam ex orientalibus terris in Occidentales migrasse reperias. Lips. lib. 1. de Magnitud. Rom. c. 3. p. 13. & cum iis sacra imperia, artes ab Oriente ferè in reliqvum orbem paulatim defluxisse. Id. lib. 1. poliercet. c. 3. Inde eruperunt Sacæ, Heneti, Sarmatæ, Hungari & Tartari. &c.

Cap. XXVII.

De Remediis Eversionum.

INduſtriâ prudentium hominum declinari poſſunt cauſæ everſionum tum portendentes, tum invaleſcentes. Qvæ everſionem portendunt, diligentiſſimè inhibendæ ſunt: Vitetur ſecuritas:qvippe nemo celeriùs opprimitur, qvàm qvi minùs timet: Tollatur ocium: neq; negligantur minima eorum initia: In legibus moribusq; receptis nihil immutetur: Religio ſanctè colatur: Tribunorum plebis inſolentia, & in commovendâ plebe audacia compeſcatur: Rerum ſummæ præficiantur viri probi. Talis enim eſt Resp. qvalem eam ſolertia vel incuria Magiſtratuum efficiet.

Contra ingraveſcentes autem cauſas notetur, æqvalitatem inter cives eſſe obſervandam: diligenter proſpiciendum, ne qvis ultra menſuram creſcat: & in univerſum ut pia, ſobria, juſtaq; tam imperantium qvàm parentium ſit vita. D. Paulus ad Tit.c.2.℣. 12. Singula remedia aliqvanto plenius ſuprà ſuis locis aſſeruimus. &c.



S.S. TRI-

S.S. TRINITATI
SACRUM.
DEO OPT. MAX.
INCOMPREHENSIBILIS ESSENTIÆ,
IMMENSÆ POTENTIÆ,
ÆTERNÆ IMMORTALITATIS;
RERUMPUBLICARUM
FUNDATORI, CONSERVA-
TORI, INSTAURATORI
SAPIENTISSIMO:
PER QVEM REGES REGNANT, ET
CONSILIARII JUSTA
DECERNUNT:
QVI OMNIA EFFICIT EX CONSI-
LIO VOLUNTATIS SUÆ:
HOMINEM CREAT AD SUAM
IMAGINEM:
EIQ. OMNIA SUBJICIT:
INFIRMUM SUSTENTAT:
LAPSUM ERIGIT:
QVI NOS EX INTIMO, ET SPONTANEO
SUO BENEPLACITO PRONUNCIAT
LIBEROS, JUSTOS, SANCTOS, FRATRES,
COHÆREDES DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI, NEC NON ET
SPIRITUS SANCTI ORGA-
NA ET TEMPLA:

LAUS

LAUS, HONOR ET
GLORIA
SOLI
DEBETUR
IN OMNE ÆVUM :



FINIS.

TABULÆ
In qvibus Methodus & Dispositio operis ostenditur.

TAB. I. eaq́; generalis.

In Politiâ considero Reip.

- Constitutionem Tab. 2.
- Administrationẽ eamq́ve
  - Togatam: hujus specto
    - 1. Efficientem causam: sive modos, qvib. deferri solet administratio. Tab. 3.
    - 2. Subjectum: nempè Magistratum
      - Probum.
      - Improbũ, ut Tyran.
      - Tab. IV.
    - 3. Formam, positam in
      - Sanctione legũ.
      - Custodiâ discipl. publ.
      - Jurisdictionis exercitio.
      - Tab. V.
    - 4. Adjuncta: sunt
      - Personę, juvantes administrationem
        - Consilio: Consiliarii.
        - Legationib. Legati
        - Obseqo: Ministri
        - Ta. VI.
        - & Subditi Tab. VII.
      - Res: sunt munimenta gubernationis politicæ: eaq́ve vel domi, vel foris recepta. Illa in conservando regimine & augendo: Hæc in fœderib. Tab. VIII.
    - 5. Species: in modo gubernãdi Monarchico, Aristocratico & Democratico. Hîc additur descriptio Status S. Roman. Imperii Tab. IX.
  - Militarem Tab. X.
- Eversionem Tab. XI.


LIBER I. Politicorum.

Politica: hujus artis

- Præstantia: finis. c. 1.
- Notatio, definitio: & præceptorum nostri operis dispositio c. 2.
- Qvibus adjumentis asseqvamur politicam prudentiam. c. 3.
- Subjectum Respublica: hujus
  - 1. Definitio & Ortus c. 4.
  - 2. Incrementa
    - In genere c. 5.
    - In specie: (ubi & rerump. partes deprehendimus.) Incrementũ est in societ.
      - paucorum, videlicet in conjunctione
        - Maritali: atq; hic de marit. & ux. c. 6.
        - Patria: hic de patre & lib. c. 7.
        - Qvò pertinet Educatio. c. 8.
        - Herili: de domino & seruo. c. 9.
      - Plurium: devinctorũ inter se vinculo
        - Naturali-Familiæ c. 10.
        - Civili jure
          - Sodalitatis in Collegiis & tribubus: de qvib. c. 11.
          - Vicinitatis qvoad
            - territoriũ sive districtum c. 12.
            - Civitatem & Metropolin. c. 19.
            - Urbẽ: & in ea ædificia
              - pub. c. 14.
              - priv. c. 15.
  - 3. Forma Reip. & an mixta detur, c. 16.
  - 4. Finis: c. 17.

TAB. III. De Administratione Reip. qvibus modis illa deferri soleat.

LIBER II. Politicorum.



Modi qvibus defertur Administratio, sunt


- Legitimi
  - Electio, de hac qværitur
    - Utilísne Reip. sit Electio. c.I.
    - qvæ ejus forma, nempè qvòd alia sit voti
      - Liberi, in qvâ sæpius ortis dissidiis SORTE res decidenda est. c.2.
      - restricti ad certas
        - Personas:
        - Leges: qvo loco qværitur: Ambulatorius an perpet. Magistr. esse deb. c.3.
    - qvi eligendi
      - non obscuro loco nati. c.4.
      - non extranei. c.5.
      - non illi qvibus aliqua inhæret macula. c.6.
      - non juvenes non senes nimis. c.7.
    - qvi Effectus Electionis: qvando is qvi Electus est, administrationem aut recusat, aut suscipit, idqve vel lubens vel invitus, & qvid de utroq; genere sit sentiendum. c. 8.
  - Succesio. vide A.
- Illegitimi per violentiam, fraudē & largitiones c. 19.

- A Succeſſio eſt ex Jure
  - Sangvinis: eaq; eſt
    - certa: hîc qværitur:
      - 1. Expediátne Reip. ſucceſſio c.9.
      - 2. Subjectũ Succeſſionis qvale ſit, qvi ſuccedant
        - Liberi diſtincti ex
          - Ordine prærogativę, ut ſunt mares Legitimi non ſpurii c. 10.
          - Primogeniti, qvo loco de jure primogenituræ c. 11.
          - Sexu, qvo loco de Gynecocratiâ c.12.
        - Agnati: qvi ſæpiùs ſuccedunt vigore pactorum familiarium: de qvibus ut & de Ganerbinatu c.13.
    - Suſpenſa: hîc qværitur de Tutoribus Illuſtrium Perſonarum c. 14.
  - Belli c.15.
  - Connubiorum c.16.
  - Donationis, qvo loco de Donatione Conſtantini M. diſſero c. 17.
  - Teſtamenti c.18.

Adminiſtratione rectè delatâ, ſeqvitur inauguratio Magiſtratûs c. 20. & exactio juramenti c. 21.

TAB. IV. De SUBJECTO administrationis: nempè Magistratu: eoq; tum probo, tum Improbo.

LIBER II.



B.
Virtutis præmium, respectu eius qvā coluit
- Felicitas c. 34.
- Bona conscientia c.35.
- Auctoritas & benevolentia populi c.36.

C.
Improbus. Tyrannus: Hic considero, qvæ Tyrannidis sit
- Acqvisitio c. 37.
- Conservatio, qvibus illa adminiculis fiat c.38.
- Amissio in
  - genere: qvibus modis Tyrannis aboleatur c.39.
  - specie, de Tyrannicidis c. ult.

Tabula

TABULA V. De formâ administrationis, qvæ posita est in sanctione legum, custodiâ disciplinæ publicæ, & exercitio Jurisdictionis.

LIBER III.

I. Sanctio Legum: hic perpendo qvæ sit Legum
- Definitio & distributio c.1.
- Causa efficiens: Legislatores c.2.
- Materia c.3.
- Finis & forma c.4.
- Effectus, qvòd obligant aut ad obedientiam aut ad pœnam c. 5.
- Subjectum occupans. c.6.
- Adjunctum: earum
  - Multitudo c.7.
  - Interpretatio c.8.
- Contraria: Mutatio & abnegatio c. 9.

II. Custodia disciplinæ publicæ: ejus subjectum
- Recipiens: Censores c.10.
- Occupans in tuitione
  - Religionis c. 11.
  - Commerciorum, in compescendo fœnore c.12.
  - Honestatis & securit. publicę: ut tollantur
    - Lupanaria c.13.
    - Otiosi c.14.
    - Mendici c.15.
    - Cingari c.16.
  - Cuiusqve rei familiaris, ut frenetur luxus conviviorum & vest. c.17.
  - Pauperum, hîc de Xenodochiis c. 18.

III. Jurisdictionis exercitio vid. D.

D

III. Jurisdictionis Exercitium spectatur in
- Genere c.19.
- Specie quoad
  - Criminalem, qvæ est in exigendis pœnis c.20.
  - Civilem, quo loco de Dorophagiâ Judicum. c.21.

TABULA VI. De Personis Administrationem Reip. juvantibus consilio; legationibus, obseqvio, qvales sunt: Consiliarii, Legati, Ministri aulici, subditi,

in Libro III. qvæ restant.

Consiliarii: Horum
- Usus in Rep. necessarius. c.22.
- Reqvisita
  - In genere: ubi de Consiliariorum ætate, doctrinâ & Moribus. c.23.
  - In specie, qvales esse debeant
    - in ipsâ consultatione c.24.
    - post eam c.25.
- Privilegia c.26.

Legati. vid. E.

Ministri aulici vid. F.

Subditi vid. G.

Lega-

E
Legati. Horũ

- Usus in conficiendis Reipublicæ negociis c27.
- Reqvisita
  - In genere, ubi de Virtute ac doctrinâ legati c.28.
  - In specie, qvales esse debeant
    - In ipsâ legatione obeundâ c.29.
    - post eam obitam c.30.
- Privilegia c.31.

F.
Ministri aulici horum considero

- Qvalitates, & qvi sint eligendi c.32.
- Mores: & in universum de Aulæ Moribus c.33.

G. Subditi: In his considero tria

- 1. Efficientem causam: qvibus modis qvis subditus fiat, origine, domicilio. Lib. 3. c. 34.
- 2. Subjectum: qvi habendi numero civium, an peregrini c. 35. an Judæi c. 36.
- 3. Adjunctum triplex
  - 1. officium subditorum in genere erga Magistratum c. 37.
  - 2. Numerus civium c. 38.
  - 3. Ordo: ubi primo qvo-qvo loco colloco eos qvi Reip. magis sunt utiles: Sunt verò ordines sive classes 4.
    - 1. Ordo Eqvestris, ubi de Nobilitate tractatio est c. 39.
    - 2. Ordo literatorum
      - Theologi c. 40.
      - ICti c. 41.
      - Medici c. 42.
      - Philosophi, poëtæ, Oratores c. 43.
    - 3. Ordo negotiantium. vid. H.
    - 4. Ordo inutilium. vid. I.

Ordo

H. Ordo Negotiantium, & manuaria artificia tractantium

- In genere: atq; hic de vulgi naturâ c. 44.
- In specie ut sunt
  - Mercatores c.45.
  - Alii, qvi procurant
    - Victum: Pistores, Coqvi, Lanii, Agricolæ, Venatores, Piscatores c. 46.
    - Amictum: Pannifices, Sartores, Textores, Sutores c.47.
    - Medicinam & valetudinem: pharmacopœi, obstetrices c.48.
    - Literas: Typographi. c.49.
    - Ædificia c.50.
    - Executionem sententiæ à judice in capitalibus latæ c. 51.

I. 4. Ordo inutilium, & ludicras artes exercentium: qvo pertinent Histriones, Ludiones & Fidicines cap.ult.

TABULA VIII. continens diſpoſiitionem libri IV. Polit.

Munimenta bonæ Rerump. adminiſtrationis ſunt,

- Domi in regimine reip.
  - Conſervando. ſi ſcil. Magiſtratui cordi ſint Res
    - Sacræ
      - Ædes ſacræ, atqve hîc de jure patronatus c. 1.
      - Bona Eccleſiæ c. 2.
      - Seminaria Reip.
        - Scolæ Triviales c. 3.
        - Academiæ c. 4.
    - Religioſæ, Jus ſepulturæ c. 5.
    - Sanctæ: Huc pertinent ſanctiones publicæ illuſtriores in S. Rom. Imp. receptæ:
      - de pace religionis c. 6.
      - de pace publicâ, eiusqve violatione c. 7.
      - executione in delinqventes, hîc de proſcriptione Imperii c. 8.
    - Publicæ, Flumina c. 9.
  - Augendo vid. K.
- Foris. vid. M.

Augen-

K. Augendo in accessione

1. Hominum, per Colonias: hic de Coloniis c. 10.
2. Armorum c.11.
3. Arcium c. 12.
4. Propugnaculorum c.13.
5. Opum: earum
   - Acqvisitio per
     - Usus c. 14.
     - Delationem ad fiscum: cuius
       - caussæ c.15.
       - personæ intermediæ, Advocati fisci c.16.
       - Eventus qvoad
         - Delatorem c.17.
         - fiscum: hic de privilegiis fisci c. 18.
     - Exactionem
       1. Tributorum qvo loco consid.
          - qvi exigant c.19.
          - à qvibus c. 20.
          - qvid & qvantum c.21.
          - qvo modo c.22.
          - qvo eventu c. 23.
       2. Collectarum c. 24.
       3. Vectigalium: horum constitutio c. 25. locatio c. 26. eventus c.27.
   - Possessio vid. L.
6. Consiliorum qvorum communicatio cùm fieri soleat in Comitiis, hic de iis disseritur c.33.

L. Possessio: hic tractatur de

- Censu habendo c.28.
- Annonâ c.29.
- Monetâ c.30.
- Nundinis c.31.
- Ærario c.32.


M. Foris recepta munimenta Rerump. sunt Fœdera: hic qværo

- Qvo fine, qvibúsve de rebus iniri soleant c 34.
- Qvæ forma sanciendorum fœderum c.35.
- Qvale subjectum, cum qvibus pangere fœdus liceat, an cum Infidelibus c.36.
- qvi Effectus c 37.

Atqve hæc est dispositio libri IV.

Tabu-

TABULA IX. continens σκιογραφίαν libri qvinti Politicorum.



- Qvinto loco in administratione regiminis considero
  - Species: Modum gubernandi
    - Monarchicum c. 1.
    - Aristocraticum c. 2.
    - Democraticum c.3.
  - Specierum illarum declarationem in describendo statu S.Rom. Imp. qvod considero
    - In genere, ut Corpus: eius
      - Constitutio, & translatio ad Germanos c.4.
      - Constitutum qvid contineat, hîc consid. præeminentiam eius c.5. subjectum: membra videlicet secundum classes & Circulos descripta c.6.
      - Alienatio: hic de Exemtionibus à S.Rom.Imp.c.7.
    - In specie: eius membra: qvæ sunt
      - CÆSAR: in eo obs.
        - 1.Electio c 8.
        - 2. Coronatio c.9.
        - 3.Potestas
          - Reservata: in qvâ
            - Superioritas Majestatica c. 10.
            - Sanctio LL.c.11.
            - Indictio belli c.12.
            - Extrema provocatio c.13.
            - Infeudatio c.14.
            - Creatio Ducum c.15.
            - Concessio privileg. c. 16.
            - Fundatio Acad. c. 17.
            - Jus legitimandi c. 18.
          - Communicata. vid. N.
      - Status, vid. O

Commu-

N Communicata

- Regi Romanorum c. 19.
- Cameræ Imp. Spirensi c.20:
- Judicio Rotvvilensi c. 21.
- Statibus Imperii qvæ dicitur **Landsfürstliche Obrigkeit**: Hic diss.
  - 1. Qvo pacto ista Communicatio fiat c.22.
  - 2. Exercitatio qvalis sit: posita in jure
    - Meri & mixti Imperii c. 23.
    - Remittendi pœnas capitales c.24.
    - Præstandi salvum conductum c.25.
    - Recipiendi Judæos &c. c. 26.
    - Succedendi in bonis spur.c. 27.
    - Mutandi relig. exercitium c. 28.
    - Jurisd. Forestali **die Forstliche Obrigkeit** c. 29.
  - 3. Probatio eiusdem qvalis c. 30.
  - 4. qvi effectus c. 31.

O Status: hi tributi in tres Classes

- I. Electores: eorum
  - Origo c. 32.
  - potestas
    - in electione c.33.
    - extra eam c.34.
- II. Principes
  - Ecclesiastici
    - Archiepiscopi 35.
    - Episcopi. 36.
    - Abbates, Prælati 37.
  - Seculares:
    - Archiduces; Duces c. 38.
    - Marchiones, Landgravii c 39.
    - Comites, Barones c.40
- III, Liberæ civitates c.41.

Res

TABULA X. qva delineatur Liber VI. Politicorum, de re militari.

Res militaris est in felici bellorũ administratione posita, ad tutelam reip. Obs. belli

- I. Notatio, definitio c. 1.
- II. Distributio c. 2.
- III. Causæ impellentes
  - Manifestæ c. 3.
  - Occultæ c. 4.
- IV. Apparatus in curâ
  - Subditorum exercendorum in tractatione armorum c. 5.
  - Instrumentorum, qvalia sunt
    - Pecunia c. 6.
    - Commeatus c. 7
    - Arma ductilia c. 8.
    - Machinæ bellicæ c. 9.
  - Clarigationum c. 10.
- V. Subjectum
  - Dux c. 11.
  - Milites: hos consid.
    - Separatim in
      - Dilectu habendo: qvo pertinet eorum
        - Conscriptio c. 12.
        - Lustratio c. c. 13.
        - Receptio, Auctoratio 14.
      - Distinctione faciendâ c. 15.
    - Collectim, in exercitu. Huius obs.
      - Distributio in certos ordines c. 16.
      - Connexa, in Artificibus & Calonib. c. 17.
- VI. Objectum: Hostis c. 18.
- VII. Actus belli vid. P.
- VIII. Adjuncta vid Q.
- IX. Effecta vid. R.

VII. Actus

P

- VII. Actus belli: in qvo
  - 1. Castrorum locatio c. 19.
  - 2. Excubiarum constitutio: Tesseræ & vexilla c. 20.
  - 3. Obsessio: eius
    - forma, ubi de utriusq; tam obsidentis qvàm obsessi officiis c. 21.
    - Adjunctum, Obsessorum Eruptio c. 22.
  - 4. Prælium: eius
    - Antecedentia, ubi de Duello c 23.
    - Actus prælii c 24.
    - Conseqventia c. 25.
  - 5. Inventio bellica: qvo pertinent consilia
    - directa c. 26.
    - obliqva
      - Acuta, Stratagemata c. 27.
      - Minùs acuta c. 28.
  - 6. Disciplina Militaris in distributione
    - Pœnarum, qvo loco de Exauctorationibus c. 29.
    - Præmiorum:
      - Stipendia c. 30.
      - privil. mil. c. 31.

Q

- VIII. Adjuncta: Cædes c. 32. Vastationes, incendia c. 33. captivitas c. 34.


R

- IX. Effecta
  - Tristia: Subactio c. 35.
  - Læta, cuius partes:
    - Victoriæ habendæ modus cap. 36. declaratio c. 37.
    - Induciæ c. 38.
    - Obsides c. 39.
    - Dimissio exercitûs 40.

Ta-

TABULA XI. De Eversionibus Rerump. exhibens dispositionem

LIBRI VIII.



Ob

- S. ob jurisdictionem violatam evertitur Resp. factis hominum
  - Manifestis: ut sunt
    - Factiones c. 11.
    - Defectiones c. 12.
    - seditiones horum
      - Causæ c. 13.
      - Remedia c. 14.
    - Bella civilia c. 15.
  - Occultis, qvalia sunt
    - Proditio c. 16.
    - Conjuratio, eius
      - Conceptio c. 17.
      - Divulgatio & pœna c. 18.
    - Insidiæ: harum
      - Structura c. 19.
      - Evitandi ratio c. 20.

T. Formalis: hoc loco tr. qvomodo à conversione reip. differat eversio c. 21.

- V. Subjectum, evertendo rerump. partes
  - Urbes c. 22.
  - Homines c. 23.
- X. Adjuncta
  - Tempus; hîc de fatali Rerump. periodo c. 24.
  - Signa. c. 25.

Y. Effectus- Migratio Gentium c. 26.

Z. Contraria: Remedia qvibus evitetur reip. Eversio c. 27.

FINIS.



Atqve

ATq; hæc est σκιογραφία Operis mei politici: in quâ si certam & expeditam tradendarũ rerum rationem assecutus sum, est quod gaudeam: sin minus, non tam ego illi addictus sum, ut si melior rectiorq; ordo in conscribendis initiis, progressu & metis Doctrinæ politicæ mihi commõstretur, relictâ illâ hunc nõ sim protinus secuturus, atque comiter viam monstranti gratias acturus. Juliani sententiam probo: Κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην. l. 20 ff. de Fideic. lib. Et Solonis: Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Ordinem verò ut in cæteris disciplinis omnibus, ita & in hâc tueri semper mihi solenne fuit: Doctrina quippe sine ordine non admodùm dissimilis mihi esse videtur corpori mentis vacuo: Sicut enim corpus inutile pondus est, nisi mente regatur, sic Doctrina citra ordinem rudis indigestaq; est moles. Nam scire quid facias doceásve, nescire autem, quo ordine illud fiat, non est perfectæ cognitionis. Præterea memoriæ, quæ aliâs valde labilis est l. 44 ff. de acquir. possess. insignem fructum Methodus adferre solet. Tu Amice Lector his utere fruere, & vale.

G. S. D.

INDEX RERUM ET VERBORUM

A.

Persi-

B.

Delphi-

F.

Hercu-

I.

Julii

Legum

Monar-

παρ-

T.

V.

Vrbi-



SPHAL-

Sphalmata qvædam Typographica.

A.pag. 5. usq; ad 81.tolle verba ista in frontispicio singularum paginarum, errore qvodam locata: Qvæ op. disp. Method. & substitue Titulum capitis subjecti.


P.16.lin. 4. leg.Nirea. p.23. l.16.leg. censum.p.43.l.16. leg. paternum. Ib.l.18.leg. tenes.p.45.l.24.leg.pater suum filium.p.50.l.16.leg.ille à qvo 13 §.fin.p.53.l.28.visuve.p.55. l.4.alii.p.56.l.ul.destituit.p.60.l.22.leg.deserāt.p.62.l.24. leg.agnationis. Itidem l.ult.p.65.l.12.leg.ad familiam non pertinentibus. p.68. l.9.leg.Troianâ. p.74. l.16.leg. sociatus.p.79.l.20.leg.destinabant.p.87. l.28.leg. in communione.p.89.l.16.leg.conficiunt.p.91.l.21.leg.statum.p.92.l.21. leg.explorationibus.p.107.l.25.leg. mimorumq;.p.138.l.16. leg.est & alius mitior qvidem &c. p.140.l.11.leg.erant.p. 141.l.21.leg. pileos oblongos. p.155. l.6.leg Orosius.p 167. l.18.leg.Terenti9.p.176.l.19. leg.Tiberius artem qvoq; callebat.p.184.l.1.qvæ est ex inclinatione.p.187. l.21. indignariq;.p.188.l.25.candente. p.189.l.24. placidæq;. p.191. l. 22. leg.de abolitione Tyrannidis.p.193.l.4 edomantur. Ib.l.9. liberent.p.198.l.20. Cabades. p.228.l.15. modusq;. p.239. l. 25. leg.rejecit.p.243 l.29.le.admovēdi.p.269.l.22.leg.consessu.Ib.l.30.pro datur,legē dabatur.p.274.l.6.pro sub leg. sibi.p. 277.l. 18. blasphemiæ eorum nomine. p.283.l.14. ex qvibus amitti dicitur. p.285.l.25.pro Horum leg. Talium. p.287. l.22. ne sine auctoritate. p.289.l.19. Petreus p.292. l.12.à. Philosophis. p.293.l.12. poëticorum.p.296. l.20.pro Plaut.leg.Plutarch.p.299.l.12. pro Hi leg. Illi.Ib.l.20.leg. Vegetius.p.304.l.penult.adde Vid. Ord. polit.de anno 77. artic.34.p.312.l.10. præsentent. p.321.l.10. pro Philosophus lege Philippus.p.339.l.10. leg.meditata. p.348.l 5. pro sunt leg.sint.p.352.l.27.sis pecore & multo.Ib.l.seq.od.15.p.366. l.1.leg. dissolutionē. p.374.l.19.pro declarata leg.delata p. 375.l.16. Locupletatur.p.388.l.26. tabescebam. p.401.l.22. pro Trebani leg.Trebium.p.431.l.24.pro manent leg. manant.p.432.l.24.coitu.p.502.l.9.leg. maturam. p.545.l.26. leg.centum. p.555. l.18.pro suppetat leg. suppeditat.p.592. l.1.pro cætera leg.certa.

Typo-

Typographis S.

Præmonitum Te volo, qvicunq; Typographorum Systema hoc meum politicum typis imitari studes, ut eo conamine supersedeas, duplici qvidem nomine: Nam & spes mihi certissima affulget de obtinendo privilegio Cæsareo: & absq; eo si esset, Ipse ego, si Te videro ad hæc mea recudenda, me inscio, manus admovisse, è vestigio daturus sum operam, ut singulorum librorum singula capita copiosiùs & ornatiùs pertractem, ac denuò meis impensis divulgem, eóque pacto tuis obstruam luminibus. Si cum tuo commodo, Tu facilè per te videris. Atq; ut cautiùs rem gereres, hoc Te loco commonendum censui. Vale, Regiomonti Siles. 20. Octobr. Anno 1609.

Georg. Schönbornerus
J C.





De Vxore et marito fol 12

